2356. I. 6. b. 2ᵉ A.

F.



F. Moser delin.

J. A. Pfeffel et C. Engelbrecht sc. Vien.

Ex Lib.
Joannis Disмæ Floriantschitsch
de Grüenfeld, Presbyteri.

GERMANIA AUSTRIACA,

SEU

TOPOGRAPHIA

Omnium Germaniæ Provinciarum,

AUGUSTISSIMÆ DOMUI

AUSTRIACÆ

Hæreditario Jure

SUBJECTARUM,

In qua fermè omnia vetera locorum nomina, ſitus, & origo cum præſentibus diligentiſſimè conferuntur, plurimæ Civitates, Monaſteria, Oppida, & Arces, ac præcipua eorum monumenta accuratiſſimè deſcribuntur, omniaque allegatis tum veterum tùm recentiorum Authorum Teſtimoniis optimè confirmantur, nec non novis æri inciſis cujuſvis Provinciæ Tabulis elegantiſſimè illuſtrantur,

K K
LYCEAL
BIBLIOTHEK
ZU
LAIBACH

Studio & Labore

Cujuſdam Societatis JESU Sacerdotis.

CUM LICENTIA SUPERIORUM, ET PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Sumptibus Joannis Baptiſtæ Schönwetter, Bibliopolæ Univerſitatis, Anno 1701.

Typis Joannis Georgii Schlegel, Univerſitatis Typographi.

Ex Lib.
JOANNIS STEPHANI FLORIANTSCHISTCH
de Grienfeld. J. U. D.

030036820

BIBLIOPOLA
Lectori Benevolo.

TEcum res mihi pauliſper, donec propiùs opus ipſum inſpicias, Lector benevole. Si Auſtriacus es, aut ubivis tandem Auſtriaci juris Germanus; indecorum tibi, ſi neſcias, quæ ſoli tui patrii, urbis, aut provinciæ prærogativæ, quævè felicitas. Si alius de magno Europæ corpore Germanus ſis; etiam tum in Auſtriam *Cor Germaniæ*, unde ceu vitalis vigor dimanet in reliqua, animum aliquando reflectere, æquum puta & omnino laudabile. Et, ſi nihil horum ſit, quidni tamen glorioſum cuique, ſcire ea, quibus propiùs imperet primus Europæ Monarcha. En *Germaniam* proinde tibi *Auſtriacam*, ſeu compendioſam deſcriptionem Topographicam omnium Provinciarum Germaniæ, nunc Auſtriacis hæreditario jure parentium; quam commodo tuo typis ſubjeci, eo conſilio, ut, quod diſcurrendo per multa ne vix quidem invenias, eodem te compendium iſthoc paginis non multis deducat. A Blaviis, Janſoniis, Du-Valliis, Merianis, aliiſque tum recentibus, tum antiquis promiſcuè orbem totum explicantibus aut moles, aut ſumptus fors arcet; & quædam in ſingulis copioſiùs etiam percenſita deſideres; ea præſertim, quæ domeſtica tibi, gentem tuam, & patriam magis contingant. Hìc, quoad Authori in brevitatem unicè intento licuit, præter Urbes, Oppida, Arces, & Cœnobia, priſcas ſimul locorum præfatorum origines, & monumenta eorum illuſtriora non tantùm enarrata & collecta in unum, ſed veterum etiam ac recentiorum teſtimoniis roborata cumulatè accipies. Antiqua etiam novis permixta ſunt, ut vices præterea videas Provinciarum ac Urbium; quibus dominis, gentibuſque culta olim hæc tellus; quo nomine gentis tuæ hiſtoria (ſi illuc te etiam genuinæ ac ſolidæ eruditionis amor invitet) priſcis è ſæculis petenda. Authores alicubi collati ad invicem, elucidati, &, ubi mendis nonnunquam palmaribus ſibi aut veritati pugnare viſi ſunt, modeſtè emendati. Se-

ries autem operis & partitio ea est, ut pars prima Austriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Tyrolim, ac insuper illa, quæ ad lacum Bodamicum, ad Rhenum superiorem, & per Sveviam Austriacis parent, dilucidè & accuratè percenseat; in partem alteram Bohemia, Silesia, & Moravia servata sunt. Hæc quasi summa quædam operis bipartiti capita; in quibus, postquam situs, fertilitas, & origo Provinciæ, montes ac flumina generatim & succinctè exposita, facto ad Urbes & Oppida, Arces etiam & Monasteria clariora descensu, Metropoles primùm, tum reliquæ alphabeti ordine sic exponuntur, ut ubique vel sacræ, profanæque antiquitatis vestigia, vel monumenta recentia, glorioſa fundatorum, ac familiarum illustrium nomina, in aquis etiam montibusque sagaciſſimæ naturæ prodigia copiosè reperias. Non dubium quidem, quin plura alibi, idque de locis pluribus nec memoratis proferri affatim poterant; sed brevitas temporis, & definita Authori operis moles prætermitti illa svaserant, ceu instituto præsenti minùs utilia. Quamvis æquè certum est illud, latere plura aut librario jam exoleta in pulvere, & ætati nostræ indiscussa, vel in ipsis urbium ruinis, & viscеribus terræ recondita; quæ digna fors erant, ut locum narrationis primum sibi vendicent: sed nunc infelicitatem temporum queri quidem super hæc, mederi non possumus. Adjumentum tamen hìc alterum, quò oculum à lectione fors fessum referas, tabulas regionibus singulis geographicè exaratas adjeci; quæ si ubi fors à via aut amussi suâ exerraverint, commune geographorum privilegium excusa: licitum errare cum pluribus, siquando lustrare singula, & coràm dimetiri non licuit. Illud spondeo; si omnes in iis mapparum veterum errores expuncti emendatique non sint, novos saltem allatos non esse. Hungariam quidem fors etiam ceu nobiliſſimam juris Austriaci portionem adnexam voles, Lector benevole; sed (ut Author ipse ad calcem operis opportunè admonuit (non partem illa, sed novum sua mole opus faceret, ideoque titulis pluribus studioso emptori molestius. Erit tamen, ut fortasse altero, tertiovè abhinc anno votis tuis meisque eruditus Author obsecundet. Tu interim præsenti fruere, & meum hæc in lucem publicam proferendi studium boni consule.

PARS

Archiducatus AUSTRIÆ Tabula.

Studiô et operâ cujusdam Geographi Societat. IESU.

I. A. Pfeffel et C. Engelbrecht sculps. et excud. Vien.

Milliaria German. Commun.



PARS PRIMA.

TOPOGRAPHIA ARCHIDUCATUS AUSTRIÆ.

AUstria Germanici Orbis Gemma, quæ modò ab Ortu Hungariam, ab Occasu Bavariam, ab Austro Styriam, & ab arcto Bohemiam, Moraviamque respicit, Romanæ Reipublicæ, & primorum Cæsarum tempore in tres discissa partes amplioribus Provinciis insertas, totidem simul nomina sortiebatur: nam ad interfluentis Danubii dextram, quod ab Oeno fluvio ad Cetium montem extenditur, Ripensi Norico, reliquum Superiori Pannoniæ, Græcis Pœoniæ, adhærebat; sola verò ea pars, quæ fluvii lævam occupat, Germania tunc audiebat, à Quadis & Marcomannis, aliisque deinceps populis habitata. Quæ ante hæc tempora inibi fuerit rerum facies, ob sincerorum annalium defectum, quod & plerisque totius mundi nationibus contigit, prorsùs intercidit: apage enim inania somnia, quæ à Matthæo quodam nimis credulè desumpta Henricus Gundelfingius anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto in Austriacos fastos invexit; primum scilicet Austriæ Marchionem, nescio quem Abrahamum fuisse, trecentis annis, si Superis placet, ante Patriarcham Abraham ex Terra admirationis in transmarinis partibus sita, à Domino Sathan expulsum, & cum uxore Susanna in hanc oram jam priùs ab aliquo Judæo Judæisaptam dictam adverso Istro advectum; huic verò subrogatum primogenitum Achaym cum conjuge Namyaym Comitis Hungariæ filia, dein alios partim Ethnicos, partim Judæos, nempe Raban, Leptan, Nynter, Lynal, Peyna, Zavan, &c. Supervacaneum equidem est, hujusmodi nugas pluribus refellere, cùm temporum, locorum, ac personarum ratio meram esse impostura luce meridianâ clariùs evincat: meritò proinde tanquam absurdas fabulas Lambecius Cæsareæ Bibliothecæ Præfectus, (a) cæterique omnes eruditi Austriæ Scriptores carioſam hanc antiquitatem explodunt, ita ut ejusdem authorem Cuspinianus (b) nugatorem perditissimum, Æneas Sylvius Friderici Imperatoris à secretis, dein Summus Pontifex Pius II. ineptissimum Sycophantam nuncupare non dubitârint. Hisce figmentis ansam præbuisse videntur quatuor vetusta monumenta hebraicis literis exarata (ubi nulla tamen fit illius pseudo-Abrahami mentio) Guntendorffii, ùt fertur, inventa, & à Lazio in suo de gentium migrationibus opere exhibita, de quibus prolixa nimis dissertatio foret contexenda, quare hoc tantùm interim observasse sufficiat, characteres iis esse incisos, prout Esdras Nehemias secundùm D. Hieronymi sententiam illos innovavit; annum autem in uno lapide expressum certò, in alio probabiliter Esdræ ætatem prævenire.

Pannoniam Romanorum primus armis adortus est anno ante Christianam epocham 171. P. Licinii Crassi tunc Consulis Legatus susceptâ in Illyricum expeditione; hujus quippe Provinciæ latiùs sumptæ pars, teste Strabone, (c) etiam Pannonia censebatur, ad cujus usque urbem Carnuntem (d) T. Livius diserte asserit, Legatum cum exercitu penetrasse. Eandem rursus tentavit Octavianus Augustus anno ante Christi nativitatem circiter 30., ac quadriennio pòst de ea triumphum egit; sed hoc, de quo sermo est, Danubii littus attigisse nunquam videtur. Cessit id postmodùm Tiberio necdum Imperatori, qui anno à partu Virginis septimo in hac Austriæ ora hybernavit, bellum sub Octaviani auspiciis Maroboduo Marcomannorum Duci illaturus. Excusêre quidem sæpius Romanorum jugum Pannones, verùm iterum debellati, anno 12. aut ad summum 25. in Romanam Provinciam sunt redacti. Parem quoque fortunam, & eodem prope tempore expertum est Ripense Noricum à Claudio Druso, aliisque Ducibus, Vindelici, Rhætici, ac Pannonici belli occasione subjugatum. Transdanubiana autem Austriæ pars communi Germaniæ fælicitate fruita, & fortitudinem æmulata Romanæ potentiæ nunquam succubuit, sed hostilibus duntaxat incursionibus interdum patebat.

(a) Coment. de bibli. lib. 2. c. 6.

(b) Descrip. Austr.

(c) De situ Orbis lib. 7.

(d) Lib. 43. c. 1.

Romana Caſtra Romana quoque Chriſti fides in has regiones comitata eſt: Diocletiano ſiquidem imperante S. Quirinus Siſcianus Epiſcopus Illyricum ingreſſus, à Prætore Maximo ad Galerium Superioris Pannoniæ Præſidem, & ab hoc ad Amantium Judicem catenis vinctus raptabatur; unde factum, ut adiacentes Danubio Urbes, Evangelii ſemina ubique ſpargens peragrârit, anno demum 308. glorioſam martyrii palmam conſecutus. Fæliciores Norici, quibus jam ſexto à Chriſti morte luſtro D. Laurentium primum Laureacenſem Præſulem ejuſdem legem annuntiaſſe, ex Paſſavienſibus, aliiſque annalibus edocemur. Hujus veſtigia preſsêre Syrus, & Juventius S. Hermagoræ diſcipuli; ſed omnium maximam in agro Domini ſegetem ab anno 453. demeſſuit celebris Noricorum Apoſtolus S. Severinus. Neque adeò ferò reliquæ ultra Danubium Auſtriæ fidei lumen affulſit; anno enim 396. narrat coævus author D. Paulinus, Fritigilem Marcomannorum Reginam ab Ambroſio Mediolanenſi Antiſtite divinis myſteriis per epiſtolas imbutam, marito & ſubditis eadem communicaſſe.

Imperio Romano nimia ſua mole jam tandem fatiſcente, varii Theutonici Populi, Boii videlicet, Suevi, Marcomanni, Gepidæ, Gothi, Longobardi, aliique plures in Noricum, ac Vindeliciam effuſi, quidquid à Danubio ad Alpes porrigitur, Germaniæ albo inſcripsêre. Interea Avares quoque, Hunni, ſive Hungari, & Slavi Scythiam ſuam in has uſque plagas progreſſi ſunt; ſed Franci & ipſi Theutones Duce Carolo Magno Imperatore, Bavaris uniti, relatâ anno 791. ad Aniſum fluvium, qui hos tunc à Barbaris dirimebat, celebri victoriâ, illos ſtrenuè repulerunt, Orientali limite longiùs promoto. Hic itaque terræ tractus Theutonicæ virtutis præmium, & gloriæ teſtis, vernaculè Ooſtryck, ſive Oeſterreich, & latino flexu Auſtria, vel etiam Marchia Orientalis dici cæpit, præerantque illi Comites, ſeu Præfecti germanicè Marchgraffen (undè & latinum Marchionum nomen defluxit) qui adverſus Slavos & Hungaros excubantes Bavariæ Ducibus primò obtemperabant, poſtea Germaniæ Regibus, vel Imperatoribus immediatè ſubjiciebantur. Quam dignitatem hæreditariò in poſteros jure primus omnium adeptus unanimiter fertur Leopoldus I. ex illuſtri Comitum Babenbergenſium ſtirpe, qui adhuc adoleſcens, cùm Henricum Aucupem Germaniæ Regem venandi ſtudiò per avia abreptum ſolus inſequeretur, Principis in feram collimantis arcui repentè disrupto ſuum adeò celeriter ſubſtituit, ut ille deſperatâ jam prædâ adhuc potiretur. Ita arriſit juvenis gratia Henrico, ut Provinciam proximè vacaturam in præmium pollicitus, decedente anno 928. Rudingero de Pechlarn Orientali Marchiæ Præfecto, hanc ei in perpetuum familiæ feudum contulerit. Marchionatûs terminosa b Aniſo fluvio non adeò ultrà Cetium montem eo tempore extenſos S. Leopoldus Auſtriæ Marchio, qui obiit anno 1136. poſt geminas clades Stephano II. Hungariæ Regi fines ſuos infeſtanti inflictas, ad hodiernam amplitudinem in Ortum produxit. Quod verò ad Occaſum inter Aniſum, & Oenum intercipitur, non niſi anno 1156. Bavariæ ademptum, Auſtriæ acceſſit, conſentiente Friderico I. Imperatore, qui ut Henricum II. tum Auſtriæ Marchionem ad reliquam Bavariam, quam ejus frater, & prædeceſſor Leopoldus Largus à Conrado III. Cæſare obtinuerat, faciliùs deferendam alliceret, Auſtriam inſignibus privilegiis auctam, Cor, ac clypeum Imperii eam in diplomate appellans, eodem anno in Ducatum erexit. Quandonam autem Auſtria Archiducatûs titulô cæteris Europæ Ducatibus præeminere cœperit, ſub judice lis eſt; nonnulli enim à Friderico IV., alii ab Alberto I. Imperatoribus eam prærogativam exordiuntur: Cuſpinianus(a) à Friderico II. Babenbergico initium ſumere videtur, dum ait Fridericum II. Cæſarem, ut Fridericum Auſtriæ Ducem, qui ab avo ſuo Friderico I. Imperatore ſertô puniceô, ſivè coronâ roſtratâ, & ab ejuſdem filio Henrico Rege diademate, & circulô aureô fuerat exornatus, ampliùs condecoraret, crucem auream, qualem Cæſares ſuis in coronis geſtant, prioribus inſignibus adieciſſe, quo ipſum parem regiæ dignitati efficeret, ut inter reliquos Imperii Duces, veluti Archidux eniteret; Altiùs adhuc illius originem indagat Fuggerus(b) mentem reflectens tum ad ea verba, quæ Henricus IV. Imperator in ſuo diplomate ſignato anno 1058. ita uſurpat: *Nos preces præclariſſimi, & nobiliſſimi Principis Domini Erneſti Marggravii Auſtriæ, S. R. Imperii PRIORIS &c.* tum ad alia, quibus Fridericus I. in memorato jam anni 1156. diplomate ita decernit: *Si quibusvis Imperii Curiis publicis Dux Auſtriæ præſens fuerit, unus de Palatinis ARCHIDUCIBUS cenſendus eſt.* Ego itaque in re obſcura ne veritati obſim, Babenbergicos Auſtriæ Principes Ducis, Habſpurgicos verò Archiducis nomine diſtinctionis ergò, ubi opus fuerit, indicabo.

(a) Deſcrip. Auſtr.

(b) Specul. Con. lib. 3. c. 5.

Friderico II. Babenbergicorum Ducum poſtremô anno 1246. ſine liberis extinctô, magni motus Auſtriam tenuêre, pluribus Principibus in ſpem erectis, & pulcherrimam

mam Provinciam ſibi certatim depoſcentibus, inter quos prævaluit priùs Hermannus Badenſis uxoris jure fretus, quæ erat Gertrudis Friderici ex Fratre neptis, poſtmodùm Ottocarus Bohemiæ Rex, ſuæ itidem conjugis Margarethæ Friderici Sororis jura prætexens, quam cùm ille ob ſenium repudiatam paulò pòſt venenò ſuſtuliſſet, ad ſecundas nuptias tranſiturus, & nihilominus, Auſtriæ dominatum, Imperio', cujus intererat id ratum habere, prorſus abnuente, contra fas retineret; imò glorioſiſſimi æquè, ac piiſſimi Imperatoris Rudolphi I. electionem contumeliis excipiens eum colere detrectaret, in Imperialibus Comitiis anno 1275. Auguſtæ convocatis rogati ſententiam Principes Ottocaro veluti Imperii hoſti bellum juremerito indicunt. Quare Cæſar biennio pòſt in Auſtriam movens, unico illam anno in ſui poteſtatem redegit, Rege poſt firmatam pacem in Bohemiam remeante: at cum is conviciis Kunegundis adactus ignaviam conjugi exprobrantis bellum redintegraret, à Cæſare profligatus miſerrimè interiit. Exinde Auſtria in Comitiis anno 1282. Auguſtæ ſimiliter habitis ex communi Principum, & Ordinum conſenſu, orantibus ejusdem Provinciæ Legatis, Alberto Rudolphi filio poſtea Imperii beneficiò conceſſa. Porrò Albertò anno 1308. ab Archiduce Joanne confoſsò Imperium adiit Henricus Lucemburgius, cui iniquior erat in illius filios animus nihil non agenti, ut Auſtriæ poſſeſſione eos dejicret, adeò ut Archiduci Friderico jus ſuum more majorum Spiræ ab eo repetenti renuntiarit, ob unum Auſtriæ Ducatum quinque Reges interemptos, ſatis utique cauſæ ſuppetere, ut rerum in ea Provincia ordo mutetur: Ea voce ictus Fridericus id duntaxat repoſuit, Cæſarem, ſi in ſententia perſiſtat, fieri ſextum poſſe, qua dicendi libertate Henricum à propoſito deduxit. Hinc Auſtria ſub clementiſſimo Habſpurgicæ Domûs regimine hactenus fæliciſſimè perennavit.

Jacet Auſtria in climate ſecundùm veterem Strabonis calculum ſeptimo, ſecundùm recentiores octavo: geographica ejus longitudo ab Inſula Palma computata intra gradum 36. cum 15. minutis, & 40. cum 50. minutis: latitudo verò inter gradum 47. cum 26. minutis, & gradum 48. cum 56. minutis continetur. Solò gaudet amœnò, fluviis irriguò, & partim in planitiem æquatò, partim in colles, monteſque aſſurgente, atque omnis generis frugum præſertim vini admodùm feraci. Dividitur in Inferiorem, & Superiorem, hæc ad Occidentem, illa ad Orientem vergit: communem utriuſque terminum ex Auſtrali Danubii parte conſtituit fluvius Aniſus, aliis Onaſus, aut Anaſſus, ex Boreali autem linea, quæ factò à Danubio paulò ſupra Ipſium initiò ad Bohemiam uſque, trans Urbem Weitram ducta concipiatur. Inferior quadrifariam à Cuſpiniano, (a) & quidem duplici ratione ſubdividitur, primùm per campos, quorum duo cis Danubium Steinfeld, & Tulnerfeld, ac totidem trans Danubium Marchfeld, & Gensfeld vulgò efferuntur. Secunda diviſio maximè in uſu eſt, cùm Provinciæ Status coguntur, & tum una cis Danubium pars infra nemus Viennenſe, altera ſupra nemus Viennenſe, ultra Danubium verò una ſub monte Meinhardi, altera ſupra montem Meinhardi appellatur. Hæc de Auſtria univerſim ſumpta; nunc autem ad ſingularia ejus ornamenta deſcendens à metropoli exordiar, reliquas dein Urbes, & Oppida memoratu digniora, ſervato literarum initialium ordine proſecuturus.

(a) Deſcrip. Auſtr.

VIENNA.

Vienna, vel (ùt ante tria ſecula etiam latinè ſcribebatur) Wienna, vulgò Germanis Wien, Gallis Vienne, Hiſpanis, Italiſque Vienna, Polonis Wieden, Turcis Beetz, Urbs Orbi clariſſima, juxta Auſtrale Danubii brachium ſubditur latitudinis gradui 48. cum 22. minutis, longitudinis verò gradui 40.: abeſt itaque Româ Summi Pontificis Sede ſecundùm directam, & genuinam diſtantiam, milliaribus germanicis 105., Madritò Regis Hiſpaniæ 260., Ulyſſipone Regis Luſitaniæ 335., Pariſiis Regis Galliæ 154., Londinò Regis Angliæ 175., Hafniâ Regis Daniæ 116., Stockolmiâ Regis Sueciæ 165., Cracoviâ Regis Poloniæ 40., Moſcuâ Czari Moſcoviæ 248., & Conſtantinopoli Turcici Sultani 173. In quarum diſtantiarum calculo aſſumpta ſunt quidem de more pro quovis gradu æquatoris 15. milliaria germanica, ſed ut menſura accuratè percipiatur, talia intelligenda ſunt, quæ 5400. paſſus, quinque geometricis pedibus conſtantes ſingillatim adæquent.

Prima Urbium commendatio ab antiquitate plerumque petitur; quare ne & hæc Viennæ deſideretur, an, & ſub quo latitans nomine apud Romanos ea olim floruerit, ſedulò diſceptatur: varii varia obſoleta Civitatum nomina è latebris in lucem revocant; nonnulli verò ingeniosâ potiùs, quàm probatâ unius in alterum derivatione integrum eorum catalogum ſanè liberaliter admittunt. Ponderatis igitur ubique rationum momentis, & exploratis meliorum opinionum fontibus, veroſimillimum videtur, præſentem Urbis Viennenſis ſitum veteri Vindobonæ, corruptè

Vindomonæ (unde Vindomana, Vindomina, & Vindoniana in MSS. prodiit) adjudicari poſſe: eam autem eandem eſſe, quam apud (a) Ptolomæum modò ſub Viliobonæ, modò ſub Juliobonæ nomine, depravato, ùt plerique autumant, textu legimus, inde luculentè patet, quòd hæc poſt Cetium montem Orientem versùs prima ſecus Danubium ab eo collocetur. Sententiam hanc comprobat Peutingerianum Hodœporicon à Velſero excuſum, ubi ab Arabone fluvio vulgò Rab in Noricum proficiſcentibus Vindobona 6. paſſuum millibus ante Cetium occurrit. Mentionem quoque illius facit Itinerarium Antonino Auguſto attributum; nec obeſt, eandem ibi à Cetio longiùs removeri, cùm omnibus in compertò ſit, pluribus præſertim circa numeros mendis illud ſcatere. Conſonat Jornandes, (b) qui ſub Juſtiniano I. Imperatore vixit, dum Vindobonam ad extimam Pannoniæ plagam Norico conterminam relegat. Adſtipulantur denique opinioni noſtræ vetuſta monumenta Viennæ effoſſa, & à Grutero, & Lazio (c) in lucem edita, ex quibus, atque ex Ptolomæo, aliiſque inſuper colligitur, in Vindobonenſi Romanorum Municipio Legionem decimam Geminam, & Fabianam cohortem reſediſſe; (d) additque Notitia utriusque Imperii ſub Theodoſio Juniore compoſita, Præfecturam Danubianæ claſſis Carnunto Vindobonam fuiſſe translatam. Verùm non modò dignitatibus, ſed & præſentia ſua hanc urbem cohoneſtarunt antiqui Cæſares; nam præter Tiberium, de quo dictum eſt ſupra, M. Aurelium Antoninum Philoſophum Vindobonæ mortuum teſtatur ſextus Aurelius Victor, (e) & Antoninum Caracallam Pannoniam obeuntem, venando, & aurigando ibidem ſe oblectaſſe tradit ex Herodiano Lambecius, (f) quod ex numiſmate anno 1662. Viennæ in regiæ aùlæ fundamentis reperto quàm optimè confirmatur. Quibus ob Carnuntinæ Urbis propinquitatem ii omnes Imperatores facilè adjungi poterunt, quos in illa aliquando moratos ſuo loco dicemus. Quòd ſi etiam Vindobonæ etymologiam altiùs rimari libuerit à vero abludere minimè videbitur Lambecii ſenſus, (g) qui eam vocem ex Vindone amne, nunc vulgò Wien dicto, & ex verbo Bahn, quod viam ſonat, coaluiſſe opinatur, quaſi ſic denotaretur, caput iſthic eſſe viæ militaris, quæ à Vindone amne, & Legionis decimæ Geminæ ſtativis in Italiam ducebat: vel forſitan ea vox conſurgit ex Vindone, & Wohn, quaſi diceretur habitatio ad Vindonem; nullatenus autem admittenda eſt Lazii conjectura, (h) qui à Vendo, vel Venedis populis eandem oriri putat, cùm hi certè eo tempore nondum has terras incoluerint, & apud veteres Scriptores Vindobona non Vendobona conſtantiùs legatur. Quæ cùm ita ſint, manifeſtè elucet, Viennam noſtram Vindobonæ ſucceſſiſſe, in cujus rei aſſertionem Cluverius, Lazius, plurimique recentiores unanimi ſuffragio conſpirant, in hoc ſolum diſcordes, quòd aliqui adhuc alia nomina agglomerent, eamque cum diſtinctis aliàs Civitatibus confundant: quapropter, ne meo muneri deſim, illorum etiam opiniones breviter diſcutiam.

Inprimis itaque indubitatum mihi eſt, Viennam non fuiſſe Strabonis Vendum, cùm hoc ille ad Japodes Adriatici maris accolas ſpectaſſe ſcribat, (i) eoſque à Pannonibus diſertè ſejungat; non Plinii, (k) aut Ptolomæi (l) Vianam, nam eam hic Rhætiæ, ille Norico, neuter Pannoniæ tribuit; non item Ptolomæi Aras Flavianas, (m) aut Plinii Flavium, (n) quia hoc Norico ſimiliter ab authore adſcribitur, illas verò Ptolomæus inter Germaniæ Urbes in Septentrionali Danubii latere ſitas recenſet. Una adhuc ſupereſt obſervatione digna ſententia, quæ poſt Ottonem Friſingenſem S. Lepoldi filium ob facilem in Viennæ vocabulum inflexionem quàm plurimis placuit, Viennam nimirum Flavianam, aut Fabianam fuiſſe antiquitus appellatam. Præcipuum ejus fundamentum innititur vitâ S. Severini ab Eugippio conſcripta, & apud Velſerum, & Bollandum reperienda, idque per citata ſuperiùs monumenta firmiter ſolidari illius patroni arbitrantur. Attamen omnibus ritè perpenſis neque hoc aſſerendum exiſtimo, nam quantum ad inſcriptiones attinet, etſi in iis Ala Flaviana, aut Fabiana cohors, ejuſque Præfectus Titus Ampius Flavianus ſæpius memoretur, quî indè inferri poteſt Vindobonam ob ejus nominis legionem ibi commoratam in Flavianam tranſiiſſe? quod tamen veluti inexpugnabile Lazius (o) aſſeverat; Imò oppoſitum longè vero ſimilius contendo, ſub præfectura ſcilicet Titi Flaviani, qui utì ex Tacito (p) apparet, Galba Imperante in Pannonia verſabatur, prætenſam nominis mutationem accidere nequiviſſe, cùm prout ſuprà vidimus, etiam apud poſterioris ævi Scriptores non aliter quàm Vindobona nuncupetur. Verùm nec ex S. Severini Vita conjicere licet, Flavianam vel Fabianam ibi indicatam Viennenſi ſolo convenire, illius enim & præmiſſæ Præfationis contextus innuere videtur, S. Severinum poſt ſuum ex Oriente adventum in Norico ſemper ſubſtitiſſe, quare in occidua potiùs Cetii montis declivitate antiquæ Flavianæ ſedes foret inquirenda, præſertim cùm Paſchaſius Diaconus Romanus in Epiſtola ad Eugippium (q) *Beati Severini finitimas Pannonio-*

(a) Geograp. l. 2. c. 15.
(b) Rer. getic. c. 50.
(c) Chron. Vien. lib. 1. c. 4.
(d) Apud Lambe. lib. 2. c. 2.
(e) Orig. gent. Rom. c. 16.
(f) Lib. 4.
(g) Lib. 2. c. 2.
(h) Lib. 1. c. 3.
(i) Lib. 4. & 7.
(k) Lib. 3. c. 24.
(l) Lib. 2. c. 12.
(m) Lib. 2. c. 11.
(n) Lib. 3. c. 24.
(o) Chron. Vien. l. 1. c. 4
(p) Hiſt. l. 2.
(q) Ep. vitæ præfixa.

niorum Provincias non Pannoniam *incolentis* meminerit, & Paulus Warneſridus Diaconus Aquileienſis S. Severini Cœnobium, quod Urbi Flavianæ Vitæ author connectit, intra Noricorum fines non obſcurè reponat. Qui plura expetit, Lambecium conſulat, (a) hæc fuſiùs deducentem, ſentiatque indè, quod libuerit, namque ego interim me conferam ad certiora.

(a) Bibl. l. 2. c. 1.

Cùm Divus Leopoldus Auſtriæ Marchio promotis, ùt jam monuimus, ad Orientem finibus, Aulam ſuam Cetii montis vertici impoſuiſſet, cæpit Viennenſe ſolum primò venatoriis mapalibus, dein nobilioribus ædibus illuſtrari; jacebat enim ante 500. circiter annos deleta à barbaris Vindobona, nec ullum ſui veſtigium poſteris reliquerat, ſed ſolæ betulæ aliæque ſylveſtres arbores incultam terram obumbrabant: unde non aliud erat loco nomen, quàm Perkhoff ſeu Birkhoff, cui concordi calamo ſubſcribunt & ii, qui perpetuam alibi nominum *Flaviana*, *Fabiana*, *Biana*, *Viana*, *Vienna* ſucceſſionem invehere conantur, aſſertionis ſuæ conſtantiam parvi pendentes. Hæc itaque fuere grandævæ jam Viennæ incunabula à præterfluente amne Wienn, ſicut priùs Vindobona à Vindone nomen mutuatæ, quæ ea dein fecit incrementa, ut brevi juſtæ Civitatis ſpeciem præſetulerit, atque Henricum II. tum Auſtriæ Ducem ad Aulam ſuam in eo foro, quod adhuc Hoff vulgò dicitur, anno 1156. extruendam loci opportunitas invitaverit. Ducalem Urbem novis ædificiis auctam paulò pòſt circa annum videlicet 1192 lateritiò murò turribus immixtò, cujus veſtigia apud rubræ turris, ùt vocant, portam etiamnum ſuperſunt, Leopoldus VII. cognomine Virtuoſus circumdedit, impensò in id lytrò Richardi Angliæ Regis, quem ob injuriam Accone, ſeu Ptolemaide in Syria ab eo ſibi illatam, ad ſua revertentem in carcerem conjecerat; in illius ſiquidem Urbis expugnatione, cùm Leopoldus ſuperatò ante omnes murò ad turrim eluctatus, ſuum in ea vexillum explicuiſſet, Rex inde deturbari, & conteri perquàm iniquè juſſerat. Quinque alaudas Auſtriacorum tunc inſigne vexillum oſtentabat; at cùm in eo ipſo aſſultu candida Ducis veſtis hoſtili cruore conſperſa ubique rubeſceret, ſolo ſpatio, quo baltheus medium hominem cingebat, adhuc albente, in rei memoriam clypeum rubrum albâ interſectum lineâ, quod inſigne hactenus in uſu eſt, à Cæſare obtinuit: licèt alii Auſtriam ipſam Danubio per medium ſectam ab illo ob oculos poni interpretentur. Leopoldi VII. filius Leopoldus VIII. cognomine Gloriosus poſt Friderici fratris natu majoris mortem ab anno 1198. Auſtriæ Dux deſertâ priori Aulâ multò ſplendidiorem in eo loco erexit, in quo Auguſtiſſimorum Cæſarum Sedes per terna penè ſecula perſeverat, quorum occaſione in eam, quam modò admiramur, Civium opulentiam, & Palatiorum ſplendorem ſucceſſu temporis floridiſſima hæc Civitas evaſit, latis inſuper mœnibus, ampliſque propugnaculis ab anno 1540., & peculiariter anno 1636. ad hoſtium invidiam probè communita; ſed nec prœaltis aggeribus coërceri potuit Viennenſis Urbis Majeſtas, quin ſe foras effunderet, utpotè Suburbiis magnas Civitates adæquantibus undique ſepta, quæ olim foſſis adjacebant, ab anno verò 1683. ſtatutò ſpatiò ab iisdem remota auguſtis nitent Palatiis, totque hortorum affluunt deliciis, ut Æmonia Tempe huc diceres commigrâſſe.

Sexies obſeſſa Vienna ter reſtitit, ter ceſſit. Reſtitit primò anno 1477. Matthiæ Corvino Hungariæ Regi ob ſubmiſſas à Friderico Imperatore copias hinc recedenti: ſecundò anno 1529. Solimano Turcarum Sultano, Urbem moderante Philippo Comite Palatino Rheni, muros autem propugnantibus ad Carinthiacam portam, ubi majus periculum imminebat, Hiſpanis, indè ad Stubenſem, & aliam â rubra turri cognominatam Erneſto à Brandenſtein cum auxiliaribus Imperii cohortibus & duobus Bohemorum millibus, item Wilhelmo à Wartenburg, & Comite Joanne ab Hardeck Equitum Ductoribus, ab his ad Judæorum turrim vulgò im Ellend prope novam portam cum Auſtriacis Reiprechto ab Eberſtorff; hinc ad Scotenſem, & Aulicam cum ſuis militibus Maximiliano Leiſſer, & præterea cum Civibus Joanne à Greiſneck, & Joanne Hauſer, Aulam ipſam Leonhardo à Velſs: ab ea ad Auguſtinianorum Cœnobium cum Styris Abello ab Holeneck, indè rursus ad Carinthiacam portam Eckio à Reiſchach tribus peditum millibus ſtipato, ac inſuper cum Carinthis Joanne Caccianer: ita ſynchronus author, Ferdinandi I. Epheborum Præceptor: (b) tertiò demùm glorioſiſſimè reſtitit anno 1683. Primo Turcarum Viſirio Muſtapha Carà, à S. R. I. Comite Rudigero Erneſto à Starenberg ſtrenuè defenſa, & à Joanne III. Polonorum Rege, ævique noſtri Annibale Carolo V. Lotharingiæ Duce Cæſarei Exercitûs Archiſtratego, nec non aliis Imperii Electoribus ac Principibus in auxilium advolantibus poſt celeberrimam de Turcis victoriam liberata: ubi plura afferre ſuperſedeo, utpote recenti omnium memoriæ adhuc obverſantia.

(b) Apud Schardium.

Ceſſit econtrà primò anno 1241. Friderico II. Auſtriæ Duci, quem quadriennio priùs Viennenſes expulerant, invitatô atque in urbem admiſſô Fridericô II. Cæſare, qui nova Viennæ inſignia præfigens, Aquilam ſcilicet auream in campo nigro, eam liberam, atque Imperialem declaravit: ſecundò Rudolpho I. Imperatori Habſpurgico anno 1277. ab iniquo Ottocari Bohemiæ Regis dominio eam vindicanti: tertiò denique anno 1485. Hungarorum Regi Matthiæ, qui cùm Viennæ maximos inter cruciatus anno 1490. vivere deſiiſſet, illicô Cives adventantem cum equitibus Maximilianum Friderici IV. tunc imperantis filium undecimo Calendas Septembris gratulabundi recepêre. Parergi locò veniunt irrita tentamenta Henrici Comitis Matheſii à Thurn Bohemorum Ducis, qui anno 1619. aulicam, novamque portam bellicis tormentis laceſſere præſumpſit, & Suecorum, qui ad majorem Danubii pontem Urbi incubantes continuis trajiciendi molitionibus eam fatigârunt.

Singularia Viennæ decora jam ſubnexurus, à ſacris auſpicabor. Primus Urbi Parochus præeſſe juſſus eſt Eberhardus anno 1140., vel potiùs ejuſdem ſeculi 57., à Paſſavienſi Antiſtite Remberto. Succeſſorum nomina longa ævi vetuſtas obliteravit: ab hac tamen temporis edacitate Petrum Magiſtri etiam titulo clarum exemit Provinciale Concilium anno 1267. ſub eo Viennæ celebratum, cui præſedit Guido ex ordine Ciſtercienſi, S. Laurentii in Lucina Cardinalis Presbyter, & Apoſtolicæ Sedis Legatus; interfuêre, prout (a) recenſet Henricus Stero, qui ſub Rudolpho I. floruit, *Joannes Pragenſis*, *Petrus Patavienſis*, *Bruno Brixinenſis*, *Cunradus Friſingenſis*, *Leo Ratiſbonenſis*, *Amulricus Lavadinenſis Epiſcopi*, *& alii quamplures Diœceſibus Prælati*, *Archidiaconi*, *& Decani*. Lazius (b) multò recentior author omiſſô Lavantinô addit Patriarcham Aquileienſem, Archiepiſcopum Salisburgenſem, Epiſcopos inſuper Tridentinum, Olomucenſem, & Uratiſlavienſem, quod de primis tribus veroſimile non eſt, coævus quippe ſcriptor anonymus apud Lambecium (c) duntaxat refert, Guidonem convocâſſe *Epiſcopos in Salisburgenſi Epiſcopio conſtitutos*, & teſtatur ad eundem annum Stero Uladislaum in Salisburgenſem Archiepiſcopum conſecratum primò fuiſſe feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, hoc eſt 12. Junii, poſt abſolutum jam Sede vacante concilium, quod à ſexto Idus Maji non niſi triduo teſte anonymo duraverat. Anno dein 1364. Parochiam Viennenſem in Præpoſituram, Wernhero ad novam dignitatem aſſumpto, erigi curavit Rudolphus IV. Archidux Auſtriæ, ſubjectis illi circumſitis Paroeciis, adjunctiſque 24. Canonicis, qui purpurea micantes veſte auream in pectore crucem portarent, & cùm ſupplicationes ducendæ forent, duodecim ex iis, Religioſos Carmeli aſſeclas præcederent, totidem ſubſequerentur; ut ſic gentilitium Auſtriæ inſigne repræſentarent: quæ conſuetudo unà cum rubea Canonicorum toga poſtea obſolevit, his etiam ad quatuordecim ſolummodò redactis. Demum anno 1480., obtentâ ante decennium à Paulo II. ſummo Pontifice facultate, Fridericus IV. Imperator Epiſcopatum nulli Archiepiſcopo ſubjectum Viennæ fundavit, ad quem primus evectus eſt Leo à Spaur patriâ Tyrolenſis; hunc exceperunt 13. alii ante Melchiorem Cleſelium S. R. E. Cardinalem, cujus anno 1630. vitâ functi ſucceſſor Antonius Cremifanenſis Abbas, omnium primus Principis dignitate fulſit à Ferdinando II. Cæſare collata.

(a) Hiſtor. Alemanna.

(b) Chron. Vien. l. 2. c. 4.

(c) Bibl. l. 2. c. 4.

Cathedrale Templum ſubſtitutum eſt alteri, quod à Remberto Paſſavienſi Præſule omnium Sanctorum honori conſecratum poſuerat anno 1140. Henricus II. necdum Marchio, vel, ut probabilius videtur, anno 1157. jam Auſtriæ Dux. Jecit amplæ hujus Baſilicæ, quam hodie ſpectamus, fundamenta Archidux Albertus II. cognomento Sapiens, qui aliàs etiam Contractus dicitur, eamque S. Protomartyri Stephano Albertus Epiſcopus Paſſavienſis anno 1340. Dominica in albis, hoc eſt 23. Aprilis, ſacris ritibus de more dicavit; ad ſupremam verò coronidem perduxit anno 1364. Archidux Rudolphus IV. inchoata ſuperiori anno nobiliſſima turri, quam Albertus III. Templi tecto æquavit, ac demum Albertus IV. anno 1400 ad 460. pedum altitudinem promotam abſolvit: opus non modò tribus, quibus jam ſtat, ſed infinitis ſeculis digniſſimum, quod cùm aliquando inſpexiſſent Boſnienſium Legati, teſte Ænea Sylvio poſtea Pio II. Papa, in eam ivêre ſententiam, ut turrim illam *pluris conſtitiſſe dicerent, quam regnum Boſniæ venundari poſſet.* Commendant præterea Eccleſiam tum plurium Lipſanorum gazophylacium, tum Rudolphi IV., Alberti III., IV., & VI., item Wilhelmi, & Leopoldi Superbi Archiducum tumbæ, atque multo marmore dives Friderici IV. Imperatoris Mauſolæum; minorem turrim æs campanum ſupra 200. centenarios grave, & cœmiterium lapidea cathedra, ex qua S. Joannes Capiſtranus latino idiomate etiam à plebe divinitùs percepto concionem exhortabatur.

Epiſcopali Baſilicæ undecim Religioſorum Templa, quæ Urbem non parum con-

deco-

decorant, paucis ſubjiciam. Scotenſium Benedictinorum Abbatia faſtos ſuos orditur ab Henrico II. Auſtriæ Duce ibidem ſepulto, qui anno 1158. eam *in honorem Dei, & laudem ſuæ Genitricis glorioſiſſimæ Virginis, denique in commemorationem Beati Gregorii in prædio* proprio fundavit; prout ſonant dati hac ſuper re diplomatis verba; ſimulque præter Parœciam hoſpitalitatem inſtituit erga Peregrinos in Terram Sanctam commeantes exercendam, inter quos cùm frequentiores viderentur Scoti, Scotorum, vel Scotenſium nomen Cœnobio adhæſit: Cuſpinianus (a) tamen ab ipſis Religioſis ex Scotia accitis illud derivat. Venuſtum, quod hodie viſitur Templum ab anno 1590. aſſurgere cœpit, quo ſcilicet antiquum ab horribili terræ motu totam Civitatem immaniter quatiente jacuerat proſtratum. Carmeli Viennenſis fundationem (in quem à Carmelitis deſertum Societas Jeſu per Ferdinandum I. Romanorum Regem anno 1554. introducta eſt) Leopoldo Glorioſo Auſtriæ Duci ſub ſeculi decimi tertii initium vetuſtiorem ſuam Aulam iis donanti attribuit Fuggerus, (b) & Cuſpinianus; (c) eandem verò Lazius (d) differt uſque Rudolphum IV. Auſtriæ Archiducem; ſed litem opportunè dirimit Gerardus de Roo (e) aſſerens Rudolphum plura elargitum Carmelitis fuiſſe, ſicque promeritum, ut Fundatoris titulo ab iiſdem inſigniretur: inter munera autem conjicere fas eſt, numerandam quoque eſſe novi Templi ſtructuram, quam Lazius in Beatiſſimæ Virginis honorem tunc factam docet, cùm ea non tantam oſtentet ætatem, ut quinque ſeculorum intervallum aſſequatur, eſt enim illud, quod Profeſſorum Domui contiguum in foro vulgò Hoff dicto ſpecioſo innititur veſtibulo. Nobile etiam Templum ad S. Mariam Rotundam ſub Ferdinando II. Cæſare primò conſtructum, veteris inſiſtit ruderibus, quod anno 1190. à Leopoldo Virtuoſo erectum, alius Leopoldus Auſtriæ Archidux anno 1325., deletis jam ante 18. annos Templariis primis illius poſſeſſoribus, ſacro Prædicatorum Ordini tradiderat. Adnexa huic eſt ampla Bibliotheca à Fundatore Windhagiana dicta publico uſui ſtatutis horis expoſita. Seraphico Ordini Fridericus II. Auſtriæ Dux, qui ab anno 1227. gubernare cœpit, ſacellum, ædesque aſſignaverat; ſed Ottocarus Bohemiæ Rex ampliori Templo, quod S. Cruci dicatum voluit, initium dedit; Blanca Philippi Pulchri Galliæ Regis filia, & Rudolphi III. Archiducis uxor illud proſecuta eſt; tandem Eliſabetha Aragonia Friderici III. Imperatoris conjux perfecit, à Minoribus Conventualibus modò decorè exornatum. Memorabilis hìc eſt in clauſtri muro hiatus, per quem dæmon ſacrilegum quendam ſepties unâ die ad ſacram Synaxim accedere auſum, exceptis antea coram ædituo ſacris hoſtiis, ſecum in tartara aſportavit. Parochiale S. Michaëlis Templum, dirutô aliô anguſtô, quod antea ibidem extabat, à Rudolpho III., & Ottone Archiducibus ædificatum, Clerici Regulares S. Pauli anno 1626. à Ferdinando II. obtinuêre, ſecularibus Sacerdotibus Parochiæ munia priùs adminiſtrantibus ſubſtituti. S. Annæ Templum anno 1320. pro peregrinis exſtructum prima fuit Societatis Jeſu Sedes à Ferdinando I. anno 1551. Viennam advocatæ, ſed paulò pòſt ea ad hodiernam Profeſſorum Domum transmigrante Equeſtri S. Stephani Ordini commodatum eſt, & rursus anno 1626. eidem Societati, Tyrocinii excitandi gratiâ reſtitutum. Aulica S. Auguſtini Eccleſia cum adjuncto Cœnobio ortum ſuum duxit ab Ottone Archiduce anno 1338., vel ſequenti, vitâ functo, ceſſitque Eremitis S. Auguſtini; nunc verò ab Auguſtinianis, quos diſcalceatos vocant, incolitur, & illuſtratur. Templo S. Dorotheæ ſacro, quod ab Alberto II. Archiduce inchoatum, à Rudolpho IV. completum, & ſecularium Presbyterorum curæ traditum fertur, Regularium Canonicorum S. Auguſtini Collegium adnexuit anno 1414. Andreas Blanck, vel Planckner Parochus in Gars, dein Alberti V. Archiducis Præceptor, & Cancellarius. Minores Obſervantes, qui S. Theobaldi Monaſterium in Suburbio quondam inhabitabant, eô ob Turcarum metum ſolô æquatô, in Urbem admiſſi, tandem circa annum 1589. ad D. Hieronymi Templum invitati ſunt, quod Conradus Hölzerus Civitatis Viennenſis ſæpiùs Judex, ac Conſul pœnitentibus fœminis horas Canonicas Germanico idiomate quotidie concinentibus, decimo quinto ſeculo ineunte fundaverat. Academicum Societatis Jeſu Collegium, ejus, quo modò fruitur, Templi Mœcenatem Ferdinandum II. Cæſarem ab anno 1628. veneratur. Denique S. Franciſci ad novum forum Eccleſia cum crypta Auſtriacis Principibus deſtinato, & Capucinorum Aſceterio, cui locuples ſacrarum Reliquiarum theſaurus magnam famam conciliat, erigi quidem cœpit à Matthia Cæſare, & Anna ejuſdem conſorte, ſed anno duntaxat 1631. coronidem adepta.

Tot Religioſorum pietatem æmulantur ſacræ Deo Virgines per ſeptem Urbis Parthenones diſtributæ. Antiquitate præſtat S. Jacobi Templum, quod nonnulli

(a) Deſcrip. Auſtr.

(b) Specul. hon. l. 2. c. 3.
(c) Deſcrip. Auſtr.
(d) Chron. Vie. l. 3. c. 3.
(e) Anna. Auſt. l. 3.

à Leopoldo Largo Auſtriæ Marchione anno 1113. ædificatum volunt, anſam ei, ùt ferunt, porrigente S. Jacobi, quæ torrentis Viennæ aquis innatans ad ejuſdem ripam ſpatianti occurrerat; alii verò cum Lazio (a) ſub Duce Leopoldo Virtuoſo anno 1190. illius exordia autumant contigiſſe: Acceſſêre poſtmodum Matronæ quædam ex Carinthia huc profectæ, & D. Auguſtini regulam amplexæ. S. Claræ Monaſterium ad cœli portam vulgò Himmelport dictum, cui Catharina Alberti II. Archiducis filia aliquando præfuit, anno 1267. à M. Gerardo Viennenſi Parocho S. Norberti Monialibus erectum, ampliavit anno 1331. Agnes Auſtriaca Andreæ Hungariæ Regis uxor, incolatu verò ſuo nobilitavit Anna Friderici III. Imperatoris filia, & Poloniæ Regis vidua; verùm iis admodum imminutis Cardinalis Cleſelius S. Auguſtini Canoniſſas ſuffêcit. S. Laurentii Templum, ac Cœnobium Archidux Otto anno 1337. quorundam Monialium habitationi addixerat, quarum deficientium vices expleverunt aliæ D. Auguſtini legibus obnoxiæ è ſuburbano ſaltu, quem vulgò Prater dicimus, huc translatæ. Ad S. Nicolai Ferdinandus II. Imperator ſuadente piiſſimâ conjuge Anna Eleonora Sanctimoniales ex Ordine D. Claræ Poſonio adductas collocavit, monaſterio dein anno 1651. ampliùs dilatato: extiterat ibidem priùs pauperum ſtudioſorum Collegium, cui Joannes Fabri Viennenſis Epiſcopus Bibliothecam his terminis legavit. *Donamus Collegio noſtro apud S. Nicolaum, ordinamuſq; ut in perpetuum ſtudentibus uſui ſit juxta ſtatuta & præſcripta noſtra. Actum Viennæ I. Septembris anno 1540.* Regium ad S. Angelos Cœnobium ab Eliſabetha Auſtriaca Caroli IX Galliæ Regis vidua, Caroli Antonii Archiducis Aulâ in eum uſum coëmptâ, anno 1583. fundatum ingreſſæ ſunt Moniales Ordinis S. Claræ Monachio ab eadem accitæ. S. Joſephi Monaſterium Fundatricem agnoſcit Eleonoram Ferdinandi II. Cæſaris conſortem, quæ illud ſacris Carmeli Virginibus unà cum ſuis exuviis concredidit. Demum Urſulinæ ab Eleonora Ferdinandi III. Imperatoris conjuge Viennam invitatæ, anno 1675. Templum, & Monaſterium ſibi erexêre.

(a) Chron. Vie. l. 2. c. 2.

Superſunt omiſſis tenuioribus Sacellis vetuſtate ſua celebria Templa S. Petri, & S. Ruperti, nec non S. Joannis Baptiſtæ, & S. Eliſabethæ, quorum hoc ad Theutonicos Equites, illud ad Melitenſes pertinet; at dum majorem eis ætatem, quàm temporum, locorumque ratio patiatur, plures Lazium (b) ſecuti arrogare contendunt, veram illorum originem aſſequi neglexerunt. Certè eruditiſſimus Lambecius (c) *anile commentum, & prolixiori refutatione indignum* vocat Meriani ſententiam arbitrantis Viennenſe S. Petri Templum à Carolo Magno fuiſſe eo in loco excitatum, in quo olim ſuper Flavianas Aras Domitiano Cæſari litabatur: hujus interim opinionis infirmitas, utì & alterius hariolantis, reliqua tria prædicta Templa S. Severini opus eſſe, facilè elici poteſt ex iis, quæ de Viennæ ortu, veterique nomine, quantum præſcripta brevitas ſinit ſuperiùs diſſeruimus. Magnam quoque antiquitatem ſibi vendicat Templum Deiparæ ſacrum, quod cum addita Parœcia à quodam Paſſavienſi Antiſtite, cujus Diœceſi etiamnum ſubeſt, ædificatum olim à littore am Geſtadt, modò verò à gradibus cognomen ſuum mutuatur. Templis ſubnecto bina Auguſtiſſimæ pietatis monumenta, æneam ſcilicet Immaculatæ Virginis ſtatuam ſuper editam columnam in antiquatæ Aulæ foro ab Imperatore Leopoldo Magno anno 1667. erectam, & parem Ægyptiacis obeliſcum ab eodem Auguſtiſſimo Cæſare ſolemni primi lapidis poſitione in herbario foro anno 1682. inchoatum, & decennio pòſt ſolemniori adhuc ritu tanquam ſopiti epidemici morbi, qui anno 1679. in Urbem ſævierat, anathema Sanctiſſimæ Triadi conſecratum.

(b) Chron. Vienn. l. 2.

(c) Bibl. l. 2. c. 1.

Neque deſunt ſacra Suburbiis Palladia; complectitur enim Leopoldina Civitas Danubianæ Inſulæ ad Boreale Viennæ latus inſidens Parœciam D. Leopoldo ſacram à Leopoldo Magno anno 1670., pulſis indè Judæis reſtauratam; Diſcalceatorum Carmelum à Ferdinando II. Cæſare exſtructum; & Fratrum S. Joannis Dei Noſocomium cum S. Joannis Baptiſtæ Templo à Matthia Imperatore primùm erectum, dein poſt anni 1652. incendium à Ferdinando III. in meliorem formam redactum, & ab Auguſtiſſimo Leopoldo Sancti eorum Patriarchæ brachiô ex Hiſpaniâ ſubmiſſô ditatum. Extra Hungaricam, ſeu Stubenſem portam Orientem versùs obviat in via regia inſigne Templum cum Divi Auguſtini Eremo in SS. Sebaſtiani, & Rochi honorem anno 1542. à Ferdinando III. condi cœptum, ſed poſt atroces anni 1656. flammas, & Turcarum Viennam ultimò obſidentium barbariem his proximis annis longè ſplendidiùs renovatum. Ab Auſtro Urbem coronant Templum cum Monaſterio Minimorum D. Franciſci de Paula, qui anno 1624. ex conſenſu, & munificentia Ferdinandi II. ibidem Sedem fixerunt; S. Joſephi Templum cum antiquiorum Carmelitarum Cœnobio, qui poſt abſentiam ſeculo diuturniorem anno 1661. Viennam re-

regreſſi ſunt; Collegium PP. Piarum Scholarum ab anno 1698. ibi aſſurgens; & miraculis clara Beatiſſimæ Virginis Auxiliatricis Eccleſia à Clericis Regularibus S. Pauli adminiſtrata. Ad Occaſum deflectentibus occurrit S. Udalrici Paroecia, Capucinorum Aſceterium; Monaſteria item Benedictinorum de Reformatione, & Patrum Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum, qui huc ex Hiſpania transmigrârunt; & hi quidem paucis ab hinc annis, patrocinante iis Auguſtiſſimo Leopoldo; illi verò anno 1633. Ferdinando II. Fundatore. Totum denique Urbis ambitum non procul à Danubio claudit Servorum Beatæ Virginis, qui jam ab anno 1639. ſe inibi collocârant, Templum, & Cœnobium ab Octavio Piccolomini Amalphitano Duce anno 1651. à fundamentis excitatum.

A Cœleſtis Monarchæ Ædibus ad terreſtris Aulam deſcendere lubet: Hanc à Duce Leopoldo Glorioſo, utì diximus, illi, quo modò gaudet, ſolo primùm impoſitam magnificentiùs innovavit, vel ùt contra pleroſque ſcribit Lazius, (a) primus ibi eandem erexit Ottocarus Bohemiæ Rex, eam nimirum partem, quæ ab Auguſtiſſimo Cæſare hodie incolitur; reliquum enim eſt proximè elapſi ſeculi additamentum ab anno 62. inchoatum. Illuſtrant Cæſaream Aulam ditiſſimus theſaurus ob ſingularem gemmarum copiam ſimul & raritatem Europæorum facilè primus; excellentium pictorum labores ab Archiduce Leopoldo Guilielmo plurimùm collecti, atque in variis appenſi conclavibus, quæ uno Galleria, ſeu Kunſt-Kammer nomine vulgò indicantur; & nobiliſſima Bibliotheca 10. manuſcriptorum, & 90. typis editorum voluminum millibus locupletata. Magno ſimiliter decori Urbi ſunt inſtituta adminiſtrandæ Reipublicæ Dicaſteria, quorum præcipua præter Viennenſis, & Paſſavienſis Diœceſis, atque Univerſitatis Conſiſtoria, decem recenſentur, videlicet Conſilium Imperiale Aulicum, in quo Romano-Germanici Imperii cauſæ diſcutiuntur; Tribunal Aulæ Mareſchalli, quod aulicis Miniſtris, & Officialibus, atque Conſilium bellicum, quod militibus moderatur; item Regimen; Camera, in qua fiſci rationes procurantur; Provinciæ Comitia, quæ è ternis Prælatorum ſcilicet, Dominorum, & Equitum Statibus coaleſcunt; Cancellaria Aulica, Bohemica, & Ungarica; Civicus denique Senatus, cui Cives omnes, & reliqui nullo privilegio exempti ſubduntur. Memoratu quoque digna ſunt bina Armamentaria, Cæſareum unum, Civicum alterum omni militari apparatu apprimè inſtructa, ſed ne juſtò prolixior ſim, à pyrio pulvere ad ſcholaſticum divertam.

(a) Chron. Vien. l. 2. c. 2.

Fridericus II. Imperator Viennam, utì ſuprà retuli, ingreſſus in diplomate dato anno 1237. volens *commodo ſtudio provideri, per quod prudentia docetur in populis, & rudis ætas inſtruitur parvorum* aperiendæ ſcholæ facultatem Viennenſibus impertiit, ſed quæ, prout ex Academicis Alberti III. privilegiis, præſertim ex Rubrica 38., aliisque infrà dicendis colligitur, ultra humaniores literas, & Philoſophicas ad ſummum diſciplinas ſe nequaquam extenderet. Erecta autem fuit hujuſmodi ſchola apud primariam S. Stephani Eccleſiam, cujus curæ, & diſpoſitioni ſcholæ aliæ minores apud S. Michaëlem, & in Xenodochio ſubjacebant, quæ omnes in præcitatis privilegiis antiquæ, reſpectu nimirum Univerſitatis, vocari conſueverunt. Etenim hujus primam inſtitutionem luculentè exhibet Urbani V. Summi Pontificis diploma datum Avenione 19. Junii anno 1365. ex Cæſarea Bibliotheca à Lambecio (b) erutum, publiciſque juris factum, cujus verba, omiſſis pluribus interjectis ad rem noſtram non pertinentibus, ita ſonant: *Cùm itaque ſicut nuperex parte dilecti filii Nobilis Viri Rudolphi Ducis Auſtriæ fuit propoſitum in Conſiſtorio coram nobis, ipſe Dux in Villa ſua Viennenſi Patavienſis Diœceſis plurimùm deſideret fieri, & ordinari per Sedem Apoſtolicam ſtudium Generale in qualibet licita facultate, Nos authoritate Apoſtolicâ ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut in dicta Villa de cætero ſit Studium Generale, tam in Juris Canonici, & Civilis, quàm in alia qualibet ſcientia, præterquam Theologica Facultate.* Fuit is Rudolphus hujus nominis quartus anno 1365. 31. Julii Mediolani defunctus, à quo exorienti Univerſitari præter antiquas ſcholas in priſtinis ſtationibus tunc perſeverantes, aſſignatum fuit amplum in Urbe ſpatium, quod aliqui penes S. Auguſtini Ædem, alii ſecus alterum Aulæ latus versùs Scotorum portam deſcribunt. Statuit præterea idem Rudolphus, ut Canonicorum ad S. Stephanum Præpoſitus Academici Cancellarii munere conſtanter fungeretur; unde liquet Wernherum omnium primum utramque dignitatem obtinuiſſe. Rudolphi ſucceſſor, & frater Albertus III. cognomine Cum trica etiam Theologicam Facultatem unà cum priorum confirmatione ab Urbano VI. Summo Pontifice impetravit, uti manifeſtò patet ex hujus diplomate dato Neapoli anno 1384., die 20. Februarii, quo itidem anno idem Albertus Univerſitatis ſtatuta, & privilegia pene ad verbum ex Pariſienſibus deſumpta condidit, atque advertens

(b) Bibl. l. 2. c. 5.

publica ſtudia aulico ſtrepitu interpellari, Academiam transtulit ad pacatiorem locum Prædicatorum Cœnobio proximum, comparatis ad hoc vaſtiſſimis ædibus, quas olim Templarii incoluerant, prout refert in Rectorum catalogo Georgius Eder & ipſe Magnificus Rector per primum anni 1559. ſemeſtre; eſtque id longè veroſimilius Fuggeri, (a) Laziique (b) opinione attribuentium Academiæ translationem Rudolpho IV., ejus verò apud Aulam erectionem Alberto II., utpote cum reliquis certiſſimis actis nullatenus cohærente. Quòd autem prima genuinæ Univerſitatis fundatio Archiducibus Rudolpho IV., & Alberto III. debeatur, non Friderico II. Imperatori, ùt prætendere videtur cum ſuis aſſeclis (c) Lazius, (d) licet ex hucuſque adductis abunde conſtet, ſtabiliri poteſt non tam ex Cuſpiniano, (e) & Auſtriaca Gerardi de Roo (f) hiſtoria accuratiſſimè contexta, quàm ex privilegiorum proëmio, in quo Albertus III. ita præfatur. *Sancti Spiritûs admonitione in memoriam revocato, quod dudum aliàs in annis minoribus conſtituti, unà cum Sereniſſimo quondam Principe Germano noſtro dilectiſſimo, Domino Rudolpho celebris memoriæ Duce Auſtriæ, &c de gratia quoque, conceſſione, & indulto Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Urbani Quinti felici auſpicio ereximus, & dotavimus rite, & legitimè publicas, & privilegiatas ſcholas, & ſtudium Generale in Oppido, ſeu Villa noſtra Wiennenſi, indignum arbitramur, &c.* item ex ipſorum privilegiorum rubrica, cui hic præfigitur titulus: *Concluſio Ducis Alberti Fundatoris*; quam concluſionem excipiunt ſtatutorum, ac privilegiorum approbationes à Leopoldo Probo Alberti fratre, Pilgrino Archiepiſcopo Salisburgenſi, Joanne Paſſavienſi Antiſtite, Auſtriæ Proceribus, Civibuſque Viennenſibus factæ, in quibus Univerſitatis fundatio, & erectio Alberto III. expreſsè adjudicatur. Illius porrò dignitates cumulavit Fridericus IV. Imperator decretâ præſtantioribus Poëtis laureâ, quâ omnium primus Conradus Celtes redimitus eſt. Fundatâ ſic Academiâ accurrêre magno affluxu longinquæ etiam nationes per ſeptem Burſas, ſeu ſtudentium domicilia diſtributæ, quæ, ut ſuorum commoditati conſulerent, Viennenſes, Auſtriaci, Styri cum Salisburgenſibus, Suevi cum Wirtembergicis, Sileſitæ, Carinthi, atque Hungari intra Urbem comparaverant: ad quatuor tamen ſolummodò Nationes, in quas tota diſcriminatur Univerſitas, nempe Auſtriacam, Rhenanam, Hungaricam, & Saxonicam tum ii, tum cæteri omnes referuntur. Hujus itaque Antiquiſſimæ, ac Celeberrimæ Univerſitatis primus Rector à prælaudato Eder ſtatuitur ad annum 1377. Joannes de Randegg Conſtantienſis, & Auguſtanæ Eccleſiæ Canonicus, cui ſubnectuntur reliqui uſque ad annum 1628. ſemeſtres, deinceps annui. Interea autem anno 1622. ſub Magnifico Domino Rectore Guilielmo Rechperger, jubente Ferdinando II. Cæſare, Collegium Archiducale, Schola Provincialis, Pauperum Contubernium, ſive Aureus Mons, Domus Facultatis Philoſophicæ, & quinque Burſæ Societati Jeſu ſunt tradita, ut hęc eorum ſpatio ad Collegium cum ſcholis, Temploque ſibi erigendum uteretur. Burſarum locò cenſeri modò poſſunt quatuor ſtudioſorum Collegia, ſeu Seminaria, hoc eſt Convictus ad S. Barbaram ab Apoſtolici Nuntii domo ad Lycei viciniam translatus unà cum Clericis Gregorii XIII. Papæ alumnis: Collegium Pazmanianum à Petro Pazmany è Societate Jeſu S.R.E. Cardinali, & Strigonienſi Archiepiſcopo, Epiſcopis item Jaurinenſi, & Nitrienſi pro ſuarum Diœceſium Clero erectum: Seminarium SS. Ignatii, & Pancratii ex variis quoque veterum Burſarum fundationibus conflatum: Collegium Croaticum à Venerabili Zagrabienſi Capitulo pro ſuis Clericis inſtitutum: quæ omnia ultimô exceptô, Societatis Jeſu curæ, atque adminiſtrationi ſubjiciuntur. Luſtrata Metropoli per amœniſſimos Auſtriæ campos tandem calamus exſpatietur.

(a) Spe. ho. l. 3. c. 8.
(b) Chron. Vienn. l. 3. c. 2.
(c) Fug. ſpe. hon. l. 8. c. 8.
(d) Chron. Vien. l. 3. c. 2.
(e) Deſcrip. Auſtr.
(f) l. 4. Ann. Auſtr.

AGGSPACENSIS CARTHUSIA.

AGgſpacenſem Carthuſiam, quam cognominis rivus Danubio paulò pòſt hauſtus non multùm infra Melicium fundâſſe fertur anno 1386. Hadericus de Meſſau Auſtriæ Mareſchallus, illique Portæ S. Mariæ nomen inditum fuiſſe teſtatur Petrus Dorlandus, qui ducentis abhinc annis ſcripſit, mox ſubjungens futuram hujus Eccleſiæ erectionem, antequam fundator eam meditaretur, Matronę cuidam divinitus manifeſtatam, quę etiam ſibi videbatur campanam inibi pulſando confregiſſe. Hujus rei conſummatô jam ædificiô certior factus Hadericus Matronam ad tentandum campanæ pulſum acciri voluit, quæ illicò diſſiliens præſagium eventu comprobavit.

ALTENBURGENSE COENOBIUM.

ALtenburgenſe Ordinis S. Benedicti Cœnobium non procul à Kampo fluvio,

vio, quem ad Moraviam accedens ab Auſtro relinquit, extruxêre anno 1144. Hildeburgis de Rebigau Gebehardi Comitis de Buige conſors ejuſque filius Hermannus de Buige itidem Comes.

ANISIA.

ANiſia ſive Anaſum, aut Anaſſianum vulgò Enſs elegans Urbs, & Superioris Auſtriæ Archiducalis, lævo Aniſi fluvii lateri non procul ab ejus oſtio inſidens, & ternis milliaribus Linciô in Ortum recedens, exiguum duntaxat veſtigium eſt celeberrimæ Urbis duo paſſuum millia in diametro extenſæ, cujus nomen Laureacum (vel potiùs Lauriacum, utì plura monumenta exprimunt) à literis laureatis dimanare, licèt in Theodoſii Codice repererit, explodit Velſerus, (a) & poſt eum Cluverius, (b) aliique: credidit tamen Lazius, (c) quaſi eas victoriæ nuncias accepiſſet Imperator M. Aurelius Antoninus, dum Marcomannicum bellum gerens ibidem commoraretur, ubi evidenter is author fallitur, Carnuntum cum Lauriaco ineptiſſimè confundens, non minùs, quàm cùm ob unicam inſcriptionem perperam deſcriptam Urbem hanc ab eodem Cæſare primò conditam arbitratur: eam enim antea floruiſſe ex mox dicendis manifeſtè eluceſcet. Tolerabilior eſt Cuſpiniani opinio, (d) vocem Laureacum à S. Laurentio primo illius Epiſcopo deducentis, quamvis & huic annuere nequeam, cùm ſic nullâ urgente ratione erroris, vel ſocordiæ arguantur vetuſti annales, qui S. Laurentium Laureacum à S. Marco ablegatum referunt; aliud ſiquidem Urbi nomen tunc fuiſſe oporteret. Tertiam init viam, & quidem meô judiciô veritati proximam Lambecius (e) Cluverium ſecutus, dum Lauriaci etymon â torrente Laurone derivat, qui mediam olim Civitatem diſſecuit, nunc vulgò Laurbach, vel Lorbach dictus penes pagum, cui Lorch nomen Danubio miſcetur, illamque ab indigenis Laurich, vel Lorich antiquitus appellatam ſuſpicatur; quare adventantes Romani patriâ inflexione Lauriacum enunciaverint, prout in Juliaco, Vitelliaco, Abudiaco, aliiſque compluribus feciſſe deprehenduntur. Compertum porrò eſt Romanorum Coloniam olim Lauriaci extitiſſe, & quidem ſub Octaviani Auguſti Imperio eò deductam, quod ex erutis inſcriptionibus dilucidè habetur; in his quippe Colonia Lauriacenſis Aug. id eſt Auguſta cognominatur, ùt Janus Gruterus legit, non Aur. id eſt Aurelianenſis, ùt Lazio, & nonnullis aliis videtur. Cæterùm præcipuum inter Norici Urbes locum eam obtinuiſſe ſuadet tum Danubianæ Claſſis, ac legionis ſecundæ, non tertiæ Italicæ Præfectorum Sedes, tum Archiflaminum Metropolis, unde fuſis latè accolis ſacrum jus dicebant, ibidem inſtituta; quorum primum ex utriuſque Imperii Notitia, atque ex lapideis inſcriptionibus duce Dione Caſſio (f) meliùs elucubratis didicimus; alterum verò Melchior Inchoffer (g) iiſdem pene terminis aſſeverat. Demum veterem Urbis ſplendorem, ac majeſtatem loquuntur tot cælata marmora, atque inciſa monumenta à temporis ingluvie, & barbarorum ſævitiâ diutiſſimè ſubducta, quæ ante centum, & plures annos ſe inſpexiſſe Pighius affirmat, modò verò vel ædificiis inſerta, vel aliô fatô, non levi eruditionis diſpendio evanuerunt. Superſunt tamen etiamnum plura antiquitatis teſtimonia, quæ in effodienda humo ſæpius offenduntur, ita ut Lambecius (h) ſeptem abhinc luſtris unâ tantùm die ſupra centum antiqua numiſmata partim argentea, partim ænea ſe ab agricolis redemiſſe fateatur. Verumtamen longè clariùs Lauriacenſis Urbis gloria inde emicat, quod ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Orthodoxæ fidei lacte per primos Apoſtolorum aſſeclas inſtillato fuerit enutrita; conſonô enim tum veterum, tum plurium recentiorum ſuffragiô certò conſtat, S. Petri Apoſtolorum Principis juſſu, ac authoritate à S. Marco Evangeliſta Aquileiæ reſidente, vel ad ſummum à S. Hermagora ejus diſcipulo, quem ſibi ibidem ſubſtituit, Laurentium quemdam ad id muneris miſſum eſſe Lauriacum, ubi primus illius Epiſcopus à multis fertur initiatus: Quod ſub annum Chriſti 60. contigerit neceſſe eſt, integro videlicet ſeculo, antequam Marcus Aurelius Antoninus Imperium adiret; unde quæ de Lazii laureatis literis, & Colonia Auguſta potiùs, quàm Aurelianenſi ſuperiùs attulimus, ſolidiſſimè roborantur. Laurentio inter Cœlites relato Laureacenſes beneficii memores Templum poſuêre, extra Aniſiæ muros cum annexa Parœcia adhuc hodie ſuperſtes. Plantatæ itaque Eccleſiæ alii deinceps præerant Antiſtites, ordinis tamen ratione tenebris involuta. Inter hos ſanctitate eminebant Maximilianus, & Quirinus, quem Philippi Senioris primi inter Cæſares Catholici filium quidam exiſtimant, & cum Siſcienſi Epiſcopo confundunt. Peculiari quoque memoria dignus eſt Jerardus, ad cujus tempora pertinet, quod in vetuſto, & hactenus inedito Archiepiſcoporum Lauriacenſium catalogo ſe legiſſe narrat Lambecius (i) his verbis conceptum: *Anno Domini CCL. Philippus cum Philippo filio ſuo regnat. Is Philip-*

(a) Rer. boi. l. 3.
(b) Opus de Vin. & Nor. c. 5.
(c) Chron. Vi. l. 2. c. 3.
(d) Deſcrip. Auſtr.
(e) Bibl. l. 2. c. 8.
(f) li. 55.
(g) Appar. ad Ann. Hung.
(h) Bibl. l. 2. c. 8.
(i) Bibl. l. 2. c. 8.

pus Cæſar Pannoniæ Superioris, & Inferioris, ac etiam Mœſiarum fuit Dominus, qui Archiepiſcopum Laureacenſem, qui uſque ad ſua tempora pauper fuerat, divitiis, & opibus exaltavit. Attamen tenuia hæc fidei germina Martyrum ſanguine fuerunt irriganda, ut radicibus altiùs defixis, etiam latiùs efflorescerent; etenim refert ex Bruſchio Inchoffer 40. S. Quirini ſocios ſacrarum literarum ſtudio Lauriaci vacantes, fame eo in loco enecatos, quem Minorum Cœnobio incluſum Romanorum carcerem appellant, Evangelii veritatem gloriosâ morte obſignâſſe; quam hiſtoriam paululum variat Brunnerus, (a) dum ait, circa annum 297. 40. laureas nihilo inferiores iis, quæ cœlo lapſæ 40. Sebaſtenos Martyres coronârunt, Laureacenſem agrum 40. militibus impoſuiſſe: quorum generoso exemplo impulſus D. Florianus Aquilino Norici Ripenſis Præſidi in hac Urbe degenti ultro ſe obtulit Chriſtiani nomen palàm profeſſus; quare fuſtibus ſemel, iterumque acceptus, & ſcapulas ferro confractus, Aniſo flumine ſubmerſus eſt, feruntque lictorem, qui ſuſpenso de cervice ſaxo Martyrem in aquas præcipitavit, illico oculis orbatum, ſacrum verò corpus neque mole ſua, neque molaris pondere depreſſum, fluctibus etiam poſt mortem innatâſſe, donec à religioſa quadam fœmina fuerit tumulo illatum. Florentem poſthac ſub Chriſtianis Imperatoribus Lauriacenſem Eccleſiam Scythicus turbo anno circiter 450. fœdè proſtravit, Urbe ſcilicet ab Hunnis funditus everſa; ſed paulò pòſt revirentem metropolitica dignitate, conceſſo pallii uſu, condecoravit Symachus Papa anno 498. ad Pontificatum evectus, uti in ejuſdem Pontificis epiſtola ad Theodorum Archiepiſcopum data videre eſt: ſæva tamen rurſum procella ab ethnicis hoſtibus ſuſcitata ſub annum 570. Lauriacum oppreſſit; quapropter & Chriſti fides languebat, donec anno 616. à ferventi S. Ruperti zelo, pleriſque à vana Deorum ſuperſtitione revocatis, teſte Velſero (b) fuerit priſtino vigori reſtituta, Philone vel tunc, vel non multò tardiùs Archiepiſcopalem hujus Urbis Cathedram obtinente. Ortâ dein inter Gerardum Lauriacenſem, & Heroldum Salisburgenſem Antiſtitem de finibus controverſiâ, ſummus Pontifex Agapitus II. anno 946. Eccleſiæ clavo admotus in data ad primum epiſtola illam his verbis diremit: *Conſtat quidem, quod Canonicè ſingulis provinciis ſinguli ordinantur Metropolitani, proinde diſtribuere, atque ordinare ita vobis parochias, bonum, & pacificum æſtimamus, ut diviſis duabus Noricæ regionis provinciis, Heroldo Archiepiſcopo occidentalis Pannoniæ cura committatur, & cuſtodia; tibi autem, ſucceſſoribuſque tuis propter emeritam antiquitatem ſanctæ Laureacenſis Eccleſiæ, cui jure juniorum reverentia aſſurgit, in benedictionis & ſedis ordine Prælatis, atque Præpoſitis providentiam orientalis Pannoniæ, regionemque Avarorum, atque Maraharorum, ſed & Slavorum, qui modò Chriſtiani, vel adhuc per baptiſma Chriſto lucrandi ſunt, circumquaque manentium credimus, noſtramque Apoſtolicam vicem in illis partibus prædicandi, & pro arbitrio veſtro, ubi opus eſt Epiſcopos conſtituendi, omniaque diſponere, atque ordinare tali authoritate, atque poteſtate delegamus, ac ſi ipſi præſentes affuiſſemus. Quod ſi jam dictus Heroldus Archiepiſcopus deinceps, ſuorumque quiſpiam Succeſſorum minimè diffinito limite contentus, ſed interdictam, atque à ſua poteſtate ſeparatam Diœceſim repetere pervicaciter conatur, nec à prohibitæ contentionis ſchiſmate per iſtas noſtras Apoſtolicas traditiones, atque determinationes compeſcitur, ipſe etiam piè conceſsâ dignitatis munificentiâ penitus privetur, atque ſecundùm jus priſtinum Superior Pannonia continuetur Inferiori, atque tuæ, tuorumque Succeſſorum ambæ perpetualiter ſubjaceant ditioni.* Repullulante rurſus diſſidio, jurium ſuorum confirmationem à Piligrino Lauriacenſi Archiepiſcopo, & ferventiſſimo Hunnorum Apoſtolo imploratam Benedictus VII., quo anno 975. D. Petri Cathedram conſcendit, non tantùm illi eſt impertitus, verùm etiam ejuſdem Archidiœceſim Ottoni II. Imperatori, omnibus Germaniæ Archiepiſcopis, Ducique Bavariæ Henrico ſpeciali epiſtola commendavit, quam tanti fecit Otto, ut novis prædiis, & fundis illius Eccleſiæ patrimonium continuò cumulârit. Memoratas hactenus epiſtolas commentariis ſuis inſeruêre Lambecius, (c) Inchoffer, Lazius, aliique, ad quos recurrere lector poterit fuſiorem horum notitiam hauſturus. Quod autem ad præſentis Urbis ſtatum attinet, fertur ea inprimis originem ſuam ducere ab anno circiter 900., quo Ludovicus Rex, Arnulphi Cæſaris filius arcem, cui Ensburg nomen, ibidem ſtruxerat; additque ex Lazio Merianus, (d) eandem ad Dominos ab Ens, & Spilberg quondam ſpectantem ab eorum poſtremo Eberhardo Rudolphum I. Imperatorem 600. argenti pondo comparaſſe, quibuſdam Florianenſis Præpoſiti prætenſionibus ſimul extinctis, & permiſſo Paſſavienſibus Epiſcopis jure Aniſienſem Archidiaconatum conferendi: interim extra controverſiam tamen eſt apud Gerardum de Roo, (e) Urbem hanc primam fuiſſe, quæ eundem Rudolphum ad ſubigendam

(a) Rer. boi. li. 4.

(b) Rer. boi. li. 4.

(c) Bibl. l. 2. c. 8

(d) Topog. Auſt.

(e) Ann. Auſt. l. 1.

Au-

Auſtriam cum exercitu progredientem, reſeratis à Sumeruno illius Præfecto foribus, pronò animò excepit. Experta quoque eſt Aniſia Hunnorum locò, qui Lauriacum deleverant, furentium Ruſticorum veſaniam, qui in eam anno 1626 aſtu dicuntur irrupiſſe. Denique ſilentiò prætereunda non eſt alta fori turris, in qua inſcriptio proſtat his verſibus comprehenſa.

Aſpicis exiguàm, nec magni nominis Urbem,
Quàm tamen æternus curat, amatque Deus.
Hæc de Laureaco reliqua eſt: his Marcus in oris,
Cum Luca Chriſti dogmâ profeſſus erat.

BADENA.

BAdena vulgò Baden Civitas eſt Archiducalis, 4. milliaribus ſecus montium radices Viennâ in Meridiem recedens, quam Cluverius (a) non vanè autumat eandem eſſe cum Pannoniis Aquis inter Vindebonam, & Scarabantiam ab Antonino collocatis. Nomen à thermis mutuatur frequenti adventantium affluxui perpetuò patentibus; quarum aqua modicè alumine, plus ſale, maximè verò ſulphure imbuta plurimis ægrotis opitulatur.

(a) Opuſ. c. de Vin. & Nor. c. 5.

CAMPILILIUM.

CAmpililium vulgò Lilienfeld opulentiſſimum Ciſtercienſis Ordinis Monaſterium denominat, 8. Viennâ milliaribus in Zephyronotum diſtans, quod à quodam Salisburgenſi Præſule S. Andreæ ſolemniter dicatum, datis amplis proventibus anno 1206. fundarunt Leopoldus Glorioſus Auſtriæ Dux, ejuſque conſors Theodora Emanuelis Comeni Conſtantinopolitani Cæſaris filia, ut Wichardus de Polhaim Archiepiſcopus Salisburgenſis anno 1315. vitâ functus apud Lambecium (b) teſtatur, non tantùm conſanguinea, quod multò poſterior author Cuſpinianus (c) contendit. Leopoldi oſſa ex Apulia, ubi fato ceſſit, inteſtinis in monte Caſſino ſepultis, huc advecta in monumento, quod in Eccleſiæ choro eminet, conduntur.

(b) Diar. Itin. Cell. Seg. 22.
(c) Deſcrip. Auſt.

CELLA.

CElla duplex eſt Auſtriæ Cœnobium; unum Inferioris Cella Mariæ appellatum, & ſacro Benedictinorũ Ordini ab Henrico, & Rapoldo de Schwarzenberg anno 1336. erectum: alterum Superioris, quod 4. infra Paſſavium milliaribus præterfluens Danubius dextrorſum relinquit, Angelorum Cella vulgò Engelhartszell dictum, & à Bernardo Prambachio Paſſavienſi Antiſtite anno 1293. Ciſtercienſibus fundatum.

CETIUS MONS.

CEtius, non Ceſius, nec Cæſius, mons eſt veteribus celebris, qui juxta Ptolomæum Pannoniam à Norico eâ ætate diſſecabat; quapropter hoc nomine non primum tantùm ejus jugum indicatur, quod à dextro Danubii littore ſurgens vulgò Kalenberg audit; verùm etiam tota ea montium catena, quæ indè ad Savum uſque per 50. circiter milliaria protenditur; ſub eadem proinde appellatione veniunt Caumberg, Annæberg, Sauruſſel, Teufelſtaig, Golach, Schneberg, Simmering, & quidquid demum uſque ad deſcriptum terminum interjacet, quem etiam à Germanis Kalenberg nuncupari pereruditus Schönleben atteſtatur. Veruntamen aſſentiri cogimur, Cetii verticem ad Danubium prominentem reliquos omnes celebritatis ſuæ fulgore offuſcare; namque Romanis hiſce Regionibus primùm potitis, is maximè idoneus viſus eſt, ex quo veluti ex ſpeculâ tum navibus ex Norico in Pannoniam defluentibus, tum maximè Germanis hoſtibus in adverſa ora degentibus invigilarent; quare munimentum ei priùs ſuperſtructum ſubſecuta eſt Colonia Aelia Cetienſis P. Aelii Hadriani Imperatoris juſſu ad ſubjectum clivum, ubi modò Pagus Kalen ſitus eſt, à Romanis deducta, cui ad ejuſdem Cæſaris honorem adoptivus ejus filius, ac ſucceſſor Antoninus Pius Aelianum Flaminem cum Aelianis ſodalibus adjecit, quod effoſſa monumenta à Jano Grutero, & Lazio excuſa poſteris prodidêre: & quidem Urbem Cetium, ſeu Cetiam ibidem viguiſſe luculentè declarant non tam S. Floriani acta, ex quibus etiam certiores fimus S. Martyrem Tribuni, ſeu Centurionis munus in ea adminiſtrâſſe, quàm Peutingerianæ Tabulæ, in quibus Vindobonâ in Occaſum proficiſcentes poſt 6. paſſuum millia, hoc eſt Germanicum ſeſquimilliare illam obviam habuerunt; unde patet veritati minùs conſentaneam eſſe Lazii ſententiam, Cetiam, ubi nunc Zeislmaur, quod longiùs abeſt, collocantis, & merâ qualicunque vocis affinitate more ſuo perſuaſi. His verò prærogativis temporis vetuſtate expunctis, novum monti Cetio acceſſit decus, quando S. Leopoldus Auſtriæ Marchio ad Orientalem terræ tractum à ſe primò

ſubjugatum contra Hungaros propiùs tuendum, nobili arce illius apicem coronavit, ubi nimirum Sacellum eidem Sancto dicatum ad perpetuam rei memoriam hodie cernitur, quod unà cum propinqua Camaldulenſium Eremo non levem huic monti celebritatem etiamnum adſciſcunt. Atque hæc fuêre decora, quæ Cetii in Pannoniam ſe demittentis latus illuſtrârant; ſi enim ſuperatô jugô per Occiduam ejus declivitatem, in Ripenſe Noricum deſcendamus, obviabit in eo diſtrictu, quantum Eugippii indicia nos conjicere ſinunt, antiqua Flaviana, ſive Faviana cum Plinii Flavio fortaſſis coincidens, pro qua Epiſcopos undique emendicat Lazius, (a) & quam Comagenis evocatus S. Severinus dirâ fame, quâ vexabatur, plurimis ex Rhætia ratibus commeatu onuſtis inſperatè appellentibus, divinitùs liberavit, deinde in remotiorem locum, qui ad vineas vocabatur, ſecedens, exiguam incoluit cellulam, ex qua Flavianam divinâ revelatione regredi compulſus, prope Civitatem Monaſterium conſtruxit, quod primum omnium in Auſtria erectorum tutò aſſeremus, à Friderico Favæ Rugorum Regis fratre poſt Sancti obitum barbarè direptum. Verùm qui Eugippii Favianam eandem cum Vindobona Urbem opinantur, pago Siefering Viennæ propinquo illius Monaſterii ſitum adſcribunt, nominis conſonantiâ procul dubio allecti.

(a) Chron. Vien. l. 2. c. 4.

CREMBSIUM.

CRembſium vulgò Krembs Urbs eſt Archiducalis, Boreali Danubii lateri in clivum elevato ad Cremſæ amnis oſtium impoſita, 10. Viennâ milliaribus in Occaſum diſſita, & duplicibus quovis anno nundinis frequentata. Quatuor in ea ſurgunt Templa, quorum primum S. Viti cum notabili turri ab anno 1464. erectâ Urbis Parochus, alterum ſacer Prædicatorum Ordo adminiſtrat, tertium verò Societis Jeſu Collegio â Michaële Adolpho Comite ab Althan fundato, & quartum DD. Philippo, & Jacobo ſacrum Noſocomio adhæret. Bohemos anno 1619 Duce Carpizano hanc Civitatem aggreſſos, fortiter ea quidem repulit, ſed anno 1645. Torſtenſonio Suecorum Archiſtratego ſuccubuit, unicô tamen elapsô annô ad priſtinum dominum poſtliminio reverſa.

CREMIFANUM.

CRemifanum vulgò Krembsmünſter Superioris Auſtriæ Oppidum ob ſplendidiſſimum Ordinis S. Benedicti Cœnobium maximè illuſtre, juxta ſiniſtram alîus Crembſæ amnis ripam, 4. Linciô milliaribus in Auſtrum recedit. Auſpicatus illud eſt in S. Salvatoris honorem anno 777., deducta ex Inferiore Altachio Religioſorum Coloniâ ſub Faterico primo ejus Abbate, Bavariæ Dux Thaſſilo hujus nominis ſecundus, Templumque adjecit per Valdericum Lauriacenſem, ſeu Paſſavienſem, Virgilium Salisburgenſem, & Sinpertum Reginoburgenſem, ſeu Ratisponenſem Antiſtitem conſecratum, ad id ſe cœlitus commonefieri perſuaſus, cum filio ſuo Gunthero ab apro in venatione interempto idoneum in ea, quæ tunc hìc erat, ſylveſtri ſolitudine tumulum delecturus, intempeſtæ noctis ſilentiô cervum è nemore prodeuntem vidit, qui in cornibus faces accenſas geſtaret, nec â loco, cui inſtiterat, divelli poſſet. Quæ præter Velſerum, (b) ac Brunnerum, (c) ex antiquis monaſterii tabulis uberiori calamo extraxit Simon Rettenpacher, (d) paulò pòſt ſubjungens Caroli Magni, Ludovici Pii & Lotharii Cæſarum, Carlomanni & Arnulphi Regum integra diplomata, queis amplæ Thaſſilonis donationes confirmantur, noviſque latifundiis augentur. Adeò floridum Cœnobium circa noni, & decimi ſeculi confinia, præmiſsâ 50. inquilinorum cæde, ab Hungaris direptum centum ad minimum annis ſuis in ruinis ſepultum jacuit; donec undecimô ſeculô ineunte D. Henricus Imperator, S. Gothardo Altachii Inferioris Abbate potiſſimùm hortante, illius inſtaurationem exorſus eſt, Templô ab Engelberto Paſſavienſi Epiſcopo poſt annum 1050. rurſus conſecratô. Verùm non multò pòſt, eô cum Monaſterio flammis abſumptô, fuit tertiò erectum, & â Paſſavienſium pariter Præſule B. Altmanno, Salvatori mundi, Sanctiſque Agapito, & Blaſio anno 1082. ſolemni ritu dicatum. Tot calamitatibus preſſo ſuppetias interim tulêre, ultrò datis, aut reſtitutis prædiis Henricus IV., & Fridericus I. Imperator, Bavariæ Dux Welfo, aliique Principes, quos deîn imitati Rudolphus I. Cæſar, Ottocarus Bohemiæ Rex, atque Auſtriæ Archidux Otto novis illud privilegijs, & gratijs proſecuti ſunt; alternante tamen iterum fortunâ, & proſpera adverſis permiſcente; ſub annum ſiquidem 1480. Oppidum majori ex parte conflagravit, & cætera Monaſterij bona, quod & pleriſque evenit, Auſtriâ tunc hoſtium, ac perduellium tumultibus plurimùm agitatâ, ferrô & igne vaſtabantur. Sedatis hiſce procellis plures Abbates ſplendida ædificia diverſis uſibus deſtinata ſenſim adjicientes, apertis etiam â Gregorio

(b) Rer. Boic. l. 5.
(c) Ann. Boic. l. 5.
(d) Ann. Cremif. l. 2. & 5.

rio Lechnero, qui anno 1558. deceſſit, externæ juventuti ſcholis, auguſtam, quæ hodie eminet, molem ad veſtigium evexêre. Conditæ hìc coluntur ſacræ S. Agapiti Martyris exuviæ ab Hadriano I. Papa Româ tranſmiſſæ, S. Wiſintonis Monachi ejuſdem Monaſterii incolæ, qui ante annum 1080. florebat, & S. Candidæ Martyris ab A. R. P. Emerico ex Venerabili Capucinorum Ordine poſtea Epiſcopo Viennenſi liberaliter donatæ.

S. CRUCIS COENOBIUM.

S. Crucis illuſtre Ordinis Ciſtercienſis Cœnobium, quod peramœni colles, ſaltuſque ambiunt, 4. Viennâ milliaribus abeſt. Conditorem ſuum ab anno 1136. veneratur S. Leopoldum Auſtriæ Marchionem, cui pii hujus operis author fuerat ejuſdem filius Otto Ciſtercienſium legibus in Morimundano Burgundiæ Monaſterio eo tempore obſtrictus. Alium autem natu minimum D. Leopoldi filium Conradum, Abbatis munus ad S. Crucem obiiſſe, Lambecius (a) docet, antequam anno 1148. ad Paſſavienſem, & anno 1146. ad Salisburgenſem Inſulam condignis viam meritis ſibi ſtraviſſet. Communem mortalium anaſtaſim opperiuntur hic glorioſi multorum Principum cineres: præivit illis Erneſtus IV. Conditoris itidem filius, quem ponè ſecuti ſunt, fratres duo Leopoldus Largus, & Henricus Auſtriacorum Ducum primipilus S. Parentis ſui in exædificando Monaſterio, & novis prædiis dotando munifici æmulatores: Acceſſerunt præterea Leopoldus Virtuoſus, Fridericus I., & II. Babenbergenſium Auſtriæ Ducum poſtremus honoratiori ſarcophago donatus.

(a) Diar. Itl. Cell. ſeg. 78.

DROSENDORFFIUM.

DRoſendorffium vulgò Droſendorff, ſpecioſum cum arce Oppidum, quod Teia fluvius Moraviæ, Auſtriæque limes alluit, anno quidem 1278. Ottocaro Bohemiæ Regi ſe ſubmiſit, ſed anno 1620. diuturnam Chriſtiani Anhaltini Bohemorum Ducis obſidionem generoſiùs eluſit, Suburbiis tantùm igne vaſtatis, quod tamen damnum abunde repararunt Urbes Horna, Retza, & Eggenburgum interim à Bohemis amiſſæ.

DUCUMBURGUM.

DUcumburgum vulgò Herzogenburg ad lævam Traſenæ fluvii, qui vernaculè Traſam, antiquitus verò apud Latinos Trigiſamus vocabatur, inter Fanum S. Hippolyti, & Danubium medio ferè itinere occurrens, in dotis partem venerat, quam Leopoldus IV. Auſtriæ Marchio filiæ Eliſabethæ Ottocaro IV. Styriæ Marchioni nuptæ decrevit, ſed unà cum Styria ad Auſtriacos Principes deinde regreſſum. Traditione fertur vetuſtius loco nomen Traſamburgum fuiſſe, quo obliterato hodiernum invaleſcere cœpit à geminis Ducibus deſumptum, quos cujuſdam Auſtriæ Ducis conjux pertranſiens uno partu fuerat enixa. Adjacet illi celebre, & pervetuſtum Canonicorum Regularium Collegium illius loco ſubſtitutum, quod ab Ulrico ex Comitibus Cileæ Epiſcopo Paſſavienſi anno 1112. non procul Hollenburgo in D. Georgii honorem fundatum, exundantis Danubii æſtus labefactarat. In dextro Trigiſami littore huic Oppido ferme è regione opponitur aliud ibidem Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium D. Andreæ à quodam Anglo Principe Henrico, Ottonis III. Imperatoris nomine anno 998. excitatum.

EBENFURTUM.

EBenfurtum Oppidum cum arce juxta Leytam fluvium, muro, foſſiſque cinctum Viennâ ſex milliaribus diſſitum, & à Templariis primò extructum, D. Udalrici lanceâ in Paroch ali ejuſdem Sancti Eccleſia religioſè cuſtoditâ plurimùm gloriatur, eâ quippe armatus S. Præſul teſte Meriano (b) fertur Ethnicos Hunnos hoc in diſtrictu profligaſſe.

(b) Topogr. Auſtr.

EBERSBERGA.

EBersbergæ Superioris Auſtriæ Oppido prope Lincium in dextra Trauni ripa, quæ longo ibidem ponte cum læva jungitur, ædificato venuſta imminet arx à Comite Sichardo Santha, aliàs Sempta, regnante in Germania Ludovico IV. Arnulphi filio, 10. nimirum ſeculo ineunte primitus erecta, ut ab iteratis Hungarorum inſultibus Provinciam tutaretur: cumque idem Comes Bavaricam quoque Ebersbergam poſſideret, conſonum & huic arci nomen indi præcepit: noſtra autem ætate ea Paſſavienſi Antiſtiti obedit.

EBERSDORFFIUM.

EBersdorffium ſplendidiſſimum Cæſarum Palatium autumnalibus feriis deſtinatum uno poſt Viennam milliari inter amœnam nemorum coronam Meridionale Danubii latus illuſtrat. Ejus ſitus plurimùm coincidit cum Antonini Ala Nova Equitum Dalmatarum Romanis merentium

tium ſtatione, & Villa Caji Peutingerianæ Mappæ inſcripta. Adjunctum Oppidum cùm anno 1485. Matthias Hungariæ Rex moræ, quæ in Viennenſi obſidione trahebatur, impatiens cum Prætoriano milite caſtris egreſſus capere moliretur, manifeſtum vitæ diſcrimen illum adiiſſe teſtatur Gerardus de Roo, (a) dum enim in humili quodam tugurio cum familiaribus accumberet, ferreus globus indè evibratus diſjecto pariete penes Regem decidit, qui hinc animo jam commotior Oppidum ſumma vi aggreſſus, in illud perrupit. Non procul ab hoc loco grandis aſſurgit fabrica, quam novam dicunt, ubi Leones, Tygrides, Leopardi, Lynces, Pantheræ, Urſi, Hyenæ, aliaque ejuſmodi juſtæ Principum oblectationi reſervantur.

(a) Ann. Auſtr. l. 10.

EGENBURGUM.

EGenburgum vetus, ac Archiducalis Civitas famoſo Mainhardi monti adjacet, anno 1407. in Civili Auſtriæ bello ab Archiduce Leopoldo IV., & 1485. à Matthia Hungarorum Rege occupata.

FANUM S. FLORIANI.

FAnum S. Floriani Superioris Auſtriæ Oppidum duobus milliaribus Linciô in Auſtrum recedens à nobiliſſimo Canonicorum Regularium Collegio nomen ſuum deſumit. Fuerat hic olim ex Raderi mente non multò poſt S. Floriani Martyrium, illius memoriæ conditum illuſtre Templum, & adjectis poſteris ſeculis Cœnobium à D. Benedicti Sodalibus poſſeſſum, quod cùm Hungari deleviſſent, ab Engelberto Paſſavienſi Antiſtite, qui ab anno 1045. per 4. luſtra ſedit, poſtea inſtauratum, & Canonicis D. Auguſtini diſciplinam profitentibus traditum; idem author, atque Hundius faſtis commiſerunt. Demum illud ex modicis initiis circa annum 1080. in majorem extulit ſplendorem ejuſdem Urbis Præſul B. Altmannus; cui fundationi cooperati quoque dicuntur Quintinus, Lotharius, & Conradinus Auſtriæ Dynaſtæ. Noſtris verò temporibus Reverendiſſimi Præpoſiti ſtudiô auguſtum ſanè Templum raro marmore affatim emicans, pauciſque invidens aſſurrexit. Suſpicatur hìc admodùm aptè Henſchenius (b) Benedictinos Patres ad declinandas Hungarorum infeſtationes in Italiam confugientes S. Floriani Martyris oſſa priùs hìc honorificè aſſervata Romam aſportâſſe, cùm ex Cromero, & Cæſario ab ipſo allegatis conſtet, indè Lucium III. Summum Pontificem, qui ab anno 1181. Eccleſiæ præfuit; ea per Ægidium Mutinenſem Epiſcopum Cracoviam regnante Caſimiro tranſmiſiſſe. Memorabilis etiam eſt huic Collegio proximus fons, qui ab ægris hauſtus, pluribus ſaluti fuit; eundem enim eſſe ex pervetuſtis Sancti actis docemur, qui ad cujuſdam piæ fœminæ nomine Valeriæ preces prodigiosè erupit, ut jumenta currui juncta, quo illa S. Martyris Floriani corpus ad deſignatum ſibi divinitus tumulum clam Ethnicis avehebat, nimio ſolis æſtu laſſata, pro ulteriori via reficerentur.

(b) In actis SS. ad diem 4. Maji.

FANUM S. HIPPOLYTI.

FAnum S. Hippolyti vulgò Sanct Pölten Archiducalis Urbs ab adjacente Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegio denominatur: jacet ea ad lævam Trigiſami fluvii à Danubio tribus milliaribus ad Meridiem, Viennâ verò ſex ad Occidentem remota. Ejus exordia ex Privilegiorum diplomatibus Monaſterio Tegernſeenſi ab Ottone II., Henrico VI., & Friderico II. datis, & apud Wiguleium Hundium extantibus ſic ferè deſcribit Lambecius: (c) Cùm Pipini Francorum Regis duo limitanei Comites, fratreſque germani Adalbertus, & Otgarius, ſive Ottocarus ex Bavariæ Principum ſtirpe Oriundi Sancto Zachariæ Papæ, qui obiit anno 752. in Italia contra Saracenos ſtrenuam navaſſent operam, & inter præmia, Sanctorum Quirini, & Hippolyti corpora ab eo accepiſſent, bina in eorum cultum fundarunt Cœnobia; unum ſcilicet juxta Tegarinum Superioris Bavariæ lacum vulgò Tegernſee, quod S. Quirini lipſanis donarunt, ipſeque Adalbertus primus Abbas rexit; alterum verò in eo, de quo agimus ſitu, ſacris S. Hippolyti exuviis ditatum, ubi cùm tam incolæ, quàm ædificia forſan religionis ergò indies accreſcerent, non obſtantibus damnis ab Hungarorum incurſionibus ſæpius illatis, utpote quæ Paſſavienſes Præſules ſemper repararant, anno demum 1276. Petrus ejuſdem loci Epiſcopus ab Imperatore Rudolpho I. frequentes jam inibi ædes in Civitatis formam redigendi, muriſque, ac foſſis pro libitu muniendi licentiam impetravit. Præter univerſale Auſtriæ à Matthia Rege oppreſſæ infortunium, aliud ſibi peculiare hæc Civitas tulit, obſidionem videlicet à circumjacentibus Ruſticis duce ſartore quodam Georgio Brunner anno 1597. tentatam, quam tamen capti aliquot ex illis à Tribuno Kolonitſch priùs indè abactis, ſequenti mox anno ſupplicio ſolverunt.

(c) Bibl. l. 2. c. 8.

FREY-

FREYSTADIUM.

FReyſtadium vulgò Freyſtadt Archiducalis Auſtriæ Superioris Civitas annuis nundinis frequentata 4. Linciô milliaribus Bohemiam versùs removetur, commodiſque ædibus habitatur, licèt magnam à Ruſticis cladem, in Arce præſertim, paſſa, anno nempe 1626., quo in eandem dolo captam extemporanei illi milites irruperunt, mox tamen indè extruſi, & ad ſtivam relegati. Subjacet huic amplus diſtrictus, quem vulgò Machland dicunt, binas Urbeculas Danubio proximas complectens, ſcilicet Matthauſen, & Greynam, cujus ſub Artagrunæ nomine Ludovici I. Cæſaris literas meminiſſe aſſerit Lazius, atque complura inſuper Oppida, & Arces, qualia ſunt Neukirchen, Helmeſed, Kefferſmarckt, Bergen, Windhag, Klam, Klingenberg, Königwiſen, Bregarten, Luſtenberg, &c. Potiebantur olim illo Comites à Burckhauſen, & Machland cognominati, quibus deficientibus anno 1186. Imperii beneficiô ea Regio Auſtriæ Principibus ceſſit, à Rudolpho I. Cæſare Ottoni Brandeburgico genero ſuo in Catharinæ filiæ dotem anno 1280. aſſignata, ſed ad Auſtriam poſtmodùm rediit in plures privatos Dominos ſenſim diſciſſa.

GEMINGA.

GEminga Carthuſianorum eſt Eremus ab Alberto II. Archiduce in ea ſepulto anno 1332. inchoata, & 1358. ab eodem paulò ante obitum abſoluta, cui ſubdita eſt Urbecula, quam vulgò Scheibs vocant, ad amnem Erlap non procul indè ſita.

GEMUNDA.

GEmundam vulgò Gmunden veterum Laciacum ex itinerum ductu, & intervallis interpretatur optimè Cluverius; Antonini ſiquidem Itinerarium concordi trium itinerum numero 28. paſſuum millibus, & Peutingeriana Tabula 27. itidem paſſuum millibus eam Urbem Juvaviô, ſeu Salisburgô ſeparant, Oviliam versùs, de qua alibi agemus, procedendo. Eſt hodie Gemunda Archiducalis Auſtriæ Superioris Civitas, Linciô 5. milliaribus in Auſtrum abſcedens, & cognomini lacui vulgò Gmunderſee dicto, quem Traunus amnis interfluit, ad Boream adjacens, quæ à proximis ſalis fodinis, ejuſque commercio magnam ſibi nominis claritatem mercatur. Primæ illarum inventionis gloria Eliſabethæ Meinhardi Comitis Tyrolenſis filiæ, & Alberti I. tum Auſtriæ Archiducis, dein Imperatoris conjugi omnium ſcriptorum calculo adjudicatur, ſed circa annum unicè diſcrepantium, cùm Fuggerus (a) 1303. ſtatuat, & Gerardus de Roo, (b) quem accuratiorem judico, eum 12. annis prævertat. Deſcriptionem verò à P. Joanne Eiſſert (c) ſubtiliſſimo naturæ à ſecretis Kirchero tranſmiſſam, ab hoc contractiùs deſumptam exhibeo. Aqua itaque adhuc extrinſecè dulcis datâ operâ intra concamerata fodinarum ſalis receptacula, quas ſtantias vocant deducitur, ubi ex Salinæ mineræ dilutione tota in aquam ſalſam convertitur, & ubi jam ſale ſatis fuerit imbuta, quod per lignei inſtrumenti immerſionem aquæ pondus explorando dignoſcunt, rotâ ſitulis, hauſtriſque inſtructâ è foſſis extrahitur, & in canales effuſa ad lebetes coquenda emittitur, longo tamen itinere interim emenſo, cum montis Halburg aqua ad lebetem penes lacum poſitum 4. milliaria Germanica indè remotum per 24000. canalium ſibi invicem innexorum, quorum quivis 10. Geometricos pedes continet, derivetur: ejus autem lebetis, qui in ovalem figuram inflexus ex tribus aliis maximus eſt, latitudo 30. paſſus, duplum longitudo adæquat, ſed profunditas non nisi ad ſeſquipedem deſcendit. Duplex hìc ſalis genus effoditur, prius ſolidum, purum, & inſtar cryſtalli nitidiſſimum eſt, verumque ſal gemmæ dicitur; alterum variè coloratum, & nunc ſubrubrum, nunc violaceum, nunc alium obſcurum colorem imitatur, quod tamen utì viſcoſum eſt, & ſulphureum odorem prodit, ita paſſim relinquitur. Obſervatum quoque fuit à foſſoribus ſub certo annorum curriculo fodinas novo ſale repleri, de cujus rei veritate minimè dubitandum eſſe prælaudatus author phyſicô ratiociniô demonſtrat. Coronant præterea Gemundenſem lacum altiſſima rupes, quam Traunſtein vocant; peramœna Arx, vulgò Ort dicta in inſula ſolo ponte continenti juncta; & Traunkirchium Oppidum cum Societatis Jeſu Reſidentia Paſſavienſi Collegio ſubordinata, ubi nimirum olim floruerat Sanctimonialium Monaſterium D. Benedicti regulam ſectantium, cujus fundamenta jecit anno 900. Marchio Ottocarus Agilofinus in memoriam victoriæ, quam unà cum Luitpaldo, ſive Leutholdo Bavaro ibidem de Hunnis retulerat; illius verò filius Albertus cœptum opus fœliciter perfecit, utì refert ex Bucelino Zeillerus.

(a) Spec. hiſt. l. 2. c. 8.
(b) Anna. Auſt. l. 2.
(c) Mun. ſubt. l. 10. ſec. 4. c. 22.

GERASSENSE MONASTERIUM.

GEraſſenſe Ordinis Præmonſtratenſis Monaſterium Moraviæ propinquum

fundavit Egobertus, Cuſpiniano (a) Ecquardus Comes à Perneck ex Auſtriacorum Marchionum proſapia natus; confirmaſſe verò fertur anno 1188. Dipoldus Paſſavienſis Epiſcopus. Eundem Comitem conditorem agnoſcit quoque Pernecenſe prædicti Ordinis Monaſterium à Moravia in Auſtrum remotius.

(a) Deſcrip. Auſtr.

GLUNICENSE COENOBIUM.

GLunicenſe Benedictinorum Cœnobium, quod ad Superiorem Auſtriam pertinet, inchoâſſe dicitur Arnaldus, ſive Arnhalmus Dominus de Gluinck anno 1120. vitâ functus, ejuſque filius Brunorius abſolviſſe.

GOTWICUM.

GOtwicum vulgò Gottwich vel Götwein percelebre Monaſterium editæ rupi Crembſenſi Urbi adverſæ non procul Danubio 10. ſupra Viennam milliaribus, inſiſtit. Moliri illud cœpit ſub annum 1076. (Brunnerum ſequor) B. Altmannus Paſſavienſis Epiſcopus inductiſque Canonicis ſecularibus in communitate viventibus Deiparæ honori ea occaſione dicavit, quòd Patronum loco quærenti ejuſdem Divæ icon græci operis oblata fuerit, Ducis Bohemiæ donum. Verùm Beato fundatore anno 1091. in Zeislmurano Vico febribus extincto, & à S. Thyemone Salisburgenſi Archiepiſcopo in Gottwicenſi Eccleſia terræ mandato, flacceſcebat religioſæ diſciplinæ viror; quod ab ipſa Beatorum Sede reſpiciens Altmannus Joannem inſignis probitatis virum gente Scotum, quem vivens olim tuguriolo ad ſacram Ædem affixo receperat, ore, voceque, quibus agnoſci poſſet, hortatus eſt, ut torpentes excitaret, & priſtinum monti ſuo virtutum redderet nitorem. Hæc cùm ille Canonicis aperuiſſet, optimum factu viſum fuit, ut ex D. Benedicti præſcripto vita impoſterum inſtitueretur, quod per Hartmannum ex alio S. Blaſii Cœnobio accitum executioni datum, idque divinum Joanni Spiritum ſuggeſſiſſe eventûs fœlicitas comprobavit. Monaſterii fundationem pluribus ſeculis fertur hoc in monte præceſſiſſe vetuſtum Caſtrum à quodam Gotefrido aliquando poſſeſſum, qui Idolum Martis, à Gothis Wick vocati, ibidem venerabatur, unde primum montis nomen Gothwick creditur emanaſſe. Adjectum virorum Monaſterio poſtmodùm fuit aliud Sanctimonialibus deſtinatum, quarum numerus anno 1388. ad 24. aſcenderat, ſed anno 1557. ad 7. duntaxat redactæ, Ferdinando I. Cæſare id curante, aliò commigrarunt. Prope montis autem radicem memorabilis eſt fons hactenus perennans, ubi, cùm tres adoleſcentes Pariſiis aliàs literarum ſtudio vacantes conveniſſent, cœpit quivis joci gratiâ Epiſcopalem Inſulam ſibi ominari, quâ impetratâ Cœnobium aliquod eſſet conditurus: ex his unus fuerat prælaudatus Altmannus, qui Paſſavienſem ſibi delegit, eandem poſtea conſecutus; alter Gebhardus, qui Salisburgenſem optaverat, votiſque compos factus Admontenſe in Styria Cœnobium erexit; tertius Adalbero Herbipolenſis, utì ſibi tunc augurabatur, Antiſtes, & Lambacenſis Monaſterii fundator. Inter reliqua huic inclyto Cœnobio ornamenta accedit conſpicuum illud trinum chronographicon inſcriptum parieti illius cubiculi, quod anno 1677. Auguſtiſſimis Neoſponſis Leopoldo Cæſari, & Eleonoræ Paſſavio ex nuptiis Viennam redeuntibus thalamum hoſpitalem inſtruxit, tantò pro æterna memoria cedro dignius, quantò pretioſius ab ingenio, & propriâ manu Auguſtiſſimi chronologiſtæ compoſitum extat, & exaratum; textus autem illorum eſt iſte:

LeopoLDVs IMperator, & ELeonora
eIVs VXor,
Peractls PaſſaVII nVptIIs Lætl VIennaM
reDeVntes,
In GottVICensI AsCeterIo DIVI BeneDICtI reLIgIonI ſaCro hoC ſCrIpſerVnt.

GREIFFENSTEINA.

GReiffenſteina Vicus eſt, utì recentiſſima Fiſcheri Tabula indicat, in Danubii ripa Stockeraviæ ferme oppoſitus cum vetuſta Arce editæ rupi inſidente; ubi celebris olim vigebat Urbs Comagena, ſeu Caſtra Comagena ſtationis Equitum Promotorum, & Lancearіorum Comagenenſium, qui in utriuſque Imperii Notitia memorantur. Claro ad id nobis indicio eſt ſæpius dilaudatum Peutingeri Hodœporicon eandem ferme intercapedinem, quæ hodie interjacet, Vindobonam inter, & Comagena dimetiens, quorum mentionem facit quoque in ſuo Itinerario Antoninus, ſed inverſo ordine ea Cetio perperam præponit. Non me quidem latet, Cluverium Comagenorum Urbem apud Vicum, cui Langenleber nomen, ſtatuiſſe; verùm hic longiùs Vindobonâ diſſitus cum ſignatis apud veteres diſtantiis minimè concor-

cordat ; unde opinor eximium hunc authorem à paulò antiquioribus Mappis fuiſſe ſeductum, quæ prædictum Langenleber Stockeraviæ falsò oppoſuerunt. Hæc prima fuit D. Severini Noricum ſubeuntis ſedes, ad cujus adventum gemebat, ſub neſcio quibus barbaris, Civitas. Hortatur itaque Sanctus vir incolas ad expiandas ſpontaneis pœnis conſcientiæ labes, ſi grave illud jugum excutere lubeat : hi primùm tergiverſari, dein perceptò Aſturenſium excidiò, quod Severinus ſurdis prædixerat, ad jejunia & vota recurrere, quæ in tertium diem continuata Cœlum, terramque exorarunt ; hæc enim inſveto fragore concuſſa tantum pavoris barbaris injecit, ut Urbe dilapſi, & mente moti mutuis ſemet vulneribus conciderint. Hoc primum Caroli Magni de Hunnis trophæum poſt victoriam, cujus alibi memini, ultra Arrabonem fluvium abactis, ſiquidem ii in indicata ſuperiùs rupe ad ſui defenſionem Arcem ſingulari tunc ſtudio nequidquam adornarant ; cùm ad primum Francorum conſpectum fugam continuò capeſſiverint.

HAMBURGUM.

HAmburgum Archiducalis Urbs cum Arce celſiori colli inſidente, in dextra Danubii ripa Moravi fluvii oſtio oppoſita, octo infra Viennam milliaribus Hungariæ fines attingit. Hanc famoſiſſimi Carnunti mœniis olim incluſam eruditè autumat Lambecius (a) ſpondens in peculiari diſſertatione veterum teſtimoniis ſe id ſolidè confirmaturum ; tripartitam quippe Carnuntinam Urbem fuiſſe ex certiſſimis indiciis colligere ſibi videtur, primamque ejus partem, quæ Carnuntum vetus continebat ab ipſis Pannonibus aliquot ante Chriſtum ſeculis conditum, unà cum ſua Acropoli ſolo Hamburgenſi adſtruit ; ſecundam verò, ubi Pannonica hyberna fuerant legionis decimæ quartæ Geminæ unà cum Palatio Imperatorio, & Thermis, Germano-Altenburgo reſpondiſſe putat ; tertiam demum, ad quam ſplendidis ædificiis exornatam, Auguſto imperante, deducta fuit à Romanis Colonia, uſque ad S. Petronellæ Vicum extendit. Deletò Carnuntò, de quo uberiùs infrà diſſeretur, non adeò longa temporis intercapedo uſque ad præſentis Civitatis erectionem potuit effluxiſſe, cùm anno 1080. in Norimbergenſi Conventu decretum emanaſſe ſcribat Merianus, (b) ut Hamburgum ob bellum, quod intra Henricum III. Germaniæ Regem, & Hungaros exarſerat, incendiis fœdatum priſtino ſplendori reſtitueretur, quò adimpletò, nobile ibidem Emporium reſloruit à Duce Leopoldo Virtuoſo ſub annum 1200. Viennam translatum, & decem hinc luſtris elapſis Margaretha Ducis Friderici II. ſoror, diviſò cum Gertrude Hermanni Badenſis viduâ Auſtriæ dominiò, Aulam ſibi Hamburgi delegit. Prima hæc deinde ex Auſtriacis Urbibus anno 1482. Matthiæ Corvini Auſtriæ inhiantis impetum excepit, ſed non nisi poſt 200. florenorum millia in ea obſidione à Rege expenſa, cogente annonæ defectu, illi fores recluſit, reparatâ tamen à Maximiliani legionibus poſt octennium jacturâ.

(a) Bibl. l. 2. c. 9.

(b) Topog. Auſtr.

HIEZINGA.

HIezingenſe Deiparæ Sacrarium Clauſtro-Neoburgenſis Collegii adminiſtrationi ſubditum, & tertio ab Urbe Viennenſi lapide remotum natales ſuos recolit ab anno 1529., quando Solimano arctâ obſidione Auſtriæ Metropolim premente Chriſtiani quatuor à Turcis capti, arborique alligati, cùm nullum aliud decretæ necis ſuppeteret effugium, Beatiſſimæ Virginis opem eo affectûs ardore imploraruntut hæc ſub ſuæ iconis in prædicta arbore tunc latentis formâ miro circumfuſa ſplendore ſe iis noctu ſpectandam exhibuerit, hæc verba ingeminans Hiets euch, Hiets euch, eoſque ſolutis prodigiosè vinculis in optatam aſſeruerit libertatem. Quæ cùm illi jurejurando firmata, poſtea aliis aperuiſſent, erectum eſt ibidem Partheniis honoribus Templum, ad quod veluti ad cœleſtium gratiarum emporium vicini populi miraculorum, quæ ſubſecuta ſunt, famâ acciti, ſupplices advolabant ad annum uſque 1604., quo ſacra Ædes ab Hungarorum Duce Stephano Bozgay accenſa in cineres abiit ; ſed ea ſequenti mox anno reparata novum patuit accurrentibus aſylum ; donec anno 1683. ſecundam paſſa à Turcis cladem, iterata indiguerit reſtauratione, quâ præſentem nitoris elegantiam conſecuta magnum piorum attrahit affluxum, benigniſſima Deiparæ manu favores ſuos etiamnum liberaliter diſpenſante. Hujus Odæi viciniam condecorat ſplendidiſſimum Palatium à pulchro fonte nomen ſumens, & magnificam undequaque ſpirans Majeſtatem, quod Auguſti Romanorum, Hungariæque Regis Joſephi auſpiciis his poſtremis annis aſſurgere cœpit, coronidem brevi adepturum.

HOLLENBURGUM.

HOllenburgum Oppidum, quod uno infra Crembſium milliari Danubius pertranſit, Lazio ineptè videtur antiquis

Comagenis Cetio propioribus ſucceſſiſſe. Ejus Arcem anno 1410. à Bertholdo Friſingenſi Epiſcopo, cujus Eccleſiæ ſubdebatur, majori ex parte ædificatam aſſerit ex Hundio Merianus. (a) Verùm paulò pòſt, ſedente Joanne IV., in Friderici IV. Cæſaris poteſtatem Oppidum conceſſit, donec à Sixto ejuſdem loci Præſule ante annum 1495. pretiò 1500. Rhenenſium fuerit redemptum.

(a) Topog. Auſtr.

HORNA.

HOrna Urbs eſt Arce inſtructa ad amnem Teffer in Kampum fluvium mox influentem ſita, quæ 9. Viennâ milliaribus diſtans ad Moraviam accedit, à Bohemis aliquando occupata, ſed anno 1620. per Cæſareum militem ab iis rurſus recepta.

HOSPITALE. COLLEGIUM.

HOſpitale vulgò Spital nobile eſt in Superiori Auſtria Canonicorum Secularium in communitate viventium Collegium, quod non procul à Styriæ finibus prope montem, cui Pirn nomen, illis erexit Fridericus ab Auffſeſs trigeſimus ſecundus Bambergæ Epiſcopus, qui anno 1440. è vivis ſublatus in eo Templo jacet, utì & quadrageſimus nonus ejuſdem Urbis Antiſtes Joannes Georgius Fuchs à Dornheim anno 1633. ibidem defunctus.

IPSIUM.

IPſium, ſeu Ibiſſa vulgò Ips Archiducalis, ſed tenuis Civitas ad Ipſii amnis Danubio illabentis oſtium, à quibuſdam Ptolomæi Geſſodunum, quod Auſtralius fuit, perperam exiſtimatur: quare iis Cluverium (b) præfero, qui Ipſium cum Ponte Iſis in Peutingeriana Tabula annotato quàm optimè conciliat; mirè enim concordat non tam nominis affinitas, quàm hodierna Viennenſis diſtantia cum 60. paſſuum millibus inter Vindobonam, & Pontem Iſis, ſeu Iſipontum, vitiatè Ponteiſes ibi numeratis. In altero autem, id eſt Boreali Danubii littore, ubi amnis vulgò Uſpen dictus eundem ſubit, ſtetiſſe olim Ptolomæi (c) Usbium ex Germanica ejuſdem Tabula liquidò colligitur. Fuit hoc municipium Romanorum abſolutum anno 370., quem produnt Conſules coævo fundationis monumento à poſteris eruto inſcripti; ſic verò illud ſe habet, prout Lambecius (d) ex Grutero, & Pighio caſtigatum exponit: *D. D. D. N. N. N. Valentiniani, Valentis & Gratiani Perennium Auguſtorum ſaluberrima juſſione hunc Burgum à fundamentis, ordinante viro Clariſſimo Equilio Comite, & utriuſque militiæ Magiſtro, inſiſtente etiam Leontio P. P. Milites auxiliares Laureacenſes curæ ejus commiſſi, Conſulatu eorundem Dominorum tertio, ad ſummam manum perduxerunt perfectionis.* Perſeverat fortaſſis Uſbium in Oppido, & Arce Pöſenpoigo ibidem ſitis, & vulgò Poſenbeug, vel Perſenpeug vocatis, quæ unà cum Ipſienſi Civitate anno circiter 1045. Adalbero Ebersbergæ Dynaſta, qui hìc ad quatuor milliaria ſecus Danubium dominabatur, Ebersbergenſi Bavariæ Cœnobio legârat; ſed viduâ Richildis, teſte Brunnero, (e) Pöſenpoigum D. Sebaſtiano ejus Cœnobii Patrono mariti voto deſtinatum transferre in Welfonem fratris filium iniquiſſimè avebat, Altmanno Abbate Ebersbergenſi haud refragante, Regeque Germaniæ Henrico III., qui cum Brunone Herbipolitano Epiſcopo Hungariam petens ibi fortuitò hoſpitabatur, ad id exorato, ut munus ratum eſſe vellet; jamque is elata manu vocem ex formula erat emiſſurus teſtem ſuæ authoritatis, cùm triclinium repentè concidit, convivaſque gravi caſu alliſit. Rex etſi imus volveretur, effuſique ſuper ejus caput complures magno ei pondere incumberent, incolumis tamen evaſit, non nisì brachii ſumma cute perſtricta: Epiſcopus, Abbas, & Richildis ſemianimes ſublati poſt dies paucos expirarunt, neque ulli dubium fuit, iratum Numen has avaritiæ in D. Sebaſtiani opes graſſantis pœnas exegiſſe, involutis eâdem ruinâ omnibus, ad quos mali conſilii noxa pertinuit. Traditus itaque eſt uterque locus Monaſterio, à quo poſtmodum Auſtriaci Duces facta cum aliis bonis commutatione utrumque pariter redemerunt.

(b) Opuſ. de Vin. & Nor. c. 5.

(c) l. 2. c. 11.

(d) Bibl. l. 2. c. 8.

(e) Ann. Boi. l. 10.

LAHA.

LAha, ſive Lava vulgò Laa, aut Lab Archiducalis Urbs 8. milliaribus Viennâ abſens dextro Teiæ fluvii lateri inſidet; modica quidem, ſed ob frequentes bellorum caſus magnam ſui famam per annales latè diffudit. Hâc enim imprimis Dux Fridericus II. totâ pene Auſtriâ à Friderico II. Cæſare viduatus Wenceslaum Bohemiæ Regem donavit, ut promptas ab eo ſuppetias ad potentem adeò æmulum repellendum mercaretur; ſed Duce in integrum reſtituto, ipſa Civitas ejectis Bohemis ad Auſtriacos Principes refugit, quæ res ingentem belli flammam inter utroſque ſuccendit, novis Hymenæi ignibus deinde ſopitam, relatâ tamen priùs a Friderico in-

ſigni

ſigni de Bohemis victoriâ. Bina itidem prælia Urbis hujus pomœrium faſtis memorabile fecerunt: primum incidit in annum 1260., quo Ottocarus Bohemiæ Rex Belam Regem cum Stephano filio innumera penè militum caterva ſtipatum immani clade cecîdit: ducenta equitum, totidem peditum millia Belæ meruiſſe, vixque quartam ex iis partem necem evitâſſe exaggerat apud Balbinum Cuthenus: ſanè non modò Hungaros, ſed Ruſſos, Valachos, Moldavos, Cumanos, & Tartaros in ejus exercitum confluxiſſe, & 14. eorum millia ſolo flumine abſorpta plures memoriæ tradiderunt. Alterum longè celeberrimum, quod inclytæ Hapſpurgicæ Proſapiæ partam paulò ante Auſtriam integrè firmavit, ad annum 1278. referri debet, quando ſcilicet inter Rudolphum I., & Ottocarum fuit acriter dimicatum. Eleganter illud deſcribit Gerardus de Roo, (a) ex cujus ſententia Cæſarem tuebantur præter Auſtriacos, & Suevos, quorum maximus numerus, Archiepiſcopus Salisburgenſis cum 300. equitibus, Baſileenſis Præſul, Burggravius Norimbergenſis, & Henricus Marchio Hachbergicus cum 1400: Albertus Comes Goritienſis 150. equites, Meinhardus trecentos, totidem Fridericus, & Albertus Ortemburgici ducebant: Udalricus Hainburgicus Carnus cum ducentis, Henricus Pfannebergenſis Styrus cum 100. aderant: mille præterea Styris communi Provinciæ nomine conſcriptis præerant Fridericus Petovienſis, Otto Liechtenſtainius, & Colo à Seldenhoven: diviſo in 4. ordines exercitu, duos ferè Suevi, tertium Auſtriaci, reliqui quartum ipſo Rudolpho Ductore conflabant: acceſſêre cum Ladislao Stephani Hungariæ Regis filio 20. Cumanorum millia, gens nondum Chriſto adjecta, & bello acerrima. Qui à Rege ſtabant, ſex ordines compleverant: primus ex Bohemis, ex Moravis alter conſtabat, tertius Miſnienſium, & Thuringorum erat, duos conficiebant Poloni, ſextum, ubi Saxones, & Bavari, ſibi Ottocarus delegerat. Conſertâ pugnâ res ſtrenuè utrinque agebatur, donec inclinante in Cæſarem victoria, Styri duo fratres Merenbergici Regem toto agmine perquiſitum adorti, fortiter pugnantem equo dejiciunt, & 18. vulneribus confodiunt, cujus vulgata morte Regius exercitus fugam capeſſivit. Verumtamen Lahenſis Urbs non otioſa ſemper cladium ſpectatrix fuit, ſed etiam hujuſmodi calamitatum ſæpius compars, utì anno 1620. evenit, quo à Moravis, & ejuſdem ſeculi 45., quo à Suecis fuit occupata.

(a) Ann. Auſt. l. 1.

LAMBACUM.

LAmbacum vulgò Lambach Superioris Auſtriæ ad Traunum fluvium Oppidum antiquatæ Urbis rudera, quam Antoninus Tegolapem nominat, premere putant Cluverius, (b) & Lambecius (c) cum Ovilabi, ſeu Welſio & Laciaco, ſeu Gemundæ in ejus Itinerario interſeratur, & Peutingeriana milliarium intervalla eximiè concordent: iiſque veritatem propiùs aſſecuti mihi omninò videntur, quàm Lazius Ovilabim Lambaco adſtruens, reliquis circumſtantiis neglectis, quæ ſic minimè conſiſtunt: at quæcunque olim fuerit Oppido gloria, parum intereſt, cùm illi modò plurimum adferat ornamenti nobiliſſimum Monaſterium, cujus hæc narrantur à Brunnero (d) primordia. Arnoldus Comes à Lambach, cui Schardinga, Neoburgum, Varnbachium, Welſium, & Buttinum itidem ſuberant, Lambacenſe Caſtrum in Templum converterat: hoc cum adjecto etiam Cœnobio ſacro Benedictinorum Ordini incolendum tradidit illius filius Adalbero Herbipolitanus Antiſtes biennio ante obitum, quem in annum 1090. incidiſſe compertum eſt; verùm anticipanda neceſſariò eſt aliquot annis fundatio (quam ipſi Arnoldo, ejuſque conſorti Regillæ Bruſchius attribuit) ſi fidem Paulo Langio habemus apud Lambecium hæc referenti. (e) *Anno 1078. Imperator Henricus Adalberonem Epiſcopum Civitatis Wirtzburg propter adhæſionem Papæ, & Rudolphi novi Regis expulſum, ſuum ad Monaſterium Lambach redire coëgit*: ubi exul è vivis deceſſit ſanctitate illuſtris, quam crebra poſt mortem miracula manifeſtarunt, prout fidem facit epitaphium ejuſdem tumulo affixum, quem in Eccleſiæ meditullio poſt plura ſecula Placidus Abbas aliquot à ſolo pedes elevavit.

(b) Op. de Vind. & Nor. c. 5.
(c) Bibl. Lat. c. 8
(d) Ann. boi. li. 11.
(e) Epit. Ger. c. 9.

LAXEMBURGUM.

LAxemburgum amœniſſimum Cæſarum Palatium duobus Viennâ milliaribus ad Meridiem recedit, & jucundioribus veris deliciis reſervatur. Illud unà cum refertiſſimo ferarum vivario opus eſt Alberti III., qui anno 1390. ibidem mortem oppetiit. Eſt hic idem ille Albertus, qui cognominatur Cum trica, vel quòd in hujuſmodi ſcirpum inflexos geſtaverit capillos, ac barbam, vel, prout refert Abermannus, (f) quòd dum anno 1385. redux ex peregrinatione Hieroſolymitana in eodem hoc Caſtro Beatricem conjugem tunc balneo inſidentem colligatis in tricam capillis inveniſſet, eam in lætitiæ ſignum ab-

(f) In not. ad 2. c. l. 3. Chron. Lam.

ſciderit. Quamvis alia longè vetuſtiſſima ſit traditio; nempe prædictam Beatricem ob inopinatum Alberti ſui, quem perditum jam credebat, adventum, gaudio ſuperabundanter obrutam, in balneo animam egiſſe. Quò fortè collimat impoſita ibidem turri ſtatua etiamnum ſuperſtes, ac matronam quandam balneariſbus linteis indutam referens, ſive in unius, ſive alterius teſtimonium facti, de quo tamen ſatis, niſi ſola conſtanti fama, non conſtat.

LEYTHÆPONTUM.

LEythæpontum vulgò Bruck an der Leytha Urbs eſt cum Arce juxta Leytham fluvium Hungariæ, Auſtriæque limitem 4. milliaribus Viennâ in Ortum remota, quam non niſi longâ & difficili obſidione cinctam, utì Gerardus de Roo teſtatur, Matthias Rex anno 1483. expugnavit; ſed dum ejus jam vitâ functi Præfectus Joannes Tarcianus quadam die ex Arce ad Templum deſcendiſſet, Cives advocatis clam Maximiliani copiis Hungaros ejecêre, qui ſub Gabriele Bethleno anno 1619. illam, non multò pòſt tamen redditam, iteratò occuparunt.

LINCIUM.

LIncium vulgò Lintz amœniſſima, & nobilis Urbs, Superioris Auſtriæ Metropolis, ambiguum valde eſt, an & quo nomine ſub Romanorum dominio claruerit. Aurelianum, ſeu Aurelianam Coloniam ibidem extitiſſe ex quibuſdam monumentis minùs rectè examinatis conjicit Lazius: alii Geſodunum, ſed prorſus ineptè, cùm hoc à Danubio removeat Ptolomæus; (a) alii Aredatem autumant, ſed hæc eadem eſſe cum Arelape infrà aliter explananda omnino videtur. Cluverio (b) Urbem Lentiam, cujus in utriuſque Imperii Notitia mentio fit, iſtic ſtatuenti tum ſitus, tum vocis ſimilitudo maximè ſuffragantur. Jacet modò Lincium in Auſtrali Danubii littore 24. ſupra Viennam milliaribus Occaſui propius. Celebrem hanc Civitatem reddunt bini Principum Conventus in ea coacti, quorum primum conflarunt anno 1289. arbitri pacis inter Albertum Auſtriæ Archiducem, & Salisburgenſem Archiepiſcopum conſtituti, videlicet duo Bavariæ Principes, tres Epiſcopi Arnoldus Bambergenſis, Enicho Friſingenſis, Henricus Ratisponenſis, duoque Comites Udalricus Emburgicus, & Fridericus Ortemburgicus, ſed re infectâ abiêre. Alteri autem quadriennio pòſt ad pacem pariter inter eundem Albertum, & Bohemiæ Regem, alioſque conterminos Duces firmandam fœliciori exitu convocato interfuere præter Archiducem Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Otto Bavariæ, Meinhardus Carinthiæ Duces, Conradus Salisburgi, Bernardus Paſſavii, & Henricus Ratisponæ Præſules, quibus etiam Bohemiæ Regem, reliquis ſilentibus, adjicit Aventinus apud Gerardum de Roo. (c) Munimentorum defectum Lacedæmonum more affatim ſupplevêre Civium pectora, cùm Urbs hæc ab Ottone Bavariæ Duce Friderici II. Cæſaris tempore, & à ſeditioſis Ruſticis anno 1626. irrito ſemper conatu fuerit obſeſſa: imò ex 15. Turcarum millibus, qui anno 1532. Lincium uſque excurrere tentaverant, nullus omnino ſuperfuit, qui acceptæ cladis nuncium ad ſuos referret. Grave illi quidem detrimentum attulit fortuitum anni 1542. incendium, ſed longè majori reſtitutum decori teſtatur præſens domorum ſplendor, quas ſupereminet Parochiale Templum, aliudque D. Ignatio ſacrum cum annexo Societatis Jeſu Collegio ab Imperatore Matthia condito, atque inſigni Gymnaſio, in quo præter Philoſophicas diſciplinas, Jus Canonicum, & Moralis Theologia publicè præleguntur. Exornant inſuper Civitatem Cæſarea Arx eximiæ magnitudinis in adjacenti clivo exſtructa; Provincialis Domus, in qua Superioris Auſtriæ Status comitia ſua celebrant; atque peramplum forum ab una ad aliam Urbis portam ferè extenſum, & famoſis nundinis bis quotannis frequentatum. Neque deſunt foris cum Capucinorum Cœnobio anno 1606. erigi cœpto ſpatioſa Suburbia pluribus Nobilium ædificiis referta. Parvò autem itineris intervallò contra Danubii fluxum emenſo, obviat Hilarienſe Ordinis Ciſtercienſium Monaſterium ab Ulrico, & Calone de Wilhering anno 1146. fundatum. Opponitur huic in altera Danubii ripa Oppidum Ottensheimium ab Ottone Archiduce Auſtriæ ibidem nato ſic dictum, & ab eodem, utì & ſucceſſoribus ſuis in hujus memoriam multis privilegiis donatum.

(a) Lib. 2. c. 14.

(b) De Vin. & Nor. c. 8.

(c) Anna. Auſt. l. 2.

MANSEE.

MAnſee Superioris Auſtriæ Oppidum cognomini lacui adjacet, qui per rivum Ag in alium multò majorem vulgò Atterſee dictum exoneratur. Diverſa illi quondam fuerant nomina, id eſt Menen, & Lunelach; unde factum, ut & illuſtre, quod ibi adhuc floret, Benedictinorum Cœnobium Lunælacenſe in antiquis codicibus interdum audierit. Prima hujus fundamenta poſuit jam ab anno 748. Utilo II. Bavariæ Dux plurium aliorum parens, id

id maximè promovente S. Pirminio Epiſcopo ex Gallia in Germaniam fidei propagandæ causà profecto, qui tum etiam ejuſdem Eccleſiam SS. Petri, & Michaëlis cultui conſecravit. Munificam Utilonis pietatem ponè ſectatus Thaſſilo II. itidem Bavariæ Dux largis muneribus Manſeenſe Monaſterium anno 771. locupletavit. Bavaricæ aliàs Regioni, cujus fines attingit, Oppidum addicebatur, ſed bellum, quod inter Maximilianum I. Imperatorem, & Ducem Albertum efferbuerat, ſecuta pax, ut bellicis ſumptibus fieret ſatis, illud Cæſari detulit; à quo ad Leonardum Salisburgenſem Archiepiſcopum, hinc ad Superioris Auſtriæ Status perſoluto ſemper pretiô devolutum eſt. Non procul indè tertius expanditur lacus, quem Abernſee vulgus indigitat, vel à S. Wolffgango denominat; cujus ibi aliquando degentis honori erecta eſt in ea crepidine Præpoſitura à Manſeenſibus Monachis adminiſtrata.

MARCHECKUM.

MArcheck, ſeu Mareck Oppidum, quod ab Hungariæ ora ſolo Moravo fluvio abſcinditur, natales ſuos debet Ottocaro Bohemiæ Regi, qui dum Auſtriæ imperaret, ut Hungaros ab infeſtis velitationibus cohiberet, illud anno 1268. excitavit.

MAURBACENSIS. CARTHUSIA.

MAurbacenſis Carthuſia magnifico ædificii nitore commendanda tribus Viennâ milliaribus diſſita, undique cingitur Vindonenſi, ſeu Viennenſi ſylva ab amne Vindone, ſive Vienna ibidem exoriente nomen mutuata. Condidit eam Fridericus III. Imperator cognomento Pulcher, qui cùm anno 1330. ex hac vita migraſſet, in eadem tumulatus conquieſcit.

MEDLINGA.

MEdlinga nobile Oppidum 2. Viennâ milliaribus in Meridiem abſcedens, ob plurium Auſtriæ Principum ex Babenſpergica ſtirpe ibi ſæpius inhabitantium Aulam jam antiquitus inclaruerat. Templariorum hìc quoque Sedem fuiſſe traditio fert, ubi Parochiale hodie Templum raræ in hujuſmodi locis amplitudinis ex ſubjecta planitie latè proſpicitur.

MELICIUM.

MElicium vulgò Melck Urbecula eſt Vienna in Occaſum 12. milliaribus abſens, cui magnam parit famæ nobilitatem ampliſſimum, ac naturâ probè munitum Ordinis S. Benedicti Cœnobium in præcelſa rupe Danubio imminenti ita firmatum, ut anni 1619. obſidionem, qua Superioris Auſtriæ Heterodoxi Bohemis fœderati menſtruo ſpatio illud preſſerant, fœliciter eluſerit. Vetus ejus hiſtoria à Monacho anonymo conſcripta nullam aſſerti ſui allegans authoritatem apud Lambecium (a) tradit, nomen Melck, ſeu Medilich ex latina voce *Mea dilecta* derivari, qua Cajus Julius Cæſar (qui vix hìc unquam comparuiſſe oſtendetur) ſtationi huic adblandiri conſueverat. Lazii opinio quàm leviſſimo fulcit fundamento, eſt, Urbem Meliſſam ibi olim extitiſſe, cujus nominis Caſtrum in Neapolitano Regno haberi quidem novimus, Noricarum autem Urbium catalogo nemo ante illum inſeruit: quidam alii cum Ptolomæi Claudinio, vel Claudionio Melicium componunt; ſatiùs tamen erit Cluverio (b) ſubſcribere, qui Nomale, vel prout in nonnullis exemplaribus alteratur, Nomare eidem reſpondere aptiùs conjecturat, cùm locus ille à Peutingeriano Hodœporico Danubio admoveatur, & additæ ab exploratis jam Urbibus diſtantiæ utcunque conveniant. Admodùm veroſimile interim eſt ob loci opportunitatem aliquod munimentum à veteribus Romanis in eo ſcopulo fuiſſe excitatum, quod Lambecius (c) ulteriùs ſuadet ex attrito lapide, cui imago Lupæ cum Romulo, & Remo inſculpta eſt, in exteriori Eccleſiæ pariete, à ſe ibidem obſervato; ubi quoque monet in MSS. & hactenus ineditis Cæſareæ Bibliothecæ codicibus modò Medlicum, modò Medilicham Melicii locò ſubrogari. Super hanc itaque rupem, prout ex præcitata Cœnobii hiſtoria didici, anno 928 fortiſſimæ Arci dominabatur quidam potens Dynaſta nomine Giſo, qui à Lazio Stillo vocatur, & à Fuggero (d) cum Geſa Hungariæ Duce confunditur. Nomen Arci Caſtrum ferreum fuiſſe author eſt Cuſpinianus: at relatio cujuſdam Melicenſis Abbatis Meriano (e) transmiſſa illam in tres partes diſcriminat, quarum una Medelick, altera turris fortiſſima, tertium Caſtrum ferreum dicebatur. Giſone armis extruſo Leopoldus I. cognomine illuſtris Orientali Marchia tum ab Imperatore donatus, munitiones diruit, Arcemque in 12. Canonicorum Collegium convertit, Aulâ quoque ſibi, & ſucceſſoribus non procul indè conſtitutâ. Alter dein Leopoldus cognomento Pulcher juxta Fuggeri calculum hujus nominis IV., juxta alios, qui Leopoldi I. filium omittunt, III. rejectis anno

(a) Bibl. l. 2. c. 8.

(b) De Vin. & Nor. c. 5.

(c) Bibl. l. 2. c. 8.

(d) Specim. l. 2. c. 8.

(e) Deſcrip. Auſt. Top. Auſtr.

1089. Canonicis, horum vices ſupplere Benedictinos juſſit, quibus primus Abbatis dignitate præfuit Sigiboldus. Demum S. Leopoldus hujus nominis V. Leopoldi IV. filius, renovato à ſe Monaſterio, nova largitus prædia, ſex inſuper Parochiales ſubjecit Eccleſias, quæ fuerunt Medling, Dräſskirchen, Weickendorff, Lauchſee, Wulderſtorff, & Rauelſpach, anno videlicet 1113 die 13. Octobris, quando & ſolemnem illius conſecrationem ab Udalrico Paſſavienſi Antiſtite in SS. Petri & Pauli honorem peractam memoratus anonymus conſignat; eam autem Cuſpinianus, (a) & Fuggerus, (b) neſcio quo duce ad annum 1122. differunt, & Caliſto II. Summo Pontifici adſtruunt, quem Pontificiâ Tiarâ jam redimitum Eccleſias aliquas in Viennenſi Galliæ Provincia, cujus fuerat Archiepiſcopus, anno 1119. dedicaſſe, ex Baronio quidem percepi, at nec is, nec Ciacconius, nec Platina eum in Germaniam pedem unquam intùliſſe meminerunt, prætensô præſertim annô, quô Oecumenico Lateranenſi Concilio Romæ præſedit. Depoſita hic jacent pretioſa pignora nempe S. Colomanni, & B. Gothalmi corpora, quorum primum miraculorum famâ permotus Auſtriæ Marchio Henricus I., biennio poſt ejus martyrium infrà narrandum, Stockeravia Melicium transferri voluit, ibique honorificè ſepeliri per Meinhardum Halberſtadienſem Epiſcopum, quem adducit Fuggerus, (c) vel, quod probabilius eſt, per Meingaudum Aichſtetenſem, in quem præter anonymi hiſtoriam duo M SS. chronica Zwethalenſe, & Cremifanenſe à Lambecio (d) allegata conſpirant. Pergit porrò referre anonymus, qualiter Trevirenſis Archiepiſcopus Poppo Petri Hungarorum Regis, & D. Stephani ſucceſſoris partim precibus, partim minis circumventus à fratre ſuo Henrico S. Colmanni corpus pro illius Regno impetravit, quod cùm peſtis, & fames, aliaque infortunia fuiſſent in Hungariam comitata, territi indigenæ Melicium revexere; ſed cùm conſtet, Henricum I. anno 1023., & D. Stephanum anno 1038. mortem oppetiiſſe, aliqua ſaltem hujus eventûs circumſtantia à veritate aliena convincitur. S. Colomanni domeſticus fuerat B. Gothalmus, qui peregrinum dominum quæſiturus Auſtriam petiit, & in proxima hujus Cœnobii villa Maur dicta è vivis ſublatus, multis poſt mortem miraculis coruſcavit; quare defuncti cadaver honoratiori ſarcophago illatum; quo Rudolphus IV. Archidux Auſtriæ anno 1362. clam recluſo, cum Abbate, & Bernardo Monacho poſtremæ hujus narrationis authore, Beati oſſa piè veneratus inſpexit. Quieſcunt hic præterea quinque Marchionum cineres, nimirum Leopoldi I., & IV. fundatorum, Henrici I., qui S. Colomanni lipſanis, Adalberti Victorioſi, qui Dominicæ Crucis particulâ magnis prodigiis fulgente, atque Erneſti Strenui, qui S. Mauritii lanceâ, D. Udalrici paterâ Templi gazophylacium locupletavit.

(a) Deſcrip. Auſtr.
(b) Spe. hon. l. 2. c. 2.
(c) Spe. hon. l. 2. c. 2.
(d) Bibl. l. 2. c. 8.

NEAPOLIS.

NEapolis, ſeu Neoſtadium vulgò Neuſtadt nobilis, probèque munita Urbs Maximiliani I. Imperatoris patria, 8. milliarium itinere Viennâ in Meridiem recedit, atque ab Hungariæ limite vix duobus divellitur; in paluſtri ſolo à Leopoldo Glorioſo Auſtriæ Duce ad reprimendas Hungarorum incurſiones circa annum 1200. primùm ædificata; cùmque illorum Rex Emericus Leopoldum prævertere meditans alterum in proximo loco munimentum erigere adornaſſet, ut diſſidiis obviam iretur, pactum ambo inière, ut qui priùs Civitatem abſolveret, victor cenſeretur, eamque ſervaret, alter verò ſuſpenſo opere locô decederet; ſtetitque pro Duce victoria, utpote qui velociùs ſuam Neapolim vallavit, Rege cum dedecore indè remeante: ſubjungit hìc Cuſpinianus (e) diſcerni adhuc ſua ætate non procul Neoſtadio potuiſſe aream illam Hungaricæ Urbi deſtinatam poſt Platonis annum primò condendæ. Fuit hæc Civitas unicum pene refugium Friderici II. Auſtriæ Ducis anno 1237. Viennâ pulſi, & à Friderico II. Cæſare reliqua Provincia ſpoliati. Verùm majorem adhuc ſibi gloriam comparavit, Imperatorem Fridericum IV. contra Udalricum Eitzingerum, & Udalricum Cileæ Comitem cum ſuis popularibus, & quinque Viennenſium millibus Urbem arctè obſidentes anno 1452. ſtrenuè propugnando; ubi novi Horatii Coclitis Andreæ Paumkircheri virtus enituit, qui egreſſis Civibus, & intra muros repulſis, hoſtium impetum portam unà cum fugientibus ſubire tentantium pene ſolus gladio ſuſtinuit, donec Civium aliquot tandem reverſis eos indè omnino removerit, ſolutâ non multò pòſt obſidione. Annô autem 1485. non nisi poſt 7. menſium molimina Matthias Hungariæ Rex, deficiente demum annonâ Urbem hanc ad deditionem compulit, poſt quinquennium Maximiliano Friderici Cæſaris filio reſtitutam. Idem hic Fridericus IV. nova dignitate, nimirum Epiſcopali, ejus inſtitutione à Paulo II. Summo Pontifice impetratâ, anno 1470. Neapolim nobilitavit, ubi jam ab anno 1444. novum SS. Trinitatis Cœnobium

(e) Deſcrip. Auſtr.

bium Ordini Ciſtercienſi erexerat. Extat ibidem quoque præter Cathedralem Eccleſiam, & Capucinorum Aſceterium, Sanctimonialium Carmelus à Comite Maria Euphroſyna Seredezgin anno 1665. erectus, nec non Societatis Jeſu Collegium ab Archiduce Leopoldo Guilielmo fundatum, cujus Eccleſiam ſacro D. Martyris Venantii corpore Auguſta Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ munificentia tribus abhinc annis locupletavit. Magnifica hìc demum emicat Cæſarum Aula à Leopoldo Archiduce Alberti Sapientis filio extructa, & à Ferdinando I. Imperatore ſplendidiùs reſtaurata, cujus foribus præfixum quinque vocalium literarum A, E, I, O, U, ſymbolum complurium Oediporum ingenia contorſit, qui in 40. ſaltem diverſæ interpretationis ſententias abiere; ſed quid opus eſt Oedipô? quando ipſe earum author, adeoque optimus interpres Fridericus IV. Imperator in ſuæmet vitæ diario propria manu exarato, & à Lambecio diligenter perlecto tum Romano, tum Germanico idiomate illud his terminis evolvit.

Auſtriæ Eſt Imperare Orbi Univerſo.
Alles Erdreich Iſt Oeſterreich Unterthan.

Aulæ adhæret S. Crucis Odæum, ubi Alabaſtrina in arca conditæ jacent Maximiliani Cæſaris exuviæ ex S. Georgii Sacello ejuſdem Ferdinandi juſſu translatæ.

NEOBURGUM.

NEoburgum duplex eſt Archiducalis Auſtriæ Civitas, nempe una à Monaſterio, ſeu Clauſtro Cloſter-Neuburg, & altera à frumento Korn-Neuburg vulgò indigitata. Ambas duobus ſupra Viennam milliaribus ſibi invicem adverſas Danubius alluit: dextram tenet Clauſtro-Neoburgum Cetio monti ſubjacens, quod adnexo Canonicorum Regularium Collegio vetuſtate cedit; annoſæ ſiquidem arbores locum opacabant, cùm D. Leopoldô, ejuſque conſorte Agnete Cetienſis Arcis feneſtris innixis, ac de ſitu ad excitandam Deiparæ Ædem idoneo ſolicitè deliberantibus, hujus flammeolum, ſeu velum levis aura ex capite ſurripiens procul ab oculis in ſubjectum nemus devexit, quod, cùm venationis ergò S. Marchio poſt novennium luſtraret, deperditum olim flammeolum, illæſum adhuc, extenſumque pendere ex ſambuco offendit. Hoc ille pro divino nutu præmeditatæ tunc Ædis locum indicante interpretatus, auguſtum illico Templum Cœlorum Reginæ dicandum anno 1114. ibi erigi juſſit: cùmque illius fundamenta jacienda forent, S. Leopoldus, ut primum poneret lapidem à Proceribus invitabatur; at ille Sacerdotum id eſſe munus reponens, eum honorem detulit Ottoni primo loci Præpoſito, quem ejuſdem filium fuiſſe teſte Cuſpiniano, quidam perhibent, ſed ipſe, & Polzmannus, qui Sancti Vitam plùs quàm 100. abhinc annis edidit, ſecundô inter Neoburgenſes Præpoſitos locô numerant Ottonem D. Leopoldi filium, quem dein Pariſios ſtudiorum causà iteratò profectum, & Ciſtercienſe inſtitutum Morimundi amplexum Friſingenſem Eccleſiam ultimò rexiſſe palàm eſt. Templi mole ad coronidem ducta, dotem munificus fundator privilegiô ſanxit, & Canonicos, quos ſeculares vocant, ſacris præeſſe voluit, quibus ſegniùs adminiſtrantibus, Religioſos D. Auguſtini aſſeclas anno 1134. coram Conrado Salisburgenſi, Regimaro Paſſavienſi, & Romano Gurzenſi Antiſtite ſubrogavit. Porrò in his omnibus recenſendis facem mihi prætulit præter mox citatos authores ipſa Advocati Conſiſtorialis oratio anno 1484. Romæ coram Innocentio VIII. recitata, quando Leopoldi apotheoſis ab eo Pontifice fuit obtenta. Hinc ſacrum ejus corpus ex humili ejuſdem Templi crypta, cui poſt obitum fuerat commiſſum, anno 1506. Maximiliano I. Cæſare id curante in magna Præſulum, ac Principum frequentia fuit elatum, & pretioſa modò incluſum theca peculiaris Sacelli aræ, crebro venerantium affluxui expoſitum, incumbit. Ipſum quoque flammeolum, & ſambucus illuſtres prodigioſæ originis theſſeræ, noſtro adhuc tempore cuſtoditæ adventantibus exhibentur, utì & Archiducalis Auſtriæ pileus, multô auro, & gemmis renidens, quo Archiduces in D. Stephani Baſilica Viennæ inaugurantur, Venerabilis hujus Collegii fidei demandatus. Eximium hoc Leopoldinæ pietatis monumentum cinxêre ſenſim accedentium inquilinorum ædes, ita ut paulò pòſt in juſtam excreverint Civitatem, quæ appropinquante olim Rudolpho I. Cæſare à pluribus Auſtriæ Urbibus jam ſponte admiſſo, ſuis freta munimentis prima vim ſtatuit experiri; verùm Bavariæ Dux, qui Imperatori militabat, certior factus, novum ab Ottocaro Rege præſidium per Brunonem Olomucenſem Præſulem obſidendis ſubmitti, cùm nulla ejus inhibendi ſpes ampliùs affulgeret, quadraginta audaciores juvenes ſelegit, qui modò bini, modò quaterni cum Epiſcopi comitatu in Urbem ſubrepſerunt: tum cædibus, tumultuque omnia ab iis intus miſceri, donec interim Dux cum exercitu advolans tanto Cives

terrore affecit, ut hi Bohemis in carcerem datis ſe ſubjecerint victori. Alterum Neoburgum, ſeu Korneoburgum, quod in fluminis læva ſpectatur, communi Auſtriæ fato ſubjacuit, quando utraque Civitas in Matthiæ Regis poteſtatem anno ſcilicet 1477. devenit, ſed cum reliqua pariter Provincia à Maximiliano recepta. Occupavit etiam hoc Neoburgum elapsô ſeculô Torſtenſonius Suecorum Dux, aggeſtiſque vallis muniverat, ſed ſubſequenti ſtatim anno, id eſt 1646. à Cæſareis coactus deceſſit.

NEOBURGUM. AD OENUM.

NEoburgum item aliud eſt ad Oenum fluvium Superioris Auſtriæ Oppidum egregia inſtructum Arce, & Comitatûs titulo inſigne, quod magnam quondam belligerandi materiam Auſtriacis, Bavariſque ſuppeditavit. Moverat, utì ferme ſcribit Brunnerus anno 1307. in Bavariam Albertus I. Imperator, cui cum exercitu Oenum trajicere penes Neoburgum paranti Nobilitas Boica excitis raptim agreſtibus ſe ſe oppoſuit, quod ubi Cæſari innotuit, copias partitus partem Paſſavii tranſire flumen jubet, partim ipſe ſub ſolis ortum propter ora hoſtium velut triumphans traducit, qui ne unum quidem telum auſi in Cæſareos evibrare, ideòque ingenti pudore ſuffuſi, ut hujus dedecoris labem abſtergerent, biennio pòſt longè majori virium apparatu Neoburgum repetunt, ejuſque obſidionem adornant, quæ, etſi rigente brumâ, in quartum menſem protracta eſt, donec actis per metallarios ſub terra cuniculis, Oppidum ſubingreſſi expugnarint: Lambergicus Arcis Præfectus ultrà obſiſtere deſperans igne in tecta conjecto aliò ſe recepit. Rediit tamen poſtliminio ad Auſtriacos, & quidem ante annum 1459., quo Alberto Archiduci permiſſum eſt, ut demum acquieſcens Auſtriam ſineret à civili in fratrem bello reſpirare.

PECHLARNUM.

PEchlarnum vulgò Pechlarn Urbecula eſt, quam inter Melicium, & Ipſium Danubius præterfluit, ubi ab amnè Erlaph augetur, & procul dubio illi Urbi reſpondet, cujus Antonini Itinerarium, & utriuſque Imperii Notitia ſub Arlape nomine meminerunt, fortaſſis Aræ lapideæ à Romanis primitus appellata: imò eadem quoque eſſe omnino videtur cum ea, quam Ptolomæus in Norico ſecus Danubium, & Peutingeriana Tabula Nomale inter & Ponteiſes, 52. paſſuum millibus, ſeu 13. Germanicis ſupra Vindobonam milliaribus collocat, vitiato tamen utrobique ab Amanuenſibus textu, cùm hìc Arelate, ibi verò Aredate ſcriptum reperiatur. Navalem inſuper Romanorum claſſem ſtativa ſua ibidem aliquando habuiſſe ſubnectit ex Imperii Notitia Cluverius. Quæ ſaltem longè magis rationi, ac veterum monimentis conſona elucent, quàm inanis, nulloque teſtimonio firmata Lazii opinio, qui Civitates pro libitu ædificans, Urbem nomine Præclaram iſtic claruiſſe ſomniat. Deletô autem ab Avaribus, ſeu Hunnis Arlape, fertur S. Wolffgangus Ratiſponenſis Præſul Bavarorum Coloniam huc deduxiſſe ab Ottone II. Cæſare ratihabitam, ipſiſque Ratiſponenſi Eccleſiæ, quod & modò perſeverat, ſubjectam.

PETRONELLA.

PEtronella Pagus nunc modicus ad dextrum Danubii latus Viennâ 7. milliaribus in Ortum diſtans, ingentis olim fuit Civitatis ſedes Carnuntum vocatæ, cujus ſitum iſtic potiùs, quàm Hamburgi, quod Cluverio (a) placet, ſtatuendum eſſe vetera ejuſdem rudera etiamnum extantia demonſtrant; nisì cum Lambecio (b) dicere malis, Urbem hanc Romanos ita ampliaſſe, ut à Petronellæ Vico Hamburgum uſque ſe extenderet, prout jam ſuperiùs attigimus. Congruunt quàm optimè antiquorum teſtimonia; Peutingerianum enim Hodœporicon, atque Antonini Itinerarium 28. paſſuum millibus Carnuntum Vindobonâ ad Orientem juxta Danubium removent: Plinius (c) adversùs Mari fluvii, qui nunc Moravus, vel Morava dicitur, oſtium ferè opponit, atque alio in loco his verbis ejuſdem meminit: (d) *IOC. ferè millia paſſuum à Carnunto Pannoniæ abeſt litus id Germaniæ, ex quo invehitur ſuccinum percognitum nuper*: utì in caſtigatis codicibus legere eſt, quædam enim editiones id fædè depravant. Carnus Carnuntis apud Ptolomæum, (e) & T. Livium (f) audit; eundem quippe locum huic ille aſſignat. Floruit inſignis hæc Civitas ad minimum duobus ante Chriſti nativitatem ſeculis, utpote quam anno ante eam 171. Licinii Conſulis Legatus ſubactis jam aliis Illyrici, Pannoniæve Urbibus, nec, ut ſe dederet, compellere, ſicut ipſe Livius ſcribit, neque capere potuit obſidendo. Anno tamen poſt Chriſtum 9. ſubmiſit ſe Tiberio famoſam de Dalmatis, & Pannoniis victoriam ſub Auguſti auſpiciis conſecuto. Porrò Coloniâ Civium Romanorum eò deductâ, electa ſimul ea Urbs eſt in Legionis decimæ

(a) In Vin. & Nor. c. 5.

(b) In addit. ad li. 2.

(c) Li. 4. c. 12.

(d) Li. 37. c. 3.

(e) Li. 2. c. 15.

(f) Deca. 5. l. 3.

cimæ quartæ Geminæ Sedem, & Iſtricæ claſſis ſtationem; neque vanè conjicit Lambecius, (a) illum longô ævô exeſum arcum, quem vulgus Das alte heidniſche Stadt-Thor appellat, non Carnuntinæ Civitatis portam, utì paſſim putatur, ſed unum ex binis triumphalibus arcubus fuiſſe, quorum meminit Dio Caſſius (b) victori Tiberio ab Auguſto in Pannonia decretorum, quod ex ejuſdem ſitu, & reſiduis lateralis ornatûs indiciis ſe manifeſtè judicat intuliſſe. Ad eam Carnuntum interim excrevit majeſtatem, ut plurium Cæſarum Aula fieri meruerit. Conſtat ſiquidem ex Eutropio, (c) & Oroſio (d) M. Aurelium Antoninum Philoſophum *jugi triennio, quo Marcomannicum bellum confecit*, hìc reſediſſe; ex Spartiano (e) L. Septimium Severum à Legionibus Germanicis fuiſſe Imperatorem acclamatum, ex Euſebio Cæſarienſi Licinium à Galerio hìc quoque in Cæſarem aſſumptum, atque ex Ammiano Marcellino, (f) Valentinianum in hac pariter Urbe, jam quidem tum pene deſerta, & ſqualida trimeſtri ſpatio fuiſſe commoratum. Præterea Antoninum Caracallam non modò Vindobonæ, ſed & Carnunti venationibus vacaſſe exiſtimat citatus aliàs Angelonus. Mentionem denique celeberrimæ hujus Civitatis faciunt vetuſti alii ſcriptores, cujuſmodi ſunt Author Notitiæ Imperii, Velleius Paterculus, Zoſimus, & Aurelius Victor. Ab extructo deinde in Carnunti ruderibus Monaſterio S. Petronillæ ſacro hodiernum loci nomen teſte Lazio dimanavit. (g)

(a) In add. ad l. 2. Bibl.
(b) Li. 56.
(c) Li. 8.
(d) Li. 2. c. 15.
(e) In vita Severi.
(f) Li. 30. c. 17.
(g) Chron. Vien. l. 1.

PEUERBACHIUM.

PEuerbachium vulgò Peurbach muro cinctum Superioris Auſtriæ Oppidum cum ampla Arce 6. Linciô milliaribus verſùs Bavariam diſſitum, valde fœdavit incendium anno 1626. à Ruſticis excitatum, ſed illud priſtinæ, imò majori venuſtati jam reddidit incolarum ſolertia. Schaumburgici olim Comites eo fruebantur, ex quibus Henricus cùm Alberto III. Auſtriæ Archiduci obſequi detrectans, in libertatem ſe vindicare, novaſque res moliri adniteretur, Peuerbachiô expugnatô Albertus eum domuit, cùmque bello impar Principem ſuum apud Cæſarem accuſaſſet, causâ quoque cecidit; arbitri enim, qui erant Fridericus Norimbergenſis, Berchtoldus Magdeburgenſis Burggravii, & Babo Abenſpergicus, Comitem Henricum aliquot bonis mulctatum Archiduci ſubjecere. Addit Michaël Bojemus in Vita Alberti Saxoniæ Ducis apud Merianum, (h) ab hoc Oppido, utpote à propria patria denominari famoſum illum Mathematicum Georgium Puerbachium Joannis Regiomontani Profeſſorem.

(h) Topog. Auſtr.

PIXENDORFFIUM.

PIxendorffium Tulnenſis campi Arcem ex ſitu, intervallis, & aliqua vocabuli conſonantia interpretatur Cluverius (i) eſſe Antiquorum Pirum tortum, quod 8. paſſuum millibus poſt Comagena Trigiſamum verſùs tendentibus in Peutingeriana Tabula occurrit. Utrum autem jam olim locus fuerit dictus ab indigenis Pirndorff, unde ſupervenientibus Romanis formatum fuerit nomen Pirotorfum; an verò vocem tortum Norici, vel Quadi huc transgreſſi detorſerint in vulgare illud Torff, ſive Dorff, quod vicum ſignificat decidere diffidit.

(i) Vind. & Nor. c. 5.

PLAGENSE COENOBIUM.

PLagenſe Ordinis Præmonſtratenſis Cœnobium vulgò Schlegl in Superiori Auſtria prope Bohemiam ſitum fundaſſe dicitur Colthagius de Falckenſtein.

POMARII MONS.

POmarii Mons vulgò Baumgartenberg eſt Ciſtercienſis Ordinis Monaſterium in Machlandia Superioris Auſtriæ Provincia comprehenſum, quod aliàs ad Montem Pomœrium perperam latinè redditur, quodque Comes Otto de Machland ſub annum 1143. fertur erexiſſe.

RETZA.

REtza vulgò Retz Urbs Archiducalis; ſed exigua duobus milliaribus Znoymæ Moraviæ Urbe ſolummodò diſtans peramœno fruitur diſtrictu, quem tamen ſæpius depopulati ſunt hoſtes, quibus illa in Huſſitico, Hungarico, Bohemico, & Suecico bello in prædam ceſſit.

SCHODTWIENNA.

SChodtwienna vulgò Schodtwien, vel Schaidwien, quod Lambecius præfert, Schuzwien, amplum eſt Oppidum ad radices montis Semmeringi Styriæ limitis, quod Æneas Sylvius Schadviennam, Bonfinius Scæam Viennam, & Noricorum fauces appellat. Anguſtant hìc rupes aditum, à viatoribus ex Auſtria in Styriam, & viciſſim comeantibus, valde frequentatum. Arx Clam edito ſaxo impoſita locum inſuper tuetur; attamen anno 1485. parum obfuit Matthiæ Regi, qui illum occupa-

cupavit, ſed ultrà progredi, & præruptum montis jugum non auſus ſuperare.

SEITENSTOTTENSE COENOBIUM.

SEitenſtöttenſe Ordinis S. Benedicti Cœnobium ab Udaſcalco Comite de Heefft conditum ortum ſuum ducit ab anno circiter 1112.

STEINA.

STeina vulgò Stein Archiducalis Civitas vix uno ſupra Crembſium lapide, Danubio ad Boream adjacens, eodem cum ea Urbe utitur Magiſtratu, ita ut primò trienniò Conſul Crembſium, & Steinam Judex incolat, alterò autem viciſſim Crembſii Judex, Conſul Steinæ reſideat, habitationis ordine ſic ſemper alternato. Tota pene Urbs unica, ſed longa definitur platea tribus portis aperta, & binis Templis inſtructa, quorum unum ad S. Nicolaum Parœciæ, alterum Minoribus Conventualibus uſui eſt; bellicos verò eventus eoſdem, quos Crembſium experta. In media utriuſque via obviat Capucinorum Aſceterium prodigioſa Deiparæ icone clarum. Steinam longiſſimus ſupra Danubium pons alteri Urbeculæ, quam Mautern vocant, Paſſavienſi Antiſtiti ſubditæ conjungit.

STOCKERAVIA.

STockeraviam Vicum in læva Danubii ripa ſitum, & Viennâ 4. milliaribus in Occaſum remotum, Aſtura fuiſſe antiquitus appellatam indicat Eugippius, ea in Norici & Pannoniæ vicinia, Comagenis, quæ Greiffenſtain diximus, proxima deſcribens; depravato tamen ab Amanuenſibus nomine pro Aſturis, modò Auſturis, modò Caſturis in quibuſdam codicibus reperitur. Quadorum hoc erat Oppidum, ſed & Romanis aliquandiu paruiſſe demonſtrat utriuſque Imperii Notitia, ubi legitur: *Sub diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis Pannoniæ, & Norici Ripenſis fuiſſe Tribunum cohortis Aſturis.* Ante Aſtura Aureatim inibi fuiſſe commentitii illius Marchionis Abrahami Regiam gratis deblaterant fabularum nundinatores: longè æquiori & certiori jure glorientur Aſturenſes ob primam S. Severini ſtationem in has oras ex Oriente profecti, donec prævisò, quod loco proximè imminebat excidiò, eôque incolis prædictò Comagena declinavit. Exciſis Aſturis poſt aliquam temporis intercapedinem ſuffecta eſt Stockeravia S. Colomani nationeScoti martyriò plurimùm illuſtrata; hic ſiquidem Hieroſolymam peregrinaturus, utì Erchenfridus Melicenſis Abbas coævus author in ſpeciali hujus Sancti hiſtoria teſtatur, vel ùt alii affirmant, ab ea redux anno 1012. huc appulerat, ubi pro hoſtium exploratore captus, poſt atrocia tormenta illi crudeliter inflicta, à furenti plebe contorto vimine aridæ arbori appenſus eſt eo in loco, quem Minorum Conventualium Cœnobium poſtmodum occupavit. Verùm vimine juxta Erchinfridum, vel ùt Ditmarus Mersburgenſis Epiſcopus pariter coævus, (a) ſed remotior author refert: arbore ipſa ſubinde efflorescente, & Sancti corporè vividum colorem, atque illæſam membrorum compagem per ſeſquiannum jugiter ſervante, ejuſdem demum patuit innocentia, decretumque, ut cadaver terræ mandaretur, quò peractò iteratis prodigiis Viri ſanctitas eluxit, quippe cùm intumeſcens Danubius Cœmiterium inundaſſet, aquis uſque ad mediam Templi altitudinem aggeſtis, hæ tumulum, quo ſacrum pignus condebatur, reveritæ, neque ſupergredi auſæ portentoſo eum pariete vallarunt.

(a) In fin. l. 7.

STYRA.

STyra vulgò Steyr amœna, & Archiducalis Superioris Auſtriæ Urbs penes Styræ amnis in Aniſum influentis Oſtium 4. milliaribus Linciò diſſita, Plinii, (b) & Ptolomæi (c) Aguntum à quibuſdam cenſetur; à Lazio autem Ptolomæi Geſodunum creditur, ſed ex Strabonis (d) textu perperam intellecto illud à Geſatis populis conditum infœliciter divinat, non enim Geſatas, ſed Boios tantùm ad Tauriſcos commigraſſe ſcribit præcitatus author. Tertiam Nauclerus præfert ſententiam his verbis expreſſam. (e) *Erat & Civitas in Norico Noris, hodie Styra dicta, ubi optimi fiebant enſes, inde dicti Norici enſes.* quos nimirum Horatius commendat. (f) Quæ ex his opinionibus prævaleat, incertum; cùm nulla ſolido nitatur fundamento, nec ulla falſitatis convinci evidenter poſſit. Nauclero forſitan favere videbitur florens etiamnum ferri commercium è Styriacis fodinis effoſſi, quod in cultros, aliaque hujuſmodi inſtrumenta iſtic affabrè elaboratur. Tutiùs fides adhiberi poteſt Grüenbeckio aſſerenti Styrenſis Arcis exordium deberi Comitibus de Steur circa annum 983., quo in Comitiis ab Henrico Bavariæ Duce, Leopoldo Auſtriæ Marchione, & Chriſtiano Paſſavienſi Epiſcopo Tulnæ habitis, impertita eſt omnibus facultas munitas Arces erigendi, quibus ſe ab Hungarorum

(b) Li. 3. c. 24.
(c) Li. 2. c. 14.
(d) Li. 5.
(e) Vol. 2. genera. 24.
(f) Li. 1. Ode 16.

rum infeſtationibus tutarentur. Arci adnata Civitas ab illius conditore nomen deſumpſit, imò in nobilis, ampliſque Comitatûs Metropolim evaſit; ſed hic ſub annum 1186. ob pias fundationes, aliiſque de cauſis huc, illuc diſtractus, uſque ad ſolum, quo nunc Arx gaudet, dominium ultimò defecit, quod à Dietmaro veteris prædictorum Comitum ſtirpis ſurculo Auſtriaci Principes anno 1252. ſibi compararunt, transacta cum Arce Loſenſtein, unde præſens familiæ nomen oritur, compenſatione. Sævis deinde procellis agitabatur Styra—, dum civile bellum inter Fridericum IV. Cæſarem, & Albertum Archiducem ferveret, donec anno 1459. huic traditâ— fuerit, ut impoſterum pacatior ſancita ſemel fœdera haud ampliùs violaret; attamen graviùs Styrenſibus acciderit anno 1626. in Ruſticorum poteſtatem deveniſſe. Urbis Eccleſiæ præter Parochialem S. Ægidii, tres memorantur à ſacris Prædicatorum, & Capucinorum Ordinibus, atque Jeſu Societate, cui P. Bernardus à Thonhauſen Collegium contulit, adminiſtratæ. Non procul hinc Aniſi ripam condecorat ſplendidum Garſtenſe Monaſterium, quod in Deiparæ honorem Religioſis S. Benedicti aſſeclis exſtruxit Ottocarus Carinthiæ & Styriæ Marchio; ſanctitate autem bini ex iis illuſtrarunt, nempe S. Wirnto poſtea Formpacenſis in Bavaria Abbas, & S. Bertholdus è Comitum Haimburgenſium proſapia anno 1140., ùt fertur defunctus, cujus feſtum 27. Julii ibi quot annis ſolemniter celebratur.

TRASMURENSE OPPIDUM.

TRasmurenſe Oppidum vulgò Traſmaur in dextro Trigiſami, modò Traſam fluvii littore, Danubio propinquum, antiquum Trigiſamum in Peutingeriana Mappa adnotatum eſſe putant Cluverius, (a) & Lambecius, (b) ex ſitu, diſtantiis, & vocabuli ſimilitudine id inferentes, ſed hæc non minùs conveniunt Ducumburgo, quod Traſamburgum aliàs vocatum ſuperiùs docuimus.

(a) Vin. & Nor. c. 5.
(b) Bibl. l. 2. c. 8.

TULNA.

TUlna pervetuſta, & Archiducalis— Urbs, atque florentiſſimum quondam Auſtriæ emporium prope Tulnæ amnis Danubium ſubeuntis oſtium ſita, anno 1277. Rudolphum I. Cæſarem Auſtriam ab Ottocaro Rege juſtis armis expoſcentem recluſis ultra foribus longè propenſiùs excepit, quàm Matthiam Hungariæ Regem ſolo armorum jure Auſtriam invadentem poſt bina indè ſecula ab eo ad deditionem compulſa, aut Ovonem, quem Petri loco Hungari regnare juſſerant, anno ſupra milleſimum 44. Saturnalibus feriis ab eo improvisè oppreſſa, atque expilata. In hac Urbe præter Parœciæ Templum, & Capucinorum Aſceterium ſingulare ſibi vendicat encomium ſacrarum Virginum Cœnobium, quod ad Dominicæ Crucis cultum idem Cæſar Rudolphus auſpicatus eſt, voti reus, quo ante glorioſiſſimam de Bohemis victoriam ad Laham obtentam ſe obſtrinxerat; in more quippe eum habuiſſe ferunt, quoties prælium aliquod ineundum immineret, diem Veneris, ſi integrum— ſibi foret, præſtolari, quæ cùm adeſſet, nuncupato hujuſmodi voto Cœlitum cohortes ſecum in hoſtes provocabat. Cœptum à parente opus ad faſtigium deduxit Hartmannus cum Friderico fratre ibidem humatus. Tulnenſi pomœrio famoſum— eum conflictum Merianus (c) adſcribit, quo Romanus Provinciæ Præſes Macrinus ab Hunnis cum exercitu cæſus interiit, quamquam non inultus, cùm illorum— etiam 40000., Ducesque Bela, Keme, & Kadicha ſimul occubuerint.

(c) Topog. Auſtr.

TYRENSTEINA.

TYrenſteinam Oppidum uno ſupra Steinam milliari Danubius allambit. Pertinebat id quinque abhinc ſeculis ad Dominos de Chuvering; at Friderico II. Auſtriam moderante, cùm duo ex iis fratres Henricus, & Hadmarus, abſente à Provincia Duce Steinam, & Crembſium incendiis defœdaſſent, reverſus Fridericus, illis in criminis pœnam expulſis, Tyrenſteinenſe dominium fiſco addixit, ex quo ad Dominos à Zelking, alioſque proceſſu temporis devolutum eſt. Impoſito monti Arx Oppidum deſpicit, cujus ſtodiæ Richardus Angliæ Rex à Leopoldo Duce, ùt— aliàs dixímus, captus fuerat demandatus: nunc tamen ſola illius extant rudera, venuſtiori in ejuſdem locum Arce inferiùs ſubrogata. Accedit Canonicorum Collegium D. Auguſtini legibus obſtrictum, quod jam anno 1395. Joannes de Meiſſau largè fundavit.

VECLÆPONTUM.

VEclabriga, ſive Veclæpontum vulgò Föklabruck Civitas eſt Archiducalis in Superiori Auſtria ad præterfluentem rivum Veclam ſita, & Lincio 8. milliaribus abſens, pulchrò foro, commodiſque ædibus inſtructa, quamvis anno 1638. fue-

fuerit incendio labefactata. Viciniam coronant Arces Wartenberg, Wagram, Puechenſtein, aliæque complures; illuſtrat verò clades anno 1626. tumultuantibus Ruſticis à Papenheimio tertiùm inflicta.

VISCHAMUNDA.

VIſchamundam 4. infra Viennam milliaribus alluit Danubius Viſcham amnem ibidem recipiens. Veterum Æquinoctium in Peutingeriano, & Antonini Itinerariis memoratum iſtic circiter extitiſſe ex ſitu, & milliarium intervallis indubitatè colligit, & quidem more ſuo eximiè Cluverius. (a)

(a) Vind. & Nor. c. 5.

WAIDHOVIUM.

WAidhoven duplex eſt Inferioris Auſtriæ Urbs, una Archiducalis, quam Bohemicam vocant, Arce inſtructa, & Teyæ fontibus proxima; altera, quam Bavaricam dicunt, & fluvius Ipſius irrigat, Friſingenſi Epiſcopo paret, ab Ottone III. Cæſare anno 995., vel ſequenti eidem attributa. Hanc Berchtoldus illius Eccleſiæ Præſul ad annum 1410. foſſa cinxit, atque egregiam Arci turrim adjunxit. Non procul indè memorabile eſt pratum, quod nigrum, ſeu Schwarze Wiſen vulgus nominat; anno ſiquidem 1529. aliquot Turcarum turmæ in eo caſtrametari auſæ, ab incolis ad internecionem cæſæ audaciam ſuam extremo ſanguine luerunt.

WALDHUSANUM. COLLEGIUM.

WAldhuſanum Canonicorum Regularium Collegium in Superiori Auſtria extructum fertur à Comite Ottone de Machland, ejuſque conjuge Comitiſſa de Prillnſtein.

WALSEE.

WAlſeenſe Oppidum duplex eſt, aliud ſuperius in Boreali Danubii parte Superiori Auſtriæ inſertum, aliud inferius in Auſtrali ad Inferiorem Auſtriam ſpectans 6. infra Lincium milliaribus flumini propinquum. Hoc à Cluverio, & Lambecio illud ipſum creditur, quod in Imperii Notitia, & apud Antoninum Lacus fœlix nuncupatur. Arcem hìc quoque cum præcelſa turri in editiori rupe ædificarunt antiqui Domini à Walſee cognominati; ex quibus Erhardus anno 1158. Seiſenſteinenſe Cœnobium in Inferiori, & Eberhardus anno 1355. Schlierbacenſe in Superiori Auſtria dicuntur Ciſtercienſium Ordini fundaſſe.

WELSIUM.

WElſium, vulgò Wels venuſta, & Archiducalis Superioris Auſtriæ Civitas 4. Linciò milliaribus ſecus Traunum fluvium abſcedit. Cluverius, cui Lambecius, & Merianus favent eam ab antiquiſſimis Noricis olim Willabs appellatam conjicit, idque vocabulum ſupervenientes Romanos in Ovilaba, vel Ovilava (unde factum Ovilabis, & Ovilatus) commutaſſe. Situi quippe Welſenſi adjudicandam eſſe eam Civitatem, cujus ſub nomine Ovilabis meminit Antonini Itinerarium, rectè colligitur ex 20. paſſuum millium à Lauriacenſi Urbe diſtantia, & Trauni propinquitate, aliiſque circumſtantiis in illo adnotatis: hanc verò cum Ovilia coincidere, quam Peutingerianum Hodœporicon ibidem collocat, non tam vocis affinitas, quàm circumjacentium locorum reſpectus omnino perſuadet. Ad ejuſdem dignitatem multùm confert Romanorum Colonia ab Imperatore M. Aurelio Antonino huc deducta, cujus mentio ſub his terminis *Coloniæ Aureliæ Antonianæ Ovil.* diſertè legitur vetuſto marmori inſculpta, quod ſub quadam Lambacenſis Cœnobii porticu videre eſt. Imò Epiſcopali quondam Sede ornatum Welſium docet Inchoffer teſtans ſe in probæ fidei factis Moderatum reperiſſe Ovilabenſem in Norico Epiſcopum Juliani Imperatoris ætate clarum. Lazius teſte Lambecio (b) modò ab Urbe Falſiana, de qua agit Notitia Imperii, cum tamen ibi nunquam Falſiana, ſed ſemper Faſiana lectoribus occurrat, modò ab Antonini Loco, vel Lacu fœlice, quem Danubio liquet adhæſiſſe, infirmâ utique conjecturâ Welſium detorquet. Fide dignius ſpero fore, quod idem author apud (c) Merianum affert, Welſii nempe dominatum à propriis Comitibus ad Herbipolenſem Eccleſiam translatum, & ab hac per Leopoldum Auſtriæ Ducem perſolutô pretiô poſtliminiò redemptum. Spectantur modò hac in Urbe præter ſacram Parœciæ Ædem, & nobilem Arcem bina Templa, quorum unum Sanctimonialium, alterum Capucinorum Monaſterio adnexum eſt.

(b) Bibl. l. 2. c. 8.

(c) Topog. Auſtr.

WEYTRA.

WEytra Urbecula eſt apud amnem Launiz Bohemiæ finibus juncta ad Fürſtenbergicos ex Suevia Comites quondam

dam pertinens, anno autem 1619. à Bohemis intercepta, ſed ſtatim à Bucquoio Cæſari vindicata.

ZUETLA.

Zuetla vulgò Zwetl, aut Zwethal, Urbs eſt Archiducalis, ſed exigua ab ejuſdem nominis rivulo, qui paulò infrà in fluvium Campum effunditur, irrigata. Hanc anno 1422., teſte Gerardo de Roo (a) Taboritarum agmen è propinqua Bohemia egreſſum acriter oppugnabat, quare Archidux Albertus cum ſuis accurrens Bohemos ad certamen provocavit. Pugnatum eſt in quartam uſque horam dubiâ victoriâ, donec Bohemi amiſſis curribus prælio exceſſerint, & Albertus caſtris exutus receptui cecinerit. Adjacens Urbi Claravallenſe Cœnobium ſub Leopoldo IV. Auſtriæ Duce Ciſtercienſibus fundavit Adalbero à Chuvering, cujus uxor Eliſabetha cum filio Hadmaro ædificium perfecit, donariis auxit, ac cenſibus locupletavit, utì loquitur Cuſpinianus, (b) cujus relationi aptè conſonat annus 1139. à Jongelino fundationi aſſignatus.

(a) Anna. Auſtr.

(b) Deſcrip. Auſtr.

Coronidis inſtar ſubjicio illam tum ſacris, tum profanis faſtis celeberrimam, atque Orthodoxæ fidei glorioſiſſimam victoriam, quam M. Aurelium Antoninum Philoſophum contra Marcomannos adeptum teſtantur Tertullianus, Euſebius, Oroſius, Xiphilinus, Gregorius Nyſſenus, aliique complures. Quamvis enim ſingulare illius ſpatium indicare arduum ſit, vix tamen ambigi poteſt, quin Auſtriaci campi eandem ſpectaverint. Siquidem M. Aurelium, dum in Auſtria degeret, Marcomannicum bellum confeciſſe ſupra oſtendimus, & Meridionali cis Danubium Auſtriæ Romanos, Septentrionali verò trans Danubium Auſtriæ Marcomanos tunc dominatos compertum omnino eſt; quare ſeu cis, ſeu trans fluvium conflixiſſe illos velis, nunquam Auſtriæ finibus egredieris. Gentes omnes teſte Julio Capitolino, ab Illyrici limite uſque in Galliam cum Marcomannis conſpiraverant, videlicet Nariſci, Hermunduri, Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes, Buri, Victovali, Soſibes, Sicobotes, Roxolani, Baſtarnæ, Alani, Peucini, & Caſtoboci. Contra hos itaque profectus Imperator, cùm exercitus ſiti laboraret, nec tutum foret eam ſtationem deſerere, Deorum opem fuſis precibus implorabat, ſed ſurdis utique canebat; tunc Chriſtiani milites, qui magno numero ei merebant, flexis humi genibus verum Deum adeò efficaciter exorarunt, ut non modò pluviam reficiendis Romanorum copiis, ſed & grandinem, & fulmina, quibus hoſtes petebantur, extorſerint, hinc ea legio fulminatrix dicta, & Imperator publico edicto ſanxit, ne quis Chriſtianus ob religionem in judicium ampliùs vocaretur. Neque inviſum lectoribus futurum ſpero, ſi ipſis Dionis Caſſii tum viventis verbis prodigium hoc enucleatiùs expoſuero. *Videre licebat*, inquit ille, *in eodem loco aquam, ignemq; de Cœlo cadere, atque ob eam cauſam valere alios bibere, alios exuri, ac prorſus interire. Non attingebat ignis Romanos, aut ſi fortè cum iis miſceretur, extinguebatur ſubitò: neque imber juvabat barbaros, ſed eos non ſecus inflammabat, atque oleum, ùt aquam requirerent, plurimâ perfuſi, infligerentq; pars ſibi vulnera, quo ignem ſanguine reſtinguerent, pars confugerent ad Romanos, quaſi illis tantummodò aqua ſalutaris eſſet.*

Poſtremò placuit ſuprà memoratum Friderici I. Cæſaris diploma, in quo maxima Auſtriæ in Ducatum tunc erectæ privilegia continentur, Lectori id, utì ſpero, benevolè admiſſuro iſtic exhibere.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Fridericus divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator Auguſtus, Primus ejus nominis. Quamquam rerum commutatio ex ipſo corporali inſtitutione poſſit firma conſiſtere, nec ea, quæ legitimè geruntur, ullâ poſſit refragatione convelli: tamen ne cauſa rei geſtæ ulla poſſit eſſe dubietas, Imperialis intervenire debet authoritas. Noverit igitur omnium Chriſti, imperiiq; noſtri fidelium ætas & futura poſteritas, qualiter Nos, ejus cooperante gratiâ, à quo cœlitus pax miſſa eſt hominibus ſuper terram, in generali noſtra curia Ratiſponæ, in nativitate S. Mariæ celebrata, in præſentia multorum religioſorum, & Catholicorum, litem, & controverſiam, quæ inter chariſſimum noſtrum Heinricum Ducem Auſtriæ, & inter nepotem noſtrum chariſſimum Heinricum Ducem Saxoniæ, diu agitata exſtitit, ſuper Ducatu Bavariæ, & ſuper Marchia à ſuperiori fluminis parte Anaſi, terminavimus hoc modo: quod Dux Auſtriæ reſignavit Nobis Ducatum Bavariæ, & dictam Marchiam, quos tenebat. Quâ reſignatione factâ, mox eundem Ducatum Bavariæ in beneficium contulimus Duci Saxoniæ. Prædictus verò Dux Saxoniæ ceſſit, & renunciavit omni juri, & actioni, quas habebat ad dictam Marchiam, cum omnibus ſuis juribus & beneficiis. Ne autem in hoc facto honor & gloria patrui noſtri chariſſimi aliquatenus minuatur, de conſilio & judicio Principum, illuſtri Uladislao Duce Bohemiæ ſententiam promulgante, quam cæteri Principes approbabant, Marchionatum Auſtriæ, & dictam Marchiam ſupra Anaſum, commutavimus in Ducatum: ejuſdemq; Ducatum, cum ſubſcriptis juribus, privilegiis, & gratiis omnibus

nitus, liberalitate Cæſarea contulimus Heinrico prædicto patruo noſtro chariſſimo, prænobili ſuæ uxori Theodoræ, & liberis eorundem, ob ſingularem favorem, quo erga dilectiſſimum patruum noſtrum Heinricum Auſtriæ Ducem, ejus conthoralem prænobilem Theodoram, & eorum ſucceſſores, nec non erga terram Auſtriæ, quæ clypeus, & cor Sacri Romani Imperii eſſe dinoſcitur, afficimur. De conſilio & aſſenſu Principum Imperii, dictis conjugibus, eorum in eodem Ducatu ſucceſſoribus, nec non prætactæ terræ Auſtriæ, ſubnotatas conſtitutiones, conceſſiones & indulta, autoritate Imperiali in jura plena & perpetua redactas, donavimus liberaliter vigore præſentium, & donamus: primò quidem, quod Dux Auſtriæ quibuſvis ſubſidiis & ſervitiis non tenetur, nec debet eſſe obnoxius ſacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, nisi ea de ſui arbitrii libertate fecerit: eô exceptô duntaxat, quod Imperio ſervire tenebitur, in Hungariam duodecim viris armatis per menſem unum ſub expenſis propriis, in ejus rei evidentiam, ut Princeps Imperii agnoſcatur. Nec pro conducendis feudis requirere ſeu accedere debet Imperium extra metas Auſtriæ, verùm in terra Auſtriæ ſibi debentur, ſua feuda conferri per Imperium, & locari. Quòd ſi ſibi denegaretur, ab Imperio requirat, exigat literatoriè trina vice: quo facto, juſtè poſſidebit ſua feuda, ſine offenſa Imperii, ac ſi ea corporaliter conduxiſſet. Dux etiam Auſtriæ non tenetur aliquam curiam accedere, edictam per Imperium, ſeu quemvis alium, nisi ultrò de ſua fecerit voluntate. Imperium quoque nullum feudum habere debet Auſtriæ in Ducatu. Si verò Princeps aliquis, vel alterius ſtatûs perſona nobilis vel ignobilis, cujuſcunque conditionis exiſtat, haberet in dicto Ducatu poſſeſſiones ab ipſo jure feudali dependentes, has nulli locet ſeu conferat, nisi eas priùs conduxerit à Duce Auſtriæ memorato: cujus contrarium ſi fecerit, eadem feuda ad Ducem Auſtriæ devoluta, liberè ſibi extunc jure proprietatis, & directi dominii pertinebunt. Principibus Eccleſiaſticis, & Monaſteriis exceptis duntaxat in hoc caſu. Cuncta etiam ſecularia judicia, bannum ſylveſtrium & ferinarum, piſcinæ & nemora in Ducatu Auſtriæ, debent jure feudali à Duce Auſtriæ dependere. Etiam debet Dux Auſtriæ de nullis oppoſitionibus vel objectis quibuscunque, nec coram Imperio, nec aliis quibuslibet, cuiquam reſpondere, nisi id ſua propria & ſpontanea voluerit libertate: ſed ſi voluerit unum locare, poterit de vaſallis ſeu homologiis, & coram illo ſecundùm terminos præfixos parere poteſt & debet juſtitiæ complemento. Inſuper poteſt idem Dux Auſtriæ, cùm impugnatus fuerit ab aliquo de duello, per unum idoneum, non in enormitatis macula detentum, vices ſuas prorſus ſupplere: & illum ipſe eadem die ſeu Princeps vel alius quiſquam pro alicujus nota infamiæ non poteſt impetere, nec debet impugnari. Præterea quicquid Dux Auſtriæ in terris ſuis ſeu diſtrictibus ſeu fecerit, vel ſtatuerit, hoc nec imperium, nec alia potentia modis ſeu viis quibuſcunque debet alio quoquo modo in poſterum commutare. Et ſi, quod Deus avertat, Dux Auſtriæ ſine hærede filio deceſſerit, idem Ducatus ad ſeniorem filiam, quam reliquerit, devolvatur. Inter Duces Auſtriæ qui ſenior fuerit, dominium habeat dictæ terræ, ad cujus etiam ſeniorem filium jure hæreditario deducatur: ita tamen, quod ab ejuſdem ſanguinis ſtipite non recedat, nec Ducatus Auſtriæ ullo unquam tempore diviſionis alicujus recipiat ſectionem. Si quis in dicto Ducatu reſidens, vel in eo poſſeſſiones habens, fecerit contra Ducem Auſtriæ occultè vel publicè, eſt dicto Duci in rebus & corpore ſinè gratia condemnatus. Imperium dicto Duci Auſtriæ contra omnes ſuos injuriatores debet auxiliari & ſuccurrere, quoad juſtitiam aſſequatur. Dux Auſtriæ, principali indutus veſte, ſuppoſito pileo ducali, circumdato ſerto pinnito, baculum habens in manibus, equo inſidens, & inſuper more aliorum Principum Imperii, conducere ab Imperio feuda ſua debet. Dicti Ducis inſtitutionibus, & deſtitutionibus in Ducatu Auſtriæ ſuo, eſt parendum. Et poteſt in terris ſuis omnibus tenere Judæos, & uſuarios publicos, quos vulgus vocat Gewerthen / ſine Imperii moleſtia & offenſa. Si quibuſvis Imperii curiis publicis Dux Auſtriæ præſens fuerit, unus de Palatinis Archiducibus eſt cenſendus. Et nihilominus in conſeſſu, & inceſſu ad latus dextrum Imperii poſt Electores Principes obtineat primum locum. Dux Auſtriæ donandi & deputandi terras ſuas, cuicunque voluerit habere debet poteſtatem liberam, ſi, quod abſit, ſine hæredibus liberis decederet: nec in hoc debet per Imperium aliqualiter impediri. Præfatus quoque Ducatus Auſtriæ habere debet omnia & ſingula jura, privilegia & indulta, quæ obtinere reliqui Principatus Imperii dinoſcuntur. Volumus etiam, ut, ſi diſtrictus & ditiones dicti Ducatûs ampliati fuerint, ex hæreditatibus, donationibus, emptionibus, deputationibus, vel quibuſvis aliis devolutionum ſucceſſibus, præfata jura, privilegia, & adulta ad augmentum dicti Dominii Auſtriæ plenariè referantur. Et ut hæc noſtra Imperialis conſtitutio omni ævo firma & inconvulſa permaneat, præſentes literas ſcribi & ſigilli noſtri impreſſione fecimus inſigniri.

TOPO-



Studiô et operâ cujusdam Geographi, S. I.

Engelbrecht et Pfeffel sc. et excud. Vien.



TOPOGRAPHIA DUCATUS STYRIÆ.

STyriam, Germanis Steyer, vel Steyermarch, ambiunt ab Oriente Hungaria & Slavonia; ab Occidente Salisburgenſis Ditio, & Carinthia; à Meridie Carniolia; à Septentrione Auſtria. Diſtinguitur in Inferiorem, & Superiorem: hæc montibus horret; illa, etſi illis non careat, in planos tamen campos alicubi expanditur. In hac montium aſperitatem alternantes mitigant valles frugibus refertæ; leniores in illa colles, quà Ortum reſpicit, generosô ſuperbiunt vinô. Cæterùm agri utrobique fertiles, ſylvæ multâ ferâ plenæ, acidi fontes, amœna in ſummis etiam alpibus paſcua, & rupes ferrô, aliiſque metallis gravidæ Provinciam celebrant.

Sub Romanorum Imperio Styriæ pars Occiduis adjacens regionibus ad Noricum mediterraneum pertinebat, reliqua Ortivis contermina Pannoniæ adſcribebatur. Norici Tauriſcis ibidem ſucceſſerant, quod Plinius diſertè docet, (a) dum ait: *Juxta Carnos quondam Tauriſci appellati, nunc Norici.* Latiùs tamen, quàm ea Styriæ portio Tauriſcorum patebat tractus, utpote per totum Auſtrale Noricum alpibus proximum ad Rhætiam uſque ſe extendens, quod itidem ex ſubjunctis Plinii verbis: *His contermini Rhæti, & Vindelici*, compertum eſt Tauriſcis verò adhuc latiùs habitâſſe Noricos, ex Strabone (b) diſcimus, cujus hæc ſunt verba: *Noricorum ſunt etiam Tauriſci*, utì Cluverius vertit, vel ùt in Lugdunenſi legi editione: *In Noricis & Tauriſci ſunt.* ubi clarè innuit, hos ad illos velut ſpeciem ad genus referri. Demum quamvis vacillare videatur Cluverii ſententia omnes Alpinos populos Tauriſcos appellantis, cùm Plinius hos à reliquis alpium incolis manifeſtè dirimat eos in præcitato loco ita enumerans: *Incolæ Alpium multi populi, ſed illuſtres à Pola ad Tergeſtis regionem Secuſſes, Subacrini, Catili, Mænocaleni, juxtaq; Carnos quondam Tauriſci appellati, &c.* Nihilominus Auſtraliora Cetii in Auſtria deſcripti juga, quæ modò Styriæ includuntur, Noricos aliàs Tauriſcos tenuiſſe, ratum plurimis eſt, ſiquidem omnem ambigendi anſam adimunt tum Strabo, (c) & Plinius illos Carnis adjicientes, quod hic alibi magìs dilucidat, *à tergo Carnorum, & Japidum* eoſdem ſtatuens, tum alia quoque indicia, quæ mox emergent.

(a) Li. 3. c. 20.

(b) Li. 4.

(c) l. 3. c. 23.

Inter hæc non leve momentum ineſt ipſi Styriæ vocabulo, quod à Germanico verbo Stier, hoc eſt latinè Taurus dimanaſſe pronum eſt; hinc vetuſtiores aliqui non Steyrmarch, ſed Styrmarch ſcripſiſſe reperiuntur. Videntur itaque Germanici populi trajectô Danubiô in has terras egreſſi Romanum Tauriſcorum nomen, quaſi hoc à tauris derivaretur, in conſonam proprii idiomatis vocem commutâſſe: unde & taurum olim feruntur in ſuis inſignibus habuiſſe, cui flammivomam deinceps pantheram ſubrogarunt. Quod tamen non evertit, utì Schönleben (d) prætendit, eruditam Cluverii (e) conjecturam, quam ille hac ratione deducit. *Hoc* Tauriſcorum *nomen eſſe derivatum, non è Gallia allatum, ut antiqui Græcorum crediderunt ſcriptores; ſed hiſce in oris natum teſtantur Noricorum montes, qui inter Dravum, & Salſiacum amneis (vulgò hic eſt Saltzbach) etiamnum vulgari vocabulo dicuntur* Taurn *variis cognomentis diſtincti, ùt Krumler taurn, Windiſch taurn, Felber taurn, Karn taurn, Kalſer taurn, Rauſſiſer taurn, Kaſtein taurn, Villacher taurn, &c. A quorum vocabulo haud dubiè Celtico ſermone gens accola dicta fuit* Thi Tauriſchen, *quod poſtea Græci, atque Latini fecere Tauriſchi, quemadmodum thi Theutiſchen Theutiſci.* Non, inquam, evertit; hæc quippe nominis origo ante Romanorum adventum Celtis iſtic degentibus attribuitur, atque hi ſaltem dialecto ab iis veteris Germaniæ gentibus diſcrepabant, quæ labente Romanorum potentia Noricum inundârunt. Sub una autem Celtarum voce hodiernam Germaniam, & Galliam, aliaſque ad Septentrionem Provincias apud vetuſtiſſimos ſcriptores ſingularium diſtrictuum adhuc ignaros latuiſſe, ex eorundem teſtimoniis paſſim demonſtratur. Porrò Romanos, cùm Imperium ultra Italiæ clauſtra promoviſſent, uſurpata ab indigenis locorum nomina latino more inflexa, plerumque acceptaſſe, innumera exemplorum ſerie

(d) In Carn. Antiq. Appa. c. 1. §. 4.

(e) De Vin. & Nor. c. 2.

ſtabiliri facilè poteſt. Indubitatum enim eſt has voces Marcomanni, Langobardi, Nortmanni, Hermunduri, Langobriga, Aſciburgium, Marcodurum, Teutoburgium, aliaſque hujuſmodi à latinis illius ætatis authoribus admiſſas eam originem præſeferre. Diſcuſſis iis, quæ de Tauriſcorum ortu, atque etymologia probabili ſaltem ratione fulciri poſſunt, poſtremum locum nunc fabulis demus.

(a) in Car. Anti. Appa. c. 1. §. 4.

Congerit has Lazius, & ùt tales meritò explodit Schönleben; (a) Teyram ſcilicet Jovis fratrem poſt diluvium egreſſum ex Perſia, ubi mons Taurus Tauriſcorum indicat primordia, per longas viarum ambages in Europam commigrâſſe, ibique primò ſecus Pontum Euxinum Tyragetibus populis, & Tyræ fluvio nomina indidiſſe. Hinc ad Iſtri crepidinem conceſſit, ubi conditô Taurunô, ſeu Albâ Græcâ ad Carpathum montem progreſſus Teuriſcorum Coloniam eò deduxit; ſed fertiliores appetens terras Germaniam petiit, in qua Thuringiæ Regnum auſpicatus Teuriſcos, & Tauriſcos in Celticas Alpes propagavit. Verùm *quid tandem eſt* (ut Velſeri (b) verbis utar, quibus in aliud Lazii commentum invehitur) *quid*, inquam, *tandem eſt, ſi hoc non eſt, aliorum abuti patientiâ, neque mentem, neque frontem ſcribendis libris afferre?* Quæ eſt, quæſo, inter Thuringos recentius nomen, & Tauriſcos affinitas? cur hic Tyragetes, ibi Tauriſci procreantur? Quis adeò accuratè tot itineris flexus eo tempore conſcripſit? quis demum ille poſt diluvium Teyras, & quidem Jovis frater? forſitan unus ex iis, quos parens Saturnus adhuc vagientes devoravit?

(b) In Scho. ad c. 24. vitæ S. Severini.

Altera Styriæ pars, quam minùs montibus aſperam Pannoniæ adſcripſimus, ſpecialiùs quoque nomen ſortita, ſupra Dravum fluvium Valeria, infra eundem Pannonia Savia aliquando dicebatur. Namque illam inter Pannonios Danubio, & Dravo diſertè claudunt Sextus Rufus, (c) & Jornandes, (d) hanc verò idem Rufus Valeriam inter & Dalmatiam extendit, Saviæ cognomentum à Savo fluvio, quo à Meridie terminabatur, derivari palàm eſt. Valeriam teſte Aurelio Victore (e) ita appellari juſſit Galerius Maximianus Imperator in Valeriæ uxoris gratiam Diocletiani filiæ.

(c) In Brev. rer Rom.
(d) De regno. ſucceſſ. l. 1.
(e) De Cæſa. ca. 40.

Romanas aquilas cum Norico, & Pannonia venerata eſt utraque Styria, ſed Tauriſcos, & nonnullos alios populos Coſſ. L. Cornificio, & Sexto Pompejo, id eſt anno ante Virginis partum 35., ab aliis defeciſſe, ac tributa pendere detrectâſſe tradit Dio Caſſius, (f) quare neceſſe habuit Cæſar Auguſtus ex Sicilia, unde in Africam meditabatur, exercitum reducere, quô reprimerentur. Cæterùm quì, & quando hæ regiones in Romanorum poteſtatem redactæ ſint, præcitatus Sextus Rufus paucis complectitur; unde haud pigeat, eum ita enarrantem audire: *Sub Julio, & Octaviano Cæſaribus per Alpes Julias iter factum eſt: Alpinis omnibus victis Noricorum provinciæ acceſſerunt. Bathone Pannoniorum Rege ſubacto, in ditionem noſtram Pannoniæ venerunt. Amantinis inter Savum, & Dravum proſtratis, regio Savenſis, ac ſecundorum Pannoniorum loca obtenta ſunt. Marcomanni, & Quadi de locis Valeriæ, quæ ſunt inter Danubium, & Dravum pulſi ſunt: & limes inter Romanos, & barbaros ab Auguſta Vindelicûm per Noricum, Pannonias, & Mœſias eſt conſtitutus.* Romanos Styria hac ratione poſitos, variæ à Septentrione gentes infeſtarunt, donec tandem ejecerint. Poſt Marcomannos, & Quados, ab anno Chriſti 332. reliquis præviſſe videntur Vandali Germanica natio à Vindis, Vendis, ſeu Venedis omnino diſtincta, impetratâ à Conſtantino magno ſedis in inferiori Pannonia figendæ poteſtate, cùm à Geberico Gothorum Rege non procul à Danubii oſtiis, quo ex balthicis oris advenerant, gravi clade cæſi, aliò declinare compellerentur: iis verò recedentibus, ſubingreſſi ſunt Gothi, dein Longobardi ex Germania pariter oriundi; mox ſecuti Vindi, ſeu Slavi, Hunni, atque Avares; poſtremò Franci, cùm Carolus Magnus ſub annum 790. ampliſſimos ditionis ſuæ fines uſque ad mare Adriaticum protenderit.

(f) Li. 49.

Francorum nomine primùm, dein ſuo, Styriæ imperitârunt Boiorum, ſeu Bavariæ Duces, quorum erat Marchia, ſeu limes adversùs Slavos, & Hungaros conſtitutus, Carinthiæ Principibus ſubinde traditus; donec anno 1030. Conradus II. Imperator Styriam ab his avulſam imperialem Marchiam, ſeu Marchionatum creavit, ei præeſſe juſſo Ottocaro Comite in Muerztal, & Auelanz, Domino in Eppenſtein, Marquardi Carinthiæ Ducis ex fratre nepote; non tamen hæreditario in poſteros jure, liècthi ordine ſucceſſerint; id enim ab Henrico V. Imperatore anno 1120. primò obtinuiſſe Leopoldum Ottocari III. filium Fuggerus teſtatur; (g) in præmium ſcilicet victoriæ, quam contra Abam Hungariæ Regem prope Petovium retulerat. Nonnulli tamen opinantur apud Merianum, Ottocarum I. non toti, quatenus hodie patet, Styriæ præfuiſſe, ſed duntaxat Superiori, Styrenſi inſuper Comitatu Auſtriæ nunc inſerto, quem author Anaſperg vocat, à Conrado Cæſare donatum. Inferiorem autem, ſeu Græcenſe ter-

(g) In ſpec. hon. l. 2. c. 3.

territorium poſt Waldonis Comitis Runenſis mortem Henrici V. indultu Leopoldo acceſſiſſe. Fateri interim neceſſe eſt, hiſtoriæ hujus veritati denſam apud hiſtoricos caliginem offundi. Leopoldi porrò filius Ottocarus IV. primus Styriæ Dux à Friderico Oenobarbo anno 1165. renunciatus, ducta in conjugem Kunigunde Leopoldi VII. cognomento Virtuoſi Auſtriæ Ducis filiâ, cùm nullam ab ea prolem adipiſceretur, conſentientibus Provinciæ Statibus, Ducatum ſocero vendidit: hinc Babenbergicis Principibus Styria paruit, quorum ſucceſſore Hermanno Badenſi terris ſubducto, & Ottocaro Bohemo Auſtriam occupante, Styri hujus dominatum abhorrentes, Henricum Bavariæ Ducem invitarunt, qui cùm Belam Hungariæ Regem, ſuumque ſocerum conſilii gratiâ priùs adiviſſet, hic re intellecta, conciliatis ſibi clam Styrorum animis, atque Henrico conſilii, & auxilii inope ad ſuos remiſsô, Styria potitus, Ottocarum, qui hanc ſibi adimi non patiebatur ad arma concivit, quibus ille Belam ad Provinciam ſecum dividendam, primò adegit, dein ingenti clade eidem reliquam rurſus partem repetenti inflicta, univerſam ſibi vendicavit. Tandem Ottocarô à Rudolpho I. Cæſare, utì notum eſt, profligatô, Styriæ Ducatus unà cum Auſtria Alberto victoris filio non ſine motibus ceſſit, à quo ad noſtram uſque ætatem ſub Habſpurgicæ, nunc Auſtriacæ Proſapiæ Imperio, invidenda à cunctis populis ſorte, proſperè perſeverat. His itaque, quæ ad univerſam Provinciam ſpectant de more præmiſſis, ejuſdem priùs Metropolim, dein cætera relatu digniora conſveto Alphabeti ordine deducam.

GRÆCIUM.

GRæcium vulgò Grätz nobiliſſima Urbs lævo præterfluentis Muræ littori inſidens, ſolô gaudet peramœnô partim in planitiem explicatô, partim in montes abietibus conſitos ſe ſe attollente. Reſpondet latitudinis gradui 47. cum min. 2., longitudinis verò gradui 39. cum min. 40.; quare 20. Viennâ milliaribus rectâ lineâ in Meridiem abſcedit, licèt tritum ab ultro citroque commeantibus iter 26. milliaria complectatur. Antiquitatis famam illi adſtruere nititur Cluverius, cùm Ptolomæi Muroëlæ Græcium ſucceſſiſſe arbitretur; at Muroëlam Muræ fluvio quondam proximam tum vocis ſimilitudo, tum gradus ab authore annexi utcunque perſuadent; certum autem ejus ſitum, cùm nulla præluceant indicia, humanæ mentis acies ægerrimè aſſequetur; hinc in diverſa abeunt ſcriptores, cùm alii Oppido Mureck 6. infra Græcium milliaribus Muræ adjacenti eandem adſcribant. Omnium tamen infœliciſſimè divinat Lazius, qui regiones ſuſque, deque invertens Savariam iſtic ſtatuit in Hungaria duntaxat reperiendam, cui errori ut medeatur, novum affingit, alteram Styriæ Savariam in arena ædificando. In vetuſtis porrò codicibus Bavaricum Græcium, ſeu Bayriſch Grätz ad alîus diſtinctionem, quod Windiſch Grätz dicitur, cognominari plurimi ferunt: unde colligit apud Merianum Aventinus, hoc Vendorum, ſive Slavorum, illud verò Bojorum confinia defendiſſe, nominis etymologiâ à voce Gräniz derivatâ; alii tamen à Slavico vocabulo grad, quod Caſtrum ſonat, eam oriri contendunt, tolerabili utrinque conjectura.

Urbem foſſis, muroque turribus interjectô veterum more cingere primùm exorſus eſt Fridericus IV. Imperator; at creſcente indies artis induſtria inter crepundia cenſebantur, quæ olim non modicum hoſtibus terrorem incuſſiſſent; ideoque ſub Carolo Archiduce, ejuſque filio Ferdinando aggeſtâ humô viſa ſunt altiùs aſſurgere mœnia, prominere latiùs propugnacula, foſſæ profundiùs penetrare; hujuſmodi enim munimenta totum ambitum vallant, ſi unum excipias latus ab alluente fluvio cuſtoditum. Inter hæc quinque panduntur portæ à Mura, ſaccis, D. Paulo, ferro, & novitate ſua nomen ſortitæ. Curvatam in Urbem protenditur ab Aquilone excelſa rupes à circumjacentibus montibus prorſus divulſa, cujus verticem coronat fortiſſima Arx omni bellico apparatu egregiè inſtructa; hinc enim eam tuetur inacceſſus ob præcipitium aditus, indè ſolida obviant valla gravioribus catapultis onuſta; internum armamentarium æneis abundat fiſtulis; aquam amplæ ſuppeditant ciſternæ, & prodigioſus ſanè puteus per duriſſimam petram ad uſque montis radicem improbo labore deductus: imò & divina adſunt præſidia, centrum quippe ferè tenet ſacra D. Thomæ Ædes, quæ Arcis ætatem antevertere fertur, inter ſaltus collem quondam obſidentes primitus erecta; adjacet illi turris, in qua appenſum æs campanum miræ magnitudinis latiſſimè reſonat. Quæ pene omnia providam Archiducis Caroli magnanimitatem jugiter deprædicant; ſiquidem is plurima adjecit, poſtquam nobile hoc Caſtrũ factâ cum Provinciæ Statibus, ad quos à Dominis Richtſcheidl tranſierat, alterius boni comutatione, Archiducali juri addixiſſet. Illius tamen obtinendi arduitatem, etiam antequam

validiora Caroli additamenta deterrerent, experti ſunt Turcæ, qui captam anno 1532. Urbem adhuc leviter munitam mox deſeruerunt, cùm nimis crudis dapibus inurbani hoſpites exciperentur, nec ſat virium, aut animi ad eam aggrediendam, quamvis magnô numerô adeſſent, poſſent à ſe ipſis impetrare.

Interiorem jam Civitatis faciem luſtraturi à Templis initium ſumamus. Præeminet his Aulica D. Ægidii Græcenſis Tutelaris Baſilica à Friderico IV. Imperatore anno 1450. inchoata, & anno 1577. Societati Jeſu tradita, in qua marmoreis conduntur ſarcophagis ſacra DD. Martini, Vincentii, & Maxentiæ Martyrum corpora à Summo Pontifice Paulo V. ad Archiducem Ferdinandum anno 1617. tranſmiſſa: accedunt Archiducis Caroli viſcera ad dextrum majoris aræ latus marmoreo itidem tumulo donata, atque Archiducum Maximiliani, Ferdinandi Junioris, & Joannis Caroli corda argenteis ſcyphis incluſa, ſubterranea in crypta decenter collocata. Circumſitum cœmeterium exornat inſignis Eccleſia, quam Mauſolæum vocant, D. Catharinæ Partheno-Martyri ſacra anno 1614. deleto vetuſtiori ſacello, exſtrui cœptæ, & ab Auguſtiſſimo Leopoldo non modò perfecta, ſed & picturis, aliiſque ornamentis oppidò illuſtrata; ubi præter Mariæ Annæ Ferdinandi II. tunc Regis Bohemiæ conjugis anno 1618. è vivis ſublatę, & Caroli Joannis ejuſdem primogeniti ſubſequenti anno vitâ functi cineres, quieſcunt glorioſæ ipſius Ferdinandi II. Cæſaris exuviæ, qui præclâræ hujus molis fundamenta jecerat, ut ea in Urbe pretioſum ſui pignus poſt funera deponeret, à qua primam lucis uſuram fuerat mutuatus. D. Ægidii Templo jungitur Societatis Jeſu Collegium, nobile ab anno 1573. Archiducis Caroli Fundatoris monumentum, quod Ferdinandus II. parentis munificentiam æmulatus ampliorıbus proventibus liberaliter dotavit Collegium excipit Univerſitas Philoſophicis, & Theologicis diſciplinis præter humaniores muſas inclyta, à memorato Archiduce anno 1586. erecta, atque à Sixto V. Summo Pontifice, & Rudolpho II. Imperatore confirmata. Ædificii tamen, quod hodie emicat, ſtructura non niſi ab anno 1607. aſſurrexit. Nobilitarunt Academicam hanc Palæſtram bini Sereniſſimi Palladis aſſeclæ, nempe Archiduces Maximilianus Erneſtus, & Leopoldus, qui ejus ſcholas palàm adire, & Theodoſium Magnum ille, hic D. Ambroſium anno 1600. in ſcena exhibere rarô exemplô non ſunt dedignati, ex quibus ſecundus Philoſophicas inſuper theſes Rudolphô Cæſari dicatas glorioſiſſimè propugnavit.

Cætera pientiſſimæ Urbis Templa ſunt Parochiale Sanctiſſimo Sanguini ſacrum, olim à Venerabili Prædicatorum Ordine, nunc à Græcenſi Parocho, & Inferioris Styriæ per partem Voravienſem Archidiacono adminiſtratum, cui adnexum Cæſareum Xenodochium Ferdinandi I. opus. Templum B. Virginis in Cœlos aſſumptæ anno 1515. Minoribus Obſervantibus conceſſum, qui primùm ad Suburbia per Fridericum IV. anno 1463., dein intra ipſam Urbem anno 1495. per Maximilianum Romanorum Regem fuerant invitati. Horum Cœnobium piis ſuis manibus condecoravit, ùt ferunt, Rudolphus Sigiſmundi Archiducis filius D. Franciſci regulam in eo profeſſus, atque ibidem tumulatus: certum tamen eſt, ejus nomen in genealogicis Auſtriacæ ſtirpis tabulis nuſquam apparere. Templum D. Pauli Apoſtoli per deſcriptum aliàs montem aliquantum aſcendens, quod anno 1619. inceptum, & octennii ſpatio ad apicem perductum, alterius vices ſubit, quod poſt D. Thomæ Ædem Arci incluſam antiquiſſimum habebatur. Addita huic fuit anno 1558. S. Auguſtini Eremus, ob Heterodoxorum quidem malignitatem eleemoſynas ſubtrahentem anno 1601 à Religioſis deſerta, ſed non multò pòſt, iis Ferdinandi II. authoritate reverſis, venuſtiùs reſtaurata. Templum D. Joſephi Diſcalceatorum Carmelo adjunctum, ante quod patens forum ab inaurata Deiparæ ſtatua prælatæ columnæ impoſita illuſtratur. Templum S. Laurentii cum Capucinorum aſceterio, quod Ferdinandus II. in eadem area erigi voluit, in qua decem hæreticorum librorum millia ex tota Urbe collecta vindicibus flammis antea juſſerat demandari. Templum S. Leonardi, quod cum adjacente Monaſterio excitatum fertur munificentia Friderici Pacifici, & quidem Jeroſolymâ reducis, utì ſubjungit recentiſſimus quidam ſcriptor anonymus; quod ſi ita ſe habet, in annum 1437. debuit hæc erectio incidiſſe. Incoluerant priùs Cœnobium Minores Obſervantes, ſed his ad hodiernam ſtationem anno 1515. recedentibus ſucceſſerunt ſacræ Deo Virgines D. Dominici legibus obſtrictæ, quæ ex alio Monaſterio ab Udalrico à Walſee anno 1313. in Suburbiis condito, & ob incuſſum dein à Matthia Corvino armorum metum ſolo cum iiſdem æquato, in Urbem ſe contulerunt. Templum omnibus Cœlitibus ſacrum eo in loco ſitum, quo anno 1568. Styriæ Proceres hæreſi infecti ſcholas ſuis Rabulis fundaverant

rant, unde ſectæ peſtiferæ venenum latiùs effunderent, verùm iis à Ferdinando Archiduce anno 1599. ſeverò edictô exterminatis, Maria Ferdinandi mater Princeps pietati addictiſſima in expiatas ritè ædes D. Claræ Sanctimoniales ex Monachienſi S. Jacobi Monaſterio advectas anno 1603. ſolenniter induxit; quibus ipſamet poſtmodum acceſſit, religioſa vota, annuente Apoſtolico Nuncio, paulò ante mortem nuncupans, atque in religioſis indumentis ibidem ſepulta. Templum Parthenio adjunctum Carmelo, ad cujus fundationem Ferdinandus III. Imperator, Maria ejuſdem conjux, Eleonora Ferdinandi II. vidua, atque Archidux Leopoldus Guilielmus año 1643. concurrêre. Templum denique dicatarum Deo Virginum, quas Urſulinas vocant, ſubminiſtratis à pia quadam primæ nobilitatis Matrona ſumptibus, & quidem abſque miraculo, quod nuperus author adſtruit, recenter erectum, poſtquam illę partim Viennâ, partim Goritiâ anno 1686. huc appuliſſent.

Expeditis ſacris profana inviſuri ædificia ab Aula auſpicamur, quæ inter reliqua primatum meritò ſibi vendicat. Hanc à Friderico IV. Imperatore cognomine Pacifico è fundamentis eductam, in conſtantem ſibi ſedem delegêre bini Archiduces Ferdinandi I. Cæſaris filius, & Nepos, Carolus nempe, & Ferdinandus, antequam totius Imperii clavo admoveretur. Magno tamen decori etiamnum ei ſunt ſuprema quatuor Tribunalia ibidem inſtituta; videlicet intimum Conſilium, quod cęteris omnibus authoritate antecellit; Regimen cujus author Archidux Carolus ab anno 1565., caput verò ipſe Urbis Locumtenens; Camera cum peculiari ſuo Præſide, atque hæc tria toti Interiori Auſtriæ jura dicunt, quo nomine non modò Styria, ſed & Carinthia, & Carniola cum Goritienſi Comitatu comprehenduntur; quartum demum eſt Conſilium bellicum, quod anno 1558. idem Archidux Carolus primò concivit, ut Turcicis confiniis excubaret. Quamobrem etiam non procul hinc longum protenditur armamentarium Academiæ contiguum, cui de omnigena Martis ſupellectile affatim proſpectum. Suppar Aulæ Domus Provincialis ab anno 1563. in magnificam, quæ hodie eminet, molem attolli cœpit, ubi Comitia ſua cogunt Provinciæ Status ex quatuor Prælatorum ſcilicet, Dominorum, Equitum, & Civitatum Ordinibus coaleſcentes: adjacet huic quoque proprium armamentarium ad patriæ tutelam providè adornatum. Eſt & ſua Civibus Curia, quos lecti ex ipſis Conſul, Judex, & Senatus moderatur. Tenet illa caput oblongi fori binis nundinis quovis anno frequentati, cui in altero opponitur Sanctiſſimæ Trinitatis Coloſſus ex inaurato ære confectus, & celſæ columnæ plurium Sanctorum ſtatuis circumdatæ incumbens.

Luſtratâ, quantum aſſumpti operis ratio patitur, Civitate, jam mœnibus egreſſuros D. Pauli, ferreaque porta ad bina nos Suburbia deducunt, unum conſecrat S. Joannis Baptiſtæ Eccleſia Capucinorum Aſceterio adjuncta, alterum verò venuſtum D. Annæ Templum cum pari Eremitarum S. Auguſtini, quos diſcalceatos vocant, Monaſterio, qui anno quidem 1655. ſedem Urbi propiorem Joanne Maximiliano Comite ab Herberſtein fundatore fixerant, ſed ea ob appropinquantium Turcarum metum anno 1666. everſa huc receſſerunt: ubi primum novi ædificii lapidem magna ſolemnitate poſuit anno 1673. Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus I.; Maximum autem Suburbium, & amplitudine ſua Urbem ſuperans, Mura fluvius ab eadem ſejungit: ſurgunt hic pariter Templa non pauca, ex quibus quatuor ſaltem memoranda cenſeo, nempe Beatiſſimæ Virginis Auxiliatricis prodigiis claræ Sacrarium D. Artemii Martyris corpore à Joanne Antonio Principe ab Eggenberg Româ adductô ditatum, cui adjectum Cœnobium ab anno 1515. Minores Conventuales incolunt; D. Andreæ Eccleſiam à Prædicatorum Ordine adminiſtratam, atque duo alia à Religioſis S. Joannis Dei, & D. Eliſabethæ Monialibus poſſeſſa. Deſinit hoc Suburbium, quà contra fluvium aſcenditur, in rupe quadam ſupra planum aliàs ſolum eminente, quæ ad repræſentandum Calvariæ montem à natura mirè aptata, & ab arte electa, ideoque pluribus, ac venuſtis Sacellis ſingulos Chriſti patientis caſus exhibentibus inſeſſa liberalem Græcenſium pietatem latè oſtentat, & deprædicat. Urbis hujus decora denique claudat ſecundo ab ea lapide remotum ſuperbiſſimum Eggenbergenſium Principum Palatium, Udalrici Crumlovienſis Ducis opus, auguſta ſanè majeſtate inter circumſitos hortos, & foſſæ ambitum forinſecus aſſurgens, intus verò elegantibus picturis, & gypſatis ornatibus plurimùm renidens.

ADMONTIUM.

ADmontium, quod Ad montes alii, vulgus Admont indigitat, Superioris Styriæ Oppidum prope Auſtriam ab Aniſo fluvio alluitur, atque ob celeberrimum, quod adjacet, Ordinis S. Benedicti Monaſterium ſui famam latiſſimè propagat. Funda-

vit hoc, ſuadente, atque opitulante Hemma Wilhelmi Comitis Friſacenſis vidua, inter editos montes amplam planitiem in crucis formam definientes B. Gebhardus Archiepiſcopus Salisburgenſis, Comes ab Helffenſtein, è vetuſtiſſima Agilolfingorum Alemanniæ Ducum familia, prout Bucelinus (a) teſtatur; inchoatô annô 1074. à fundamentis opere, ad quod ille fertur etiam divinitus impulſus, cùm enim rei arduitate deterritus, poſt triduanum jejunium anceps in ea valle hæreret, an id ſibi aggrediendum foret, audiit quendam hebetem à nativitate loquelâ orbatum in hæc verba prodigiosè erumpentem. *Tu inchoabis, Deus conſummabit.* Quæ primæ ac poſtremæ tunc hominis voces fuêre, donec iteratô miraculô poſt Beati obitum linguæ uſum apud ejuſdem tumulum obtinuerit. Templum ipſe Beatus Præſul Sanctiſſimæ Dei Genitricis, ac D. Blaſii Epiſcopi, & Martyris honori conſecravit, ibidem dein ante Apoſtolorum aram magnificè conditus, poſtquam anno 1088. in Wervenſi Caſtro, quo ſe contra Henricum Germaniæ Regem munierat, parem pientiſſimæ vitæ exitum fuiſſet ſortitus. Primus Abbas præfuit Iſingrinus è Salisburgenſi S. Petri Monaſterio poſtulatus, qui ſucceſſorem habuit B. Giſilbertum apud Corozaim Palæſtinæ Urbem, quò cum S. Thiemone Archiepiſcopo Salisburgenſi profectus fuerat, Martyrii laurea anno 1110. coronatum. Sextus Abbas Wolffholdus, qui obiit anno 1137. obtentâ à Ciliæ Comite ditiſſimâ S. Martini Præpoſiturâ prope Græcium ſitâ, priores redditus plurimùm ampliavit: verùm non tam temporalia, quàm ſpiritualia promovebantur incrementa; ſub ſeptimo ſiquidem Abbate Godefrido adeò eluxit in hoc Cœnobio regularis diſciplina, ut tredecim alia ſuos indè Prælatos advocaverint. Singularem quoque memoriam meretur Henricus hujus nominis tertius, Abbatum verò juxta Bucelini calculum vigeſimus ſeptimus, qui ab Alberto I. Imperatore Vicarius Sryriæ Gubernator creatus alienatos Monaſterii fundos redemit, Arcem Gallenſtein, Templumque noviter exſtruxit, atque à Gregorio X. Summo Pontifice, qui obiit anno 1226. Infulæ decus primus impetravit. Adjacebat olim huic virorum Cœnobio aliud in Sanctimonialium uſum à memorato Wolffholdo ſub annum 1120. fundatum, quod profeſſione ſua illuſtrârunt Sophia Belæ Hungariæ Regis filia Henrico Conradi Cæſaris filio deſponſata, & Admunda Andreæ I. Hungariæ itidem Regis vidua. Quô autem fatô, aut ætate deſierit, incertum.

(a) In Ger. ſac. pag. 2.

CELLA MARIANA.

CElla Mariana, vulgò Maria Cell locus eſt inter prælaltos, arduoſque montes à Deiparæ prodigiis clariſſimus, & Auſtriæ finibus admodùm propinquus. Natales ſuos ducit ab anno circiter 1157., quo Religioſus quidam D. Benedicti aſſecla ex S. Lamberti Cœnobio ad rem œconomicam adminiſtrandam, & rudes ſubditos rerum divinarum notitiâ imbuendos huc deſtinatus, ſecum detulit cubitalem Deiparæ ſtatuam Jeſulum brachio ſuſtentantis, quæ tiliæ ligno inſculpta Filium Matri pomû, Matrem verò filio pyrum porrigentem repræſentat. Hanc ille lapideæ aræ impoſuit, quam unà cum cella, ſeu ædicula ad duorum amnium Golradi & Salzæ confluentes ſibi ædificarat, atque indè datum toti valli nomen, quæ vernaculè Cell-Thal etiamnum appellatur. Latuit prodigioſa hæc icon paucis adhuc nota uſque ad annum 1286., quo Moraviæ Marchione Henrico, ejuſque uxore Agnete gravi morbo per biennium laborantibus, cùm ſubditi ſupplicationem inſtituiſſent, ut per B. Virginis, & Provinciæ Patroni D. Wenceslai interceſſionem, Principum ſalutem à Deo impetrarent; Sanctus hic Tutelaris Henrico per ſomnium apparuit Marianam Styriæ Cellam digito indicans, atque exhibitâ, quæ ibi colebatur, Deiparæ imagine, ut reparatam integrè valetudinem huic adſcriberet, debitaſque cum conjuge grates rependeret, eundem commonefecit. Somno excitus Marchio & ſanitati plenè reſtitutus, cùm hoc ipſum ea nocte Agneti contigiſſe perciperet, comprobatam geminô miraculô viſionem admiratur: ſacrum proinde iter aggreſſus, magnam ſecum traxit populi multitudinem videndæ Cellenſis Thaumaturgæ avidiſſimam, cùmque à recta via declinaſſet, ab Angelo quopiam, vel D. Wenceslao ſub peregrini ſpecie, teſtante id marmoreâ tabulâ Templi foribus præfixâ, fertur ad eandem revocatus. Cupitam tandem metam aſſecutus, agnitaque, quam in ſomnio viderat, imagine, non modò demiſſiſſimas ſoſpitæ ſuæ gratias perſolvit: verùm etiam pretioſa largitus munera, ligneo, quo illa condebatur, Sacello nobiliorem Eccleſiam à fundamentis eductam pia liberalitate ſuffecit. Ab eo igitur tempore adeò illuſtris miraculi fama per circumſitas regiones longè, latèque diffuſa, plurimos ægros ad implorandum, non ſinè uberi fructu, prodigioſæ Virginis patrocinium excitavit, donec anno 1363. Ludovicus Hungarorum Rex Amurathi Turcarum Sultano ex Aſia per Helleſpontum, &

Thra-

Thraciam eum numerosissimo exercitu in Pannoniæ fines irrumpenti, viginti militum millibus, quos raptim conscripserat, solummodò stipatus obviam processit, sed fœlicem rei eventum, cujus nulla spes humanitus affulgebat, à Cellensi Thaumaturga præstolabatur, cui se ardentissimis precibus commendarat. His itaque permota Deipara, dormienti Regi spectandam se præbuit, certam de hostibus victoriam pollicita; quâ gloriosissimè partâ Ludovicus victrices copias ad Marianam Styriæ Cellam deduxit, ubi ensem, & calcaria, quibus in prælio usus fuerat, coronam, item argenteam inauratam, gemmisque distinctam cum paludamento regio, aliaque pretiosa cimelia invictissimæ Cœlorum Reginæ pro anathemate consecravit: neque his contentus gratitudinis suæ monumentis, deletô veteri Templô, aliud longè magnificentius, quod hodiedum eminet, ex perpolitis lapidibus condidit, nativo saxo artificiosè excavato incumbens, & arcuatô opertum tectô, quod decem pręgrandibus columnis innititur. Longum foret miracula istic patrata recensere; illud tamen non omittendum, quo anno 1529. Turcæ congregatas inibi gazas direpturi partim cœcitate, partim aliter divinitus puniti recesserunt, dum interim corona splendida in argumentum Cœlestis tutelæ Templi fastigium ambiret. Assumpti quoque operis brevitas non patitur, sumptuosa munera ad calculum revocari, quibus larga plurium Principum, ac Cæsarum, & nominatim Augustissimi Leopoldi pietas hujus Sacrarii thesaurum tot annorum decursu locupletavit.

CILEIA.

(a) Li. 3. c. 22.
(b) Li. 2. c. 12.

Cileia, vel Cilia, Plinio (a) Celeia, Ptolomæo (b) Celia vulgò Cilly antiquissima Inferioris Styriæ Urbs ad Saanam amnem non multò pòst Savo influentem sita à præcitatis authoribus Norico adscribitur, ex quo inferre necesse est, exiguam Styriæ partem ad Pannoniam olim pertinuisse, cùm non adeò magnum terræ spatium inter Civitatem hanc, & Ortiva Provinciæ confinia interjaceat. Non desunt tamen scriptores, sed recentiores, qui veteri eam Pannoniæ adjudicent, quorum opinio priori quidem non repugnat, si ad diversa tempora referatur, palàm etenim est Provinciarum limites longo annorum decursu, belli, aut contractûs alicujus occasione, vel aliô simili modô sæpiùs permutari. In lapideis monumentis apud Velserum (c) Celeia Claudiæ cognomine insignitur à Claudio Cæsare Caligulæ succes-

(c) In Monum. pereg.

sore probabiliter desumpto, prout suadent aliarum Urbium cognomina ab Imperatoribus plerumque derivata. Subjungit ibidem Velserus plurima marmora Urbem istam municipium appellare, unicum verò à Panvinio adductum Coloniæ titulum eidem attribuere. Quidquid de hoc sit, non tam collata à Romanis dignitas, quàm S. Maximilianus Laureacensis Episcopus tum natalibus suis, tum gloriosa morte eandem illustravit; anno siquidem 284., utì Schönleben autumat, vel 288., utì Megisero placet, Catholicæ fidei propagandæ causâ huc reversus, & ab Eulasio Præfecto captus, postquam thura Marti adolere generosè detrectasset, capite plexus è terrestri patria ad Cœlestem invictus Martyr evolavit. Corpus verò à Christianis tumulo illatum eo loci, quo Martyrio affectus fuerat, videlicet extra Urbem, ubi postmodum Ecclesia ejus nomini erecta etiamnum perseverat; indè tamen à S. Ruperto Salisburgensi Antistite Laureacum translatum est; hinc demum ab Henrico II. Imperatore Passavium, ubi in Cathedrali Basilica honorificè asservatur. Ex inquilinorum traditione præterea habetur, ubi recisum Sancti caput decidit, aquæ fontem prosiliisse, qui hodieque morbis medetur. Episcopali quoque Sede Cileiam olim ab ipso ferè Christianæ Ecclesiæ initio fuisse decoratam, author est memoratus Schönleben; (d) modò autem Parochia Aquileiensi Patriarchæ subjecta solummodò extat, cui subinde Archidiaconatus annectitur. Eversam dein per Bavaros Urbem primus instauravisse fertur sub annum 850. quidam Bruno, vel Brino è Moravia expulsus, qui à Ludovico Bavariæ Duce clientelare beneficium agri non modici ad Savum, & Saanam amnem extensi ea tempestate obtinuerat; quod territorium Comitatûs titulo postea donatum narrat Megiserus, (e) anno nimirum 1339., quo Ludovicus Bavarus Germaniæ Rex Monachii degens Fridericum à Sanneck ejus loci Comitem creavit. Hujus successorum seriem, historiamque idem author usque ad Udalricum contexit, qui anno 1457. cum implacabili odio in Corvinam familiam Ladislaum scilicet, & Matthiam Joannis Hunniadis superiori anno defuncti filios flagraret, ad socerum suum Georgium Serviæ Despotam litteras dedit, spondens se, quamprimum Albam Græcam cum Ladislao Hungariæ Rege appulisset, duos illi globulos pro lusu missurum, quibus duo Corvinorum capita veluti sub ænigmate innuebat. Interceptis à Ladislai Corvini famulo litteris, dominoque traditis, hic gravissimè indignatus D. Martini festo,

(d) In Carn. Anti. appe. c. 5. §. 2.

(e) Ann. Carin. l. 9. c. 8.

dum Rex ſacrisintereſſet, Comiti à Procerum cœtu evocato obvius, litteras oſtentat, ac proditorem inclamat; tum Comes arreptô gladiô objectam ictui manum ſimul, & caput Ladislai vulnere perſtringit, qui eductô & ipſe gladiô loricâ tectum fruſtra percutit; ſed Hungari milites ad clamorem exciti ſtrenuè obluctantem Comitem confecêre. Cujus auditâ cæde Fridericus IV. Imperator, cùm nullam Udalricus prolem reliquiſſet, Cileiam profectus, totum ejus Comitatum ex veteri quadam conventione ſibi debitum occupavit, Styriæque adjunxit. In Urbe memorabile etiam eſt Minorum Cœnobium, in cujus Templo Cileienſium Comitum cineres conduntur; extra Urbem verò edita eminet Arx, quam Ober-Cilly vulgus nominat. Cæterùm multa ibi veterum monſtrantur monumenta; eruta quoque Romanorum numiſmata, & ingentis molis reperta cadavera, non dubia venerandæ antiquitatis veſtigia. Demum addenda ea victoria eſt, qua Georgius ab Herberſtein Turcas Cileiam uſque progreſſos anno 1492. fortiter abegit.

EISENARTZ.

Eiſenärtz vulgare nomen eſt ingentis Oppidi, quod 10. circiter milliaribus versùs Superiorem Auſtriam inter præruptos, altiſſimoſque montes Græciô recedit. Famoſum illud reddunt celeberrimæ ferri fodinæ, quæ plurimis regionibus neceſſarium hoc metallum ſubminiſtrant. Inventæ eæ ſunt anno à partu Virginis 712., & quamvis jam per mille fermè annos indefeſſo labore effodiantur, nullum tamen pati videntur defectum, cùm uberem ſemper materiam, aut rurſus pariant, aut provida diſtributione poſteris reſervent. Cœleſtis ſanè benedictionis non leve argumentum videtur mira Deiparæ icon, quæ anno 1668., dum ferrea gleba in binas partes fortuitò finderetur, ſola naturæ vi utrique impreſſa comparuit, atque ad Auguſtiſſimum Leopoldum delata gazophylacii pretium adauxit. Innumera ibi ſudat operarum caterva; nam primò lapides ferrô prægnantes ex dura rupe excidùntur, ex his dein ferrum potenti igne liquatum in quaſdam informes confluit maſſas, quæ Vulcanis denuo commiſſæ, & novo igne excoctæ humanis uſibus ultimò adaptantur: multi quoque officiales totum opus dirigunt, quibus præeſt Cæſareus Præfectus Cammergraff vulgò appellatus. Emicat in Oppido Parochiale Templum ſolidô murô ad inſtar Arcis circumdatum, & D. Oſwaldo ſacrum, poſt cujus feſtum ſplendidæ ibidem nundinæ celebrantur. In altero autem montis latere plures itidem patent cavernæ, ex quibus Vordenbergenſes Oppidani ferrum eadem contentione extrahunt, variiſque Provinciis ſimiliter diſpenſant.

FERNICIUM.

FErnicium vulgò Ferniz Oppidulum eſt ſeſqui milliari infra Græcium lævo Muræ littori inſidens, cui celebritatem adſtruit Thaumaturga Deiparæ ſtatua, quæ annis abhinc propè quingentis ex Hauſſmanſtettenſi Templo divinitus profuga intra vepres iſtic conſedit, terque illuc relata, ad delectam ſibi hanc ſtationem totidim vicibus jugi miraculo remeavit, quo permoti Barones à Prang, Sacellum ejuſdem cultui exſtruxerant, verùm hôc excisô Imperator Fridericus III. cognomento Pulcher magnificum ſanè Templum, quod anathematibus refertum hodie ſpectatur, crebriſque ſupplicationibus conſtanter colitur, anno 1314. à fundamentis excitavit.

FRIBERGA.

FRiberga vulgò Friberg tenuis locus eſt ab Hungariæ limite non procul diſſitus, conſvetis tamen Civitatum privilegiis fruens, quem Lazius (a) Friburgum nominat, & vetuſtiſſimam Styriæ Urbem arbitratur, dum eandem cenſet cum ea, quæ in codice Præfecturarum Romanarum Cardobianca inſcribitur, eô potiſſimum perſuaſus argumentô, quod Friburga amni Pinck, vel Pynck adjaceat, quaſi præſens hoc nomen ex decurtata priori voce Bianca derivaretur.

(a) Li. 12. de Rep. Ro. ſect. 3. c. 8.

FÜRSTENFELDIA.

Fürſtenfeldia vulgò Fürſtenfeld Urbs eſt ad amnium Lauffniz, & Veistriz concurſum ſita ipſos Hungariæ fines pene attingens. Lazius citatus eam eſſe ſomniat, cujus ſub Aquarum nomine in ſuo Itinerario Antoninus meminit, ſed has, utpote Vindobonæ propinquas, Auſtriacæ Badenæ alibi meliùs applicuimus. Tolerabiliùs conjicere videtur Cluverius, cùm eandem alteri loco ſubſtituit, quem idem Antoninus Sallam vocat, atque inter Sabariam, & Haclitanum, quod Rakelſpurgo convenit, ferè medium collocat: idipſum quoque probabiliter intellexit Ptolomæus, (b) Salam inter Superioris Pannoniæ Urbes annumerans.

(b) Li. 2. c. 15.

GES-

GESSACES.

GEssaces Montis nomen est à Trebellio Pollione in Gallieni Imperatoris Vita memorati, quem Lazius Gessacum appellans eundem facit cum Styriaco vulgò Scheckel dicto, & adsitos prope Græcium montes proceritate sua longè superante; sed Trebellium ipsum inspiciamus ita scribentem. *Gallienus interea vix excitatus publicis malis, Gothis vagantibus per Illyricum occurrit, & fortuitò plurimos interemit. Quò compertò Scythæ facta carragine per montem Gessacem fugere sunt conati. Omnes indè Scythas Marcianus variâ bellorum fortunâ agitavit, &c.* Ex his itaque infert Lazius Gessacum nusquam aptiùs reperiri, quàm in monte Schekel, quod ut rudioribus facilius persuadeat, Illyrici locò Dalmatiam, multò minùs patentem, subrogat, fugamque in Pannonias factam subjungit; verùm neque his fulcris opinioni suę undique vacillanti satis consuluit; valde siquidem hallucinatur, dum veluti indubitatum prętendit, nullum aliud, quàm per Styriam ex Dalmatia in Pannonias iter eligi potuisse. Certè ex Ptolomęo aliàs allegato perspicuum est, montem Schekel veteri Cetio includi, Pannoniam à Norico, non à Dalmatia dirimenti. Ergonè, obstrepent nonnulli, in dubium revocatur celeberrimum montem Schekel Latinorum Gessacum esse, quod tamen jam per omnium ora, & calamos impunè volitat? omnino: graviùs quippe mihi accideret genuinę veritatis, quàm popularis aurę detrimentum. Porrò citiùs apud me fidem inveniet Lazius, dum enarrat multa Romanę vetustatis monumenta in hujus montis dorso, ejusque vicinia offendi, quibus tamen perscrutandis diutiùs immorari non lubet, ne sagę, quas magno inibi numero latere, fama est, sęvam interim provocent tempestatem.

GONNAVICIUM.

GOnnavicium vulgò Gonnawiz Inferioris Styrię Oppidum 15. milliaribus Meridiem versùs Græciò distat; in cujus Arce Meriano teste (a) rarus scaturit fons, qui in Oppidum defluens nunquam crescit, aut minuitur, sed eandem semper aquarum mensuram defert; sęviente hyeme calidus, ardente econtrà Syrio frigescens. Memorant prętera historię anno 1473. Turcas hucusque penetrasse; anno verò 1515. Rusticorum seditionem, quę & Carinthiam, & Salisburgense Dominium tumultibus implevit, ortum suum indè duxisse.

(a) Topog. Styr.

GÖSSENSE COENOBIUM.

Gössense sacrarum Virginum D. Benedicti regulam sectantium Cœnobium opulentiâ, ædificii splendore, atque antiquitate percelebre, in Superiori Styria, vix uno ante Leobium lapide, dextro Muræ littori incumbit. Ejus natales ex manuscriptis ipsius Monasterii documentis desumptos sic fermè describit Schönleben: (b) sub annum scilicet 996. B. Adula Batwini Dynastæ vidua in paterno quodam Castro Comitatûs Leobiensis unà cum filia Kunigunde divinis rebus intenta, cùm aliquando propinquum collem de more conscendisset, internum Dei monitum percepit, quo ad opes suas divino cultui per alicujus Cœnobii fundationem impendendas stimulabatur; illiąue confestim obtemperans detractum è capite velum auræ committit, ut ex ejus casu statuti operis locum designaret: delapsum ad Muram velum supra fluentes aquas hærebat immotum, quod illa pro cœlesti nutu interpretata, novò alveò effossò fluvium avertit, ibiąue Monasterii fabricam inchoavit, quod Natæ Cœli Reginæ, Divoque Andreæ Apostolo dicari voluit: ejus dotem plurimùm auxêre Aribo Moguntinus Antistes B. Adulæ frater, vel filius, ac D. Henricus Imperator integram vallem, cui Tragöss nomen, cum omnibus juribus eidem elargitus. Absolutò ædificiò Beata Fundatrix nobiles collegit puellas, quas ad religiosam vitam efformavit, & filiæ suæ Kunigundi tanquam primæ loci Abbatissæ subjecit, ut reliquis vitæ diebus exactiùs Deo vacaret, post obitum in Parthenonis Templo tumulata, ubi & memoratum supèriùs velum ad perpetuam prodigii memoriam adhuc hodie asservatur. Kunigundi vitâ functæ subrogata est in Abbatissæ munere Adelheidis pietate illustris, cujus cor, tumulò instaurationis ergò post aliquot secula reseratò, in coralium transiisse intra reliqui corporis cineres repertum est, & Cæsari Maximiliano transmissum. Subjacet huic Cœnobio vetustum Sacellum, quod in via Leobium ducente, supra Muræ scopulum obviat, à S. Leone IX. Summo Pontifice D. Oswaldo, aliisque Cœlitibus consecratum.

(b) Annal. Carn. par. 2.

HARTBERGA.

HArtbergam vulgò Hartberg Inferioris Styriæ Civitatem ad amnem Lauffniz sitam Merianus (c) ex Lazio eandem censet cum antiqua Urbe Heorte, cujus mentio apud Strabonem (d) de Scordiscis

(c) Topog. Styr.

(d) Li. 7.

populis Istri accolis differentem his verbis habetur. *Quidam etiam Insulas habebant Scordisci; eo autem magnitudinis aucti sunt, ut usque Illyricos, & Pœonicos, & Thracios provecti sint terminos. Complures igitur jacentes in Istro Insulas occupavere. Ipsi etiam Urbes habuere Heortem, & Capedunum.* Ex quibus judicet eruditus lector, utrum Lazianæ sententiæ subscribendum sit, ego enim hoc unum adjiciam, Lazium videlicet Heortis nomini vocem *Mons* addere, cujus tamen nullum in Strabone vestigium; eo opinor consilio, ut Hartbergæ vocabulum, cujus secunda pars montem Germanis sonat, indè profluxisse validiùs suaderet.

JUDENBURGUM.

JUdenburgum vulgò Judenburg Superioris Styriæ Urbs, quæ ejusdem Provinciæ Metropolis apud Merianum audit, elevato ad præterfluentem Muram clivo insistit, unde sat amplam despicit planitiem, inter editos undique montes quovis anni mense nivibus albentes secus fluvium extensam. Hinc Græciô 14. milliaribus distat, si per aquam; 8. verò, si per Alpes iter suscipiatur. Urbem hanc antiquum Virunum esse à Ptolomæo, (a) Plinio, (b) Antonino, & Peutingerianâ Tabulâ notatum conjicit Bilibaldus Pirckeimerus in Germaniæ explicatione apud Schardium excusa: verùm non consonant itinerum intervalla; longiùs enim Aquileiâ abest Judenburgum, quàm absit in Antonini Itinerario Virunum. Aliter proinde divinat Schönleben, (c) & ab Iduno, quod Ptolomæus in Norico recenset, Judenburgum derivat, cui utcunque favet nominis affinitas, & respectus ad Virunum, seu Frisacum in eo consistens, quòd Idunum Boreæ magìs ab eo authore admoveatur, & non nisì unica inter has duas Civitas collocetur, quæ tamen omnia sententiam hanc oppidò dubiam adhuc relinquunt. Illustrior interea, & antiquior ea origo videtur, quàm si à Judæis deducatur, ac si illi hanc Urbem priùs inhabitassent, aut planè condidissent, quod ex sola vulgi traditione constat fabulas sæpius, quàm historias referente; neque huic multùm suffragantur Civica insignia, quæ teste præcitato Schönleben Judæum repræsentant, eorum siquidem inventio recentioris ævi est, ac post vocabuli mutationem instituta. Unum Urbis latus ferè occupat Cæsarea Aula paucis abhinc annis renovata, cui proximi sunt cum suo Cœnobio, & Templo Minores Observantes, præter quod, & Parochiale aliud extat D. Augustino sacrum cum annexo Societatis Jesu Collegio, & Tertiæ Probationis Domo à Comite Balthasare, & Comitissa Ursula à Thonhausen fundatis. Extra muros autem in ea declivitate, quæ ad Muram ducit, Sanctimoniales degunt D. Claræ institutum profitentes, quarum Monasterium Paradisus appellatur.

(a) Li. 4. c. 14.
(b) Li. 3. c. 24.
(c) Car. An. app. c. 5. §. 3.

KAPFENBERGA.

KApfenberga, vel uti Gerardus de Roo scribit, Cappenberga vulgò Kapfenberg Oppidum est cum editiori Arce 7. milliaribus Græciô dissitum, quod Lazius, antiquitates undique ad nauseam usque corradens, Scordiscorum Capedùnum putat, sed qua veritatis specie ex supra allato Strabonis textu colligere, eruditis licebit. Inclaruit hoc Oppidum ob acrem pugnam anno 1291. in ejus pomœriis consertam inter Fridericum Stubenbergicum, & Hermannum Landenbergicum, qui Alberti Austriæ Archiducis postea Imperatoris partes tuitus, hostem diu strenuè dimicantem, & tandem à propriis militibus desertum ad sui deditionem coëgit.

KNITTELFELDIA.

KNittelfeldia vulgò Knittelfeld Civitas est ad Superiorem Styriam pertinens, Muræque fluvio adjacens inter Judenburgum, à quo duobus, & Leobium, à quo 4. milliaribus recedit.

LAMBERTINUM. COENOBIUM.

LAmbertinum, seu S Lamberti Monasterium ædificii amplitudine, ac splendore sanè magnificum ad Carinthiæ limites, cui olim accensebatur, quàm proximè accedit, atque in edito quidem attollitur situ, sed ab altioribus montium jugis coronato. Religiosis D. Benedicti asseclis illud condidit, si Bucelino credimus, Henricus Carinthiæ Dux, ejusque filius Marquardus: at recentissimus quidam anonymus Hermanno Marquardi filio idipsum adscribit, quorum primo maximè annuere videtur Megiserus, dum ait Marquardum Lambertinam fundationem restaurasse. Circa annum autem, quem 1073. assignat, cum anonymo optimè consonat, Hermanni primi Abbatis mortem ad annum Christi 1109., gubernii verò 36. referente; sed nova de Hermanno consurgit lis; hunc enim anonymus è Prioratu Monasterii S. Blasii in Hercynia sylva ad id muneris evehit, quod verosimilius elucet; Megiserus contra

tra cum Marquardi filio eundem confundit. Confirmavit hoc eximiæ pietatis opus Conradus Cæſar, Summiſque Pontifices amplis privilegiis cumularunt. Inter Abbates excelluere Germanus à Trüſchen, qui fratris ſui Eberhardi II. Salisburgenſis Antiſtitis patrocinio, Infulæ honorem ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus obtinuit, vitâ functus anno 1260., & Joannes Fridperger, qui ob vindicata Monaſterii jura ſecundi fundatoris nomen promeretur, è vivis ſublatus anno 1358. Porrò ſummopere memorabile, ſi ita res ſe habet, atque honorificum eſt, quod præcitatus Bucelinus ſuis commentariis mandavit, quodque juſtis de cauſis ejuſdem authoris verbis, prout ſequitur, exponam: *Fuit* D. Lamberti Cœnobium *abſque controverſia Archiducatûs quondam Carinthiæ Archiſterium à Romanis Pontificibus, Cæſaribus, Ducibus, & Principibus, ob ſingularem religionem ſummo in pretio habitum, & certatim ornatum, ac locupletatum, ita ut maximi etiam Principes Cœnobii tanti feudatarii eſſent, uti ex archivo illic ipſi exſcripſimus: Ita in feudum accepit ab Henrico Abbate S. Lamberti Sereniſſimus Archidux Erneſtus Leobii in præſentia Georgii, Abbatis Admontenſis, &c. Dominium, & munitionem Tirnſtein prope Friſacum, munitionem Nevvenmarck prope Graßlupp, Judenburgenſem Civitatem, munitionem Eppenſtein, oppidum Voitſperg, munitionem Bruck, &c. ſimiliter A. C.* 1389. *Albertus Archidux præſentibus Hugone Comite Montfortio, &c. prædicta Dominia, Caſtra, atque Oppida in feudum accepit à Rudolpho de Liechtenegg Abbate (qui etiam Herr, und Fürſt appellatur) utì in pergameno fideliſſimè omnia, atque authenticè conſignata reperimus, atque deſcripſimus.* Hactenus Bucelinus, his ſubjungens 50. nobilium familiarum nomina, quæ aliquando feuda à ſplendidiſſimo hoc Monaſterio acceptârunt.

LEIBNICIUM.

LEibnicium vulgò Leibniz 4. circiter milliaribus Græcio in Auſtrum abſcedens inter munitiores quondam Styriæ Urbes florebat, utpote quod anno 1481. acrem Hungarorum obſidionem, qua à Matthiæ Regis Archiſtratego, cui nomen Maubitſch, cingebatur, diu eluſit, donec ob annonæ defectum ſæviente intus fame Civis quidam Chriſtophorus Hammer nuncupatus eâ adactus ad obſidentes profugerit, quibus cùm abditum, minuſque cuſtoditum ad Urbem ingreſſum prodidiſſet, eorum aliqui per hunc clam irrepentes propiorem portam invadunt, toto interim exercitu ad aſſultum advolante; quare capta ab Hungaris Civitas, fœdéque vaſtata non niſi inter Oppida ab eo ferè tempore recenſetur. Effoſſam hìc ſubinde veterum pecuniam Merianus teſtatur, quæ nonnullis antiquariis anſam præbuit Ptolomæi Muroëlæ inibi ſtatuendæ. Leibnicio imminet Arx celſiori colli impoſita conſueta Seccovienſis Epiſcopi, & S. R. I. Principis Sedes.

LEOBIUM.

LEobium vulgò Leoben vetuſta Styriæ Superioris Civitas, quam Mura poſt brevem flexum ſecundò alluit, 8. milliaribus, ſi ſecus flumen, 6. verò, ſi per montes calculus ineatur, Græcio abeſt Occaſui propinquior. Nobilis huic olim ſuberat Comitatus, cui proprii Comites, ex vetuſta Bavaricorum Comitum ab Hohenwart, & Schrobenhauſen proſapia diu dominabantur, donec eorum poſtremò in Palæſtina, quò belli ſacri ergò conceſſerat, à Saracenis interfectò, ad Conradum Friſingenſem Præſulem Sigifridi, & Ottonis Comitum ab Hochenwart uterinum fratrem fuerit devolutus. Hic verò acceptâ à Bernardo Carinthiæ Duce magna pecuniæ vi, Leobienſem Comitatum anno 1246. eidem vendidit, ſicque cum Carinthia, & Styria Alberto Auſtriæ Archiduci poſtea Imperatori ceſſit, quamvis haud ſinè armorum ſtrepitu, cùm Otto Bavariæ Dux, & Conradus Salisburgenſis Antiſtes ſeditionem contra Archiducem in Styria ortam promoturi Leobium anno 1291. junctis viribus occuparint, quæ Gerardus de Roo (a) hanc Urbem Leubenum vocans uberiùs explanat. Viget iſtic hodie ferri commercium ex deſcriptis ſupra fodinis advecti. Templa inter muros bina, unum nempe ad PP. Dominicanos, alterum verò D. Franciſco Xaverio ſacrum ad Jeſu Societatem ſpectans cum adjecto Collegio in antiquatæ Archiducalis Aulæ ſitu extructo, & à Ferdinando II. Cæſare ante aditum Imperium fundato. Totidem pariter extra muros parochialia, quorum uni Civitas, alteri Suburbium Murâ fluvio ab ea diviſum ſubjicitur, in quo PP. Capucinorum Cœnobium paucis abhinc annis extructum inſuper ſpectatur.

(a) Ann. Auſt. l. 2.

LUETENBERGA.

LUetenbergam vulgò Luetenberg percelebre Inferioris Styriæ Oppidum Mura fluvius non procul ab Hungariæ confiniis irrigat, eique famam conciliat nobiliſſimum vinum, quod totius Provinciæ, & facilè totius Germaniæ fortiſſimum ex

circumſitis collibus legitur, ita ut quidam ſcribere non ambigant, ſuâ illud præſtantiâ Creticum æmulari.

MARBURGUM.

MArburgum vulgò Marburg, vel Marchburg Inferioris Styriæ Urbs in læva Dravi fluminis ripa amœnô circumdatur ſolô, & novem Græciô milliaribus verſùs Auſtrum removetur: pro cujus elogio miram antiquitatum farraginem congregat apud Schönleben Lazius, cohortem nimirum Marianæ degentem, cujus Tribunum *ſub diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis Provinciæ Valeriæ Ripenſis* Notitia Imperii recenſet; Marianam à codice Romanarum Præfecturarum inter Valeriæ municipia conſcriptam; Jornandis Caſtrum Martenum Sarmatarum Sedem; & quæ ipſe in Ammiano Marcellino ſibi finxit Marciana Caſtra; hæc itaque omnia, licèt prorſus diverſa, ob nominis conſonantiam, quam ille ſolus percipit, in unum conflat Marburgum. A ſuis olim hæc Civitas regebatur Comitibus, donec Ottocarus III. Styriæ Marchio à Bernardo Comite eandem comparaverit. Patuit poſtea, anno ſcilicet 1532., Solimanno Turcarum Imperatori, qui eâ ſtatim derelictâ Albam Græcam ſuas rurſus copias reduxit.

MURÆPONTUM.

MUræpontum vulgò Bruck an der Muer commoda Urbs 6. milliaribus Græciô diſſita à Muræ fluvio, cui adjacet ponte, nomen deſumpſit, atque eadem à pluribus cenſetur cum illa, quæ in Peutingeriana Tabula Ad Pontem indigitatur. Ad Superiorem, an ad Inferiorem referenda ſit, litigant Geographi. Præter Parochiale Templum, cui Archidiaconus præeſt, bina alia adſunt à ſacris Minorum Obſervantium, & Capucinorum Ordinibus adminiſtrata. Commendanda hìc eſt Civium in Principem fidelitas, atque in hoſtes fortitudo, quam pro Alberto I. Cæſare in ſtrenua Urbis propugnatione contra Ottonem Bavariæ Ducem, & Conradum Salisburgenſem præſtita anno 1291. exhibuerunt. Propè Civitatem illabitur in Muram amnis, cui Merz nomen, poſtquam amœnam ſecuit vallem, inde Martiam dictam, & uſque ad Auſtriæ terminos pene protenſam.

MURAVIA.

MUravia vulgò Murau Superioris Styriæ Civitas ad Salisburgenſem ditionem valde accedens, à Mura fluvio in duas partes diſcinditur, quæ pluribus ſuper eum ductis pontibus junguntur. De hac Cluverius (a) id ſentit, quod ex Peutingeri Mappa præcedenti Urbi à cæteris adjudicari retuli, jam olim videlicet floruiſſe, & Pontis nomine ibidem indicari, hocque ex itinerum ductu ſatis inferri opinatur; at cùm ipſam Mappam verè nobile antiquitatis cimelium conſuluerim, nihil reperi, quod uni potiùs, quàm alteri faveat ſententiæ; Muræ tamen fluvio diſputatum locum adhæſiſſe pronum eſt. Muraviæ in editiori loco eminet Parochiale Templum, ſed adhuc altius aſcendit ſplendida Arx vicino inſidens colli, cui in adverſo fluvii latere reſpondent alterius Arcis rudera Ottocari Bohemiæ Regis juſſu proſtratæ.

(a) Vind. & Nor. c. 5.

NEOMONTANUM. COENOBIUM.

NEomontanum Ciſtercienſis Ordinis Monaſterium, vulgò Neuberg dictum, & inferiori Auſtriæ ferè contiguum, fundatorem ſuum veneratur Archiducem Ottonem poſtremum Alberti I. Imperatoris filium, qui cum anno 1339. mortem oppetiiſſet, in eodem humatus unà cum binis conſortibus conquieſcit.

OBDACUM.

OBdacum vulgò Obdach Oppidum eſt Superioris Styriæ Arce inſtructum ad Admontenſe Cœnobium pertinente, in quo vetuſtam Bedaci Urbem à Ptolomæo (b) in Norico annumeratam etiamnum perſeverare autumat apud Merianum (c) Lazius, cui vocabuli affinitas familiaris hujus authoris Achilles multùm quidem ſuffragatur, ſed cum Ptolomæi Bedacum ex ſitu, aliiſque circumſtantiis idem omnino videatur cum Peutingerianæ Tabulæ & veteris inſcriptionis Bidajo, & alterius inſcriptionis Badaco, quod & Cluverio certum eſt, atque in his non nisì 13., vel ad ſummum 19. paſſuum millibus ab Oeno fluvio ſeparetur; cætera, quæ in definienda veterum locorum ſtatione præ oculis haberi debent, Obdaco non congruunt, utpote à prædicto fluvio longè remotiori.

(b) Ll. 2. c. 14.

(c) Topog. Styr.

PETOVIUM.

PEtovium vulgò Petaw Urbs eſt inferioris Styriæ à Dravo fluvio irrigata, & 12. milliaribus Græcio abſens, cui ſervatum à primordiis nomen hanc parit fœlicitatem, quod genuina ejuſdem antiquitas à nemine in dubium revocetur; à Romanis ſiquidem aliiſque veteribus ſcriptoribus te-

tenui nominis discrepantia enunciatur: Antonini, & Peutingeri Itineraria Petavionem, vel Pœtovionem exprimunt. Tacitus (a) Petovium vocat, & Legionis decimæ tertiæ hyberna ibidem statuit. Ptolomæus (b) denique in Argentoratensi anni 1520. editione Petobium inter Pannoniæ Urbes recenset. Episcopali quondam dignitate hanc Urbem claruisse colligit ex D. Hieronymo Megiserus. (c) Cætera, quæ memoratu digna istic evenerunt, paucis subjiciam. Anno imprimis ante Christi nativitatem 33. Octavianus Augustus Imperator cùm Illyricum bellum gereret, Petovium, quod in Appiano Setovia legitur, valida obsidione circumdedit; quæ magnam adjacentium populorum vim in obsessæ Urbis subsidium concitavit; quare Augustus promoto contra eos exercitu prælium iniit, quo durante lapidis ictu genu saucius multis diebus decubuit, donec curato vulnere Romam regredi parans, belli molem unà cum Legionibus Statilio Tauro inibi relicto commiserit, cujus tamen gesta prorsus intercidêre. Anno autem post Christum 378. gravior calamitas Urbem oppressit, siquidem testatur Schönleben, (d) Valentem Pseudoepiscopum Petovienſem, cujus mentio in Actis Concilii Aquileiensis (e) reperitur, à populo ejectum, ut injuriam ulciſceretur, Gothis tum Pannoniam infestantibus, patriam turpiter tradidisse. Quid verò illi deinceps acciderit, in obscuro est usque ad Ottonem II. Cæsarem, qui, Megisero (f) teste, Friderico Salisburgensi Antistiti anno 957. ad eam dignitatem evecto Petovienſem Ecclesiam cum magna Urbis parte contulit; sed cùm anno 1480. Matthias Hungariæ Rex illam occupasset, Fridericus IV. Imperator Rege defuncto eandem cum reliqua Provincia ad se integrè attraxit, Salisburgensis Ecclesiæ juribus sub Bernardo tunc Præsule legitimè extinctis. Parva quidem nunc Civitas est, bina tamen Monasteria præter Parochiale Templum complectitur ad sacros Prædicatorum, & Minorum Conventualium Ordines pertinentia, quibus & PP. Capucinorum Asceterium extra muros situm adjungendum est.

(a) Hist. Li. 3.

(b) Li. 2. c. 15.

(c) Ann. Car. l. 3. c. 8.

(d) Ann. Car. p. 3.

(e) To. 1. Conc.

(f) Ann. Carin. l. 6. c. 94.

PÖLLENSE COLLEGIUM.

Pöllense Canonicorum Regularium D. Augustini Collegium in Inferiori Styria non procul Hartbergâ fundatum à Joanne L. Barone de Neuberg postremo hujus stirpis surculo, nactum est primum Præpositum Udalricum de Trautmonsdorff, qui post octennium in gubernio impensum, anno 1512. mortalem hanc vitam cum æterna commutavit.

RAINA.

RAina Urbecula est in Boreali Savi fluminis littore, quam Merianus (g) Inferiori Styriæ adscribit, & ad Salisburgensem Ecclesiam olim spectasse, Megiserus (h) testatur, funestam cladem subjiciens ab Achmete Turcarum Duce anno 1475. in ejus conspectu Christianis numerô longè inferioribus, & se diu strenuè tuentibus illatam.

(g) Topog. Styr.

(h) Ann. Car. l. 10. c. 20.

RAKELSPURGUM.

RAkelspurgum, seu uti aliqui malunt Racospurgum, vulgò Rakespurg, quod 8. circiter infra Græcium milliaribus Mura præterfluit, inter nobiliores Styriæ Urbes censetur, sed vini præstantiâ reliquas antecellens. Antiquum Hæclitanum, quod medio ferè itinere Sallam inter & Pætovionem ab Antonino statuitur, agnoscit in hac Civitate Cluverius, (i) tam situ, ac viarum ductu innixus, quàm aliqua vocabuli consonantia. Suspicatur enim Ræclitanum potiùs inibi legendum, quàm Hæclitanum. Verùm posterius argumentum ei minimè favere suadet Rationarium Styriæ anno 1267. confectum, & à Lambecio (k) excusum, cui non Rakelspurg inscribitur, sed Ratgersburch, quod quasi Ratgeriburgum aptè interpretatur Schönleben; unde evanescit omnis cum Ræclitano convenientia. Antequam Rakelspurgum ad Provinciæ Principem devolveretur, Bildonensibus Dominis paruisse narrat Merianus. (l) Commodis hodie habitatur ædibus, licèt iteratis incendiis sæpius defœdatum, præter quæ aliam sustulit calamitatem anno 1480. à Matthia Hungariæ Rege unàcum Petovio occupatum. Fœliciùs tamen in ejus pomœriis contra Turcas pugnatum, anno nimirum 1418., quo Ernestus Austriæ Archidux de iis primò in hanc regionem irrumpentibus gloriosissimam retulit victoriam, viginti circiter hostium millibus in eo conflictu prostratis.

(i) Vind. & Nor. 5.

(k) Bibl. l. 2. c. 4.

(l) Topog. Styr.

ROTENMANIUM.

ROtenmanium vulgò Rotenmann, aut Rotenmon Civitas est Superioris Styriæ in valle, vulgò Paltenthal 14. circiter milliaribus Græciò dissita, quam Montanis Castris ab Antonino memoratis substituit apud Merianum (m) Lazius, itinerum ratione utcunque adstipulante. Meminit

(m) Topog. Styr.

illius Gerardus de Roo, (a) ad annum ſcilicet 1291., quo Otto Bavariæ Dux, atque Conradus Salisburgenſis Præſul, indicto in Albertum Auſtriæ Archiducem bello, concordibus armis expugnarunt. Nobilitatur Rotenmanium ab eximio Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegio, quod condidit anno 1455. Fridericus IV. Imperator, Joanne Jung à Dinckbichl in primum Præpoſitum inaugurato.

(a) Germ. ſac. p. 2.

RUNENSE COENOBIUM.

RUnenſe Ciſtercienſis Ordinis Cœnobium binis milliaribus Græciô abſens, cujus fundationem Friderico I. Cæſari cognomine Oenobarbo Bucelinus adſcribit, piæ Leopoldi Styriæ Marchionis munificentiæ deberi didici ex recenti quodam anonymo authore, cui hac in parte libentiùs adhæreo, annum tamen, nempe 1129., quo is conſummatum à ſuperſtite Leopoldi conſorte Sophia, ejuſque filio Ottocaro opus ſubnectit, ejuſdem primordiis à parente poſitis mallem aſſignare, cùm ex chronologica Marchionum ſerie liquidum videatur, prætenſo adhuc anno Leopoldum ſupervixiſſe, quod ex ipſo etiam anonymo colligi fas eſſet, cùm Leopoldi filius Ottocarus idem omnino ſit, qui anno primùm 1165. Ducali dignitate à Friderico Oenobarbo donatus ab eodem authore refertur. Cœnobii gùbernacula primus tractavit Abbas Gulacus de Dinkhenſtain natione Franco, ex cujus ſucceſſoribus binos Epiſcopales Infulæ ſibi vendicarunt, Lavantina ſcilicet Almericum Graffendorffer, & Neoſtadienſis Martinum Düelacker, qui jam priùs Callipolenſis Epiſcopi honorem cum Abbatis munere copularat, ſecundi Fundatoris nomen ſuis meritis inſuper adeptus.

SCHLADMINGA.

SChladminga vulgò Schlädming Superioris Styriæ Oppidum Salisburgenſes fines ſecus Onaſum attingens veteri Antonini Sabatincæ congruere Lazio videtur. Funeſtiſſimum eſt, quod à Michaële Grueber tumultuantium Ruſticorum Anteſignano anno 1525. iſtic patratum narrat Megiſerus, (b) præcipuam videlicet Carinthiæ ac Styriæ nobilitatem, quæ præliô infœliciter cum rebellibus conſertô in fugam acta huc confluxerat, inopino ſub auroram adventu ab eo oppreſſam, aut laqueo, aut gladio majori ex parte interiiſſe, poſt quam enormem lanienam ſuperveniens Nicolaus Comes à Salm, abactis Ruſticis Schladmingam incendit, muriſque nudavit. Qua inſuper occaſione Civitatis jure, quo olim fruebatur, abolito, eam Oppidis tunc primò annumeratam exiſtimat Merianus.

(b) Ann. Carn. l. c. 19.

SECOVIUM.

SEcovium vulgò Seckaw Superioris Styriæ Oppidum gemino gaudet celebris ſui nominis argumento: horum unum eſt nobiliſſimum Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium ab Adalramo Comite de Waldegg anno 1140. fundatum, Wernero Geiller in primum loci Præpoſitum aſſumpto. Ejus Templum illuſtrant plurium Auſtrię Archiducum ſarcophagi, inter quos peculiarem exigunt mentionem Carolus Styriæ Dux anno Chriſti 1590., ætatis verò 50. vitâ functus, atque Maximilianus Erneſtus Ordinis Theutonici Commendator anno 1616., ætatis 33. è vivis ſublatus. Alterum eſt Epiſcopatus ab Eberhardo II. Archiepiſcopo Salisburgenſi, annuente Honorio III. Summo Pontifice, anno 1220. ibidem inſtitutus, cujus cathedram primus conſcendit Carolus Friſacenſis Præpoſitus 37. jam nactus ſucceſſores, qui per maximam Styriæ partem Salisburgenſi Archidiœceſi inſertam Vicarii Generalis authoritate pollent, & S. R. I. Principis dignitate his temporibus fulgent.

SEIZENSIS CARTHUSIA.

SEizenſem Carthuſiam in Inferiori Styria Petovium inter, ac Cileiam ſitam, non undecimo ſeculo, quod recens quidam author ſcriptum reliquit, ſed duodecimo extruxit Ottocarus ab anno 1165. primus Styriæ Dux, qui leprâ correptus, permiſſô ſocero ſuo Leopoldo Auſtriæ Duci Provinciæ Dominiô, in eandem ſe contulit, ubi Religioſum amplexus inſtitutum pia morte conquievit. In hujus ſaltem loci diſtrictu, ſi non planè hìc, quod Cluverio arridet, extitiſſe veterem Antonini Urbem Ragandonem, quam apud Rohitſch, ſeu Ragatz Schönleben collocat, ex medio ferme inter Cileiam, & Pœtovionem ſitu probè conjici omnino videtur.

SLAVOGRÆCIUM.

SLavogræcium vulgò Windiſchgrätz Inferioris Styriæ Urbs à Carinthiæ confiniis non procul abſcedit, in qua Merianus

(a) Topog. Styr. (b) Li. 2. c. 15.

nus (a) Lazium ſecutus antiquam Ptolomæi (b) Vinundriam ſe deprehendiſſe opinatur, ſed aliud conjecturæ argumentum adferre oporteret, quàm infirmam unius ſyllabæ conſonantiam. Interim vix ambigi poteſt, quin ea à Vindis ſeu Venedis populis, quas vulgus hodie Windiſch appellat, aliquando fuerit, aut primò erecta, aut inſtaurata. Turcarum inſuper copias anno 1473. hucuſque penetraſſe præcitatus Merianus affirmat.

STAINZENSE COLLEGIUM.

STainzenſe Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium à Comitibus à Wildan originem ſuam ducere fertur, quo autem modo, vel anno, me hactenus latet.

VOITSPERGA.

VOitſperga Urbecula eſt ad amnem Kainach tribus milliaribus Græciô diſſita, quæ, ſi Meriano (c) credimus Lazium ſectanti, magnam præfefert vetuſtatem, & Styriæ totius antiquiſſima cenſeri debet; Provinciæ inſuper Metropolis, antequam ad eam dignitatem Græcenſis Civitas eveheretur; quinimo Romanorum Viana, cujus Plinius (d) in Norico meminit, memoratis authoribus videtur.

(c) Topog. Styr.

(d) Li. 3. c. 24.

VORAVIENSE COLLEGIUM.

VOravienſe Collegium non procul Hartbergâ Inferioris Styriæ Urbe Regularibus D. Auguſtini Canonicis fundaſſe reperio Ottocarum IV. hujus Provinciæ Marchionem anno 1163., quo in primum loci Præpoſitum electus eſt Luitpoldus 40. ſucceſſores hactenus ſortitus.

Styriam claudimus celebri diſceptatione, quæ hanc Provinciam plurimùm involvit, inter Geographos exortâ: in quanam ſcilicet Norici, aut Pannoniæ plaga extenſa fuerint Bojorum Deſerta à Strabone, & Plinio memorata. Primi verba ex Lugdunenſi anni 1557. impreſſione excerpta ita ſe habent (e): *Caterùm Tiberius à lacu* (de Brigantino, ſeu Conſtantienſi loquitur) *unius diei progreſſus iter, Iſtri fontes aſpexit. Ad eum lacum Rhæti paululum adſunt, ampliùs Helvetii, & Vindelici, & deſerta Boiorum regio uſque ad Pannonios.* Quibus duntaxat perpenſis, luculentum cuivis videbitur controverſa hæc Bojorum Deſerta à Vindelicia, & Conſtantienſi lacu, qui hodie Podamicus, & vulgò Bodenſee dicitur, per Bavariam, Carinthiam, Auſtriam, & Styriam ad Pannoniam uſque procurriſſe, ideoque ſubſcribendum omnino eſſe eruditiſſimi Velſeri (f) judicio, quod his terminis expreſſit: *Principes Boji monumentum in adverſa ripa, ad ipſum ſtatim Danubii trajectum poſuere Bojodurum, quà Oenus Vindelicos, & Noricos interfluit Germaniæ Magnæ objectos utroſque: magnus præterea circà agri modus, à Vindelicorum quippe finibus ad Pannoniam Norici longitudine fuſus, genti attributus eſt, quum ob eas, quæ poſtea rerum varietates conſequutæ, Bojorum Deſerta Strabo, & Plinius appellavere.* Velſero ferme conſonat apud Schönleben (g) Lazius ſic ibi definiens. *Bojorum Deſerta, quæ in mediterraneis ab Aniſo fluvio uſque ad Cetium montem excurrebant, &c.* Verùm litem his omnibus movet Plinius egregius, & ipſe author Straboni circiter coævus, qui longè diverſum Bojorum Deſertis adſtruit ſitum, extra circumſcriptos ab adductis hactenus ſcriptoribus fines ea penitus relegans. Noricorum enim Provinciam ſecundùm illos plurimùm occupabant, & cum eadem Orientem versùs in Cetio monte deſinebant; ſed à Plinio, (h) factô ab hoc ipſo Norici limite, initiô, ultra Sabariam Pannoniæ Urbem liquidò explicantur. Patebit id procul dubio, ſi ſequens authoris textus attentiùs inſpiciatur: *Noricis*, inquit ille, *junguntur Lacus Peiſo, Deſerta Bojorum: jam tamen Coloniâ Divi Claudii Sabariâ, & Oppido Sacarbantiâ Juliâ habitantur.* Si itaque hæc Deſerta Norico fuerant tantummodo contermina, ſeu illi jungebantur, manifeſtò infertur, extra Noricorum terras ea eſſe à Geographis inquirenda. Hinc præcitatus Schönleben, cui Cluverius (i) favet, ſecutus veſtigia Sabarienſis Coloniæ, quæ in iis Deſertis juxta Plinium incolebatur, in ſententiam abiit Velſero prorſus adverſantem, eadem ſcilicet Bojorum Deſerta ſe deprehendiſſe arbitratus in eo Pannoniæ tractu, qui ab Ortiva Cetii montis parte Viennam Auſtriæ à Petovio Styriæ divellit; Sabariam enim inter Pannonicas floruiſſe Urbes, à nemine, niſi in veterum faſtis prorſus peregrino, diſputatur. At cur aliqui ita Plinium amplectuntur, ut Strabonem excludant; alii autem ita à Strabone pendent, ut Plinium non auſcultent? quaſi verò nulla concordiæ ratio iniri poſſet, nec ulla reconciliationis ſpes ampliùs affulgeret? Quod tandem emolumentum pro Deſerto digladiari? ſi quid minimum uterque adverſario ceſſerit, ſublata erunt bella, firmata pax; imò ne id quidem ferè neceſſe habeo, ut binos hos authores prima fronte inter ſe pugnan-

(e) De ſitu Orb. Li. 7.

(f) Rerum Boj. l. 2.

(g) Carn. Ant. App. c. 5. §. 1.

(h) Hiſt. nat. l. 3. c. 24.

(i) De Vin. & Nor. c. 5.

tes, in idem demonſtrem unanimiter conſpiraſſe. Dicantur igitur Bojorum Deſerta Norici, Pannoniæque terminos complexa, ita tamen, ut neutram exhauſerint Provinciam, nunquid tunc verum dixerit Plinius Noricis jungi Deſerta? cùm adhuc cultam ab iis populis regionem versùs Occaſum relinquam; neque à vero deviaſſe putabitur Strabo, dum aſſerit, Deſerta ad Pannoniam uſque pertigiſſe, etſi per aliquam hujus partem ulterius promoveantur; Idipſum enim Strabonem (a) per ea verba ſibi voluiſſe, ex alio ejuſdem authoris loco affatim elucesſcit, ubi hæc ait: *Romani Bojos ſedibus ejecerunt, qui, quum ad Iſtrum commigraſſent, apud Tauriſcos habitarunt, bellum adverſus Dacos gerentes, donec tota gens funditus fuit exciſa. Agrum verò, qui ad Illyricum pertinebat, Deſertum, ac pecoribus paſcuum vicinis reliquerunt.* En Bojorum Deſerta ultra Norici fines, ad Illyricum nempe, cujus tunc pars habebatur Pannonia, ab ipſo Strabone protracta: neque plus prætendere videtur Plinius, cùm allatæ ab eo Urbes modico intervallo à Norico abfuerint. Unum itaque ſupereſt, à quo recedat Strabo, ne videlicet ea Deſerta ita Brigantino lacui admoveat, ut alii populi ibidem deſcripti non interceſſerint, ad quod, ſi reliqua probè conferantur, clarè conſtabit eandem propendere. Demum qua ratione ea regio deſerta ſqualuerit, alibi clariùs indicat idem Strabo (b) ita, Cluverio interprete, rem enarrans: *Res Getarum antiquas mittamus. Noſtra ætate quæ geſſerunt, hæc ſunt. Bœrebiſta natione Geta, quum imperium ingentem ſuſcepiſſet, eam crebris adflictam bellis refecit, tantumq; exercitatione, ſobrietate, ac diligentiâ profecit, ut intra paucos annos magnum conſtituerit Imperium. Finitimarum nationum pleraſq; Getarum genti ſubjiciens, quin & ipſis Romanis jam formidabilis erat, Iſtrum audacter tranſiens, Thraciamq; ad Macedoniam uſque, & Illyricum populans. Gallos quoque Thracibus, & Illyricis permixtos evaſtavit, Bojoſq;, & Tauriſcos qui ſub Critaſiro erant, prorſus delevit.* Et poſtea eodem libro: *partem hujus regionis deſertam reddiderunt Daci, debellatis Bojis, atque Tauriſcis Gallicis gentibus.* Quid ego ſentiam, amice lector aperui: ſi mihi aſſentiris, Styriam univerſam in hæc Deſerta conjicis: hanc quippe Provinciam ad Norici, & Pannoniæ campos ex veteri Cetio communi utriuſque meta ſe demittere jam ſuperiùs oſtendi: ſi verò alterutra ex prioribus opinionibus magis arridet, eadem de cauſa ſaltem aliquam Styriæ partem in iis Deſertis reperies; elige, quod lubet.

(a) De ſitu Orbis l. 5.

(b) De ſitu Orbis li. 7.

TOPO-

Ducatus
CARINTHIÆ
Tabula

Studiô et operâ cujusdam Geographi, Soc. IESU.

Pfeffel et Engelbrecht sc. et excud. Vien.



TOPOGRAPHIA
DUCATUS CARINTHIÆ.

CArinthiæ ingredimur Provinciam, ſylvarum, aut montium horrore nihil quidem Styriæ cedentem, ſed plurimis tamen diſciſſam vallibus tritici, aliarumq; frugum feraciſſimis. Altiſſima montium juga quatuor cenſentur à S. Udalrici, S. Helenæ, S. Viti, & S. Laurentii nominibus ſacrata, quæ etiam adæquat, ſi non ſuperat proceritate ſua, & transfoſsâ per medium viâ celeberrimus Mons Loibl, qui Meridiem verſùs Carinthiam à Carniolia diſterminat: neque inferior eſt alpium catena ſecus reliquam Meridionalem plagam protenſa, & Italiam ab hac regione diſtinguens. Demum haud minùs attolluntur Tirolenſium rupium vertices, qui occidentis Solis jubar Carinthis ſubducunt. Non ita verò à frigidis defenditur Aquilonibus, ubi cum Salisburgenſi ditione, & Superiori Styria conjungitur, quamvis & hìc hujuſmodi terræ tubera non deſiderentur. Enumerata hactenus Carinthiæ confinia claudit Inferior Styria, à qua Orientale illius latus ſtipatur. Pecorum quoque armentis, utì & pretioſioribus metallis abundare fertur hæc Provincia, ſed hæc in terræ viſceribus abdita parum proſunt, cùm pauca ex iis hac tempeſtate effodiantur. Ferrum tamen, idque probatiſſimum, pariunt Friſacenſes montes, aliique Liſeræ fontibus propinqui, è quibus copioſè etiamnum erutum à multiplici in Oppido Verlach deſudantium artificum genere in varias non tam magnas, quàm parvas ducitur formas, elegantiſſimè elaboratas. De ferri autem, quod in his antiqui Norici regionibus effoditur, duritie, ac bonitate conſtans ſemper fuit apud vetuſtiſſimos authores fama, Poëtarum etiam carminibus dilaudata; nam præter Horatium, quem alibi adduximus, præſtò eſt illud Ovidii.

Durior & ferro, quod Noricus excoquit ignis.

Plumbum præterea hodieque gignit Carinthia in Villacenſis territorii monte, quem idcirco Pleibergum dici ab Agricola (a) docemur. Uberior iſtic celebratur piſcium captura, quos partim offerunt Dravus, aliique amnes; partim lacus plurimis in locis expanſi.

(a) de vet. & nov. met. l. 2.

Occupat Carinthia veteris Carniæ, Noriciique à Tauriſcis habitati partem; namque Noricos, Carnoſque populos olim invicem conterminos luculentè indicat Plinii textus jam à me alibi allegatus: *juxtaq; Carnos, quondam Tauriſci appellati, nunc Norici.* De Norici mediterranei finibus, qui ad alpium radices extenſi magnum hujus Regionis tractum neceſſariò complectebantur, in Styriæ deſcriptione jam ſatis diſſeruimus. Unde elucubranda ſolummodo eſt Carnorum Sedes, ut ſententia noſtra ſolidis undique rationibus fulciatur. Primò itaque inſeſſam fuiſſe à Carnis utramque alpium declivitatem, non modò ad Meridiem ſcilicet, ſed & Boream deſcendentem, perſpicuè docet partim Strabo (b) dum ait: *Quæ trans Padum ſunt, Veneti incolunt, & Iſtri, ad Polam uſque: ſupra Venetos ſunt Carni*; partim Plinius (c) ita ſcribens: *Savus ex alpibus Carnicis placidior, &c.* ſiquidem palam omnibus eſt, Venetos per planitiem Auſtrali alpium lateri ſubjectam diffundi, & Savum ex Borealibus earundem alpium ſcopulis emanare. Alpium nomen ex albedine deducit Feſtus Pompeius his verbis: *Sabini alpum dixere, quod poſtea latini album; unde alpium nomen*: ob nivium ſcilicet candorem, quibus illæ ferè perpetuò teguntur. Major fervet de Carnorum origine controverſia; quidam enim ſuppoſititio Annii Beroſo nimium fidei tribuentes à Carno Noëmi poſt diluvium filio, Tuiſconis fratre & gentem, & gentis nomen exordiuntur. O effrœne arrogandæ ſibi antiquitatis cacoëthes! Fuggerus (d) à carris, ſeu curribus, quibus olim Scythæ, nunc Tartari domorum locò ſemper vagantes utuntur, Carniæ vocabulum derivat, exiſtimans Germanos à Scytharum coloniis hinc expulſos, viſis hujuſmodi curribus, vernacula lingua Kärrner appellaſſe, eamque vocem à ſupervenientibus Romanis fuiſſe in Carnos inflexam; verùm longè priùs innotuerant Romanis Carni, quàm ulla Scytharum in has oras irruptio poſſit demonſtrari. Tertiam ſibi fabricatur originem apud Schönleben (e) Palladius Cranum Thuſcorum Regem primum Carnis parentem aſſignans; at nec conſtat Cranum Thuſcis imperaſſe, nec ulla elucet

(b) De ſitu Orbis l. 5.

(c) Hiſt. nat. l. 3. c. 25.

(d) Spec. hon. l. 3. c. 5.

(e) Carn. Ant. Appa. c. 1. §. 8.

ratio, cur à Crano oriantur populi, qui à vetuſtiſſimis ſcriptoribus non Crani, ſed Carni conſtanter appellantur. Demum ingenioſa ſaltem eſt, ſi non vera citati Schönleben conjectura, quam ipſe exercitii causà adductam mox refellit, à Carna nimirum Dea Carnos dici potuiſſe, quam Romani cardinibus præfecerant, juxta illud Ovidii (a) ad calendas Junii ita canentis: (a) Faſt. 5.

Prima dies tibi Carna datur, Dea Cardinis hæc eſt;
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.

Siquidem alpes tanquam Italiæ clauſtra, & anguſti per illas aditus veluti portæ habebantur: unde Nicephorus Calliſtus (b) de Eugenio Tyranno ita ſcripſit. *Maximum paravit exercitum, & Italiæ portas, quas Romani Julias alpes vocant, præoccupatas præſidio tenuit.* Sed ſat ſuperque pro quæſtione de nomine dictum eſt. (b) Lib. c. 39.

Carnis ex Gallorum Colonia, qui in Aquileienſem agrum deſcendentes Urbem ſibi moliri cœperant, emerſiſſe conjicit Schönleben, (c) anno ante Chriſti ortum 183, quo Galli indè recedere à Romanis juſſi in propinqua montana commigrarunt, quòdam triumphalium faſtorum fragmento innixus, in quo hic titulus extat: *De Galleis Karneis.* Verùm diſertè utrumque populum diſtinguit Livius, (d) dum eorum Legatos Romam anno ejuſdem æræ 170. profectos recenſet: *eodem tempore*, inquit, *de C. Caſſio, qui Conſul priore anno fuerat, querelæ ad Senatum delatæ ſunt: & legati Regis Gallorum Cincibili venerunt. Frater ejus verba in Senatu fecit, queſtus, alpinorum populorum agros ſociorum ſuorum depopulatum C. Caſſium eſſe; & indè multa millia hominum in ſervitutem abripuiſſe. Sub id tempus Carnorum, Iſtrorum, & Japidum legati venerunt, duces ſibi ab Conſule Caſſio primùm imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monſtrarent: pacatum ab ſe tanquam ad aliud bellum gerendum abiiſſe: indè ex medio regreſſum itinere, hoſtiliter peragraſſe fines ſuos; paſſim rapinaſq́, & incendia facta, nec ſe ad id locorum ſcire, propter quam cauſam Conſuli pro hoſtibus fuerint. Et Regulo Gallorum abſenti, & his populis reſponſum eſt: Senatum ea, quæ facta querantur, neque ſciviſſe futura, neque ſi ſint facta, probare. Ubi ex Macedonia rediiſſet Caſſius, tum cognita re Senatum daturum operam, ut ſatisfiat.* Cùm tamen alpini populi, inter quos erant Carni, tanquam ſocii Cincibilò Regi curæ fuerint, ſuſpicari omnino licet ex eadem Gallorum gente eos aliquando proceſſiſſe non autem pro comperto haberi poteſt, cùm inter diverſas quoque nationes ſocietas, aut fœdus non rarò ineatur. Romani amicitiam cum Carnis uſque ad annum ante Virginis partum 118. coluerunt, quo Q. Martius eo tempore Conſul eoſdem expugnaſſe à Cluverio creditur divinante *Carnos*, non Sarnos apud Florum legendum eſſe; quam opinionem ambiguam magis reddit Gronoviana editio, quæ nec *Carnos*, nec *Sarnos*, ſed *Stonos* expreſſit. Favere tamen non inficior Cluverio, quod ipſemet adjicit, altero ſcilicet anno Tauriſcos in Romanorum poteſtatem deveniſſe; hoc enim non obſcurè indicat, Carnos, utpote Italiæ propiores, fuiſſe priùs ab iiſdem ſubjugatos. Porrò in occaſum ruente Romanorum Cæſarum potentia, videntur Carni anguſtos alpium limites tranſgreſſi in propinquam Norici regionem dominium ſuum, nomenque protendiſſe, ubi Carantani primùm, dein Carinthi appellati præſentem Carinthiæ Provinciam complexi ſunt. Neque audiendus hìc eſt apud Ortelium Rithaymerus, qui ex vetuſtiori Carnithiæ vocabulo nuſpiam reperiendo, quaſi perperam inverſo, hodiernum Carinthiæ nomen defluere arbitratur. Ridicula autem prorſus eſt, & ab omnibus ſanæ mentis authoribus exploſa Theophraſti Paracelſi opinio; Romanos ſcilicet tanto amore hunc Ducatum proſecutos eſſe, ut Charitas intima vocaretur, atque à binis his verbis poſteriori ævo in unum contractis uſitatam hactenus Carinthiæ vocem exoriri. (c) Annal. Carin. p. 2. (d) Lib. 43.

Carnos Gothorum Regi Theodorico poſtmodum paruiſſe docet apud Velſerum (e) Procopius, & ab Attila Aquileiam obſidente, totque aliis exteris populis per has alpinas fauces in Italiæ viridaria turmatim irruentibus, multa paſſos eſſe, faciliùs eſt mente concipere, quàm calamò adumbrare, coævis quippe deſtituimur monumentis, à quibus erudiamur; nec fidendum ubique Lazio, aut Megiſero, qui Ducum ſeriem, annorumque ordinem ex infirmis ſanè conjecturis adeò imperterritè texunt, ut ſuiſmet oculis ea omnia perluſtraſſe penitus videantur. Inter illas autem gentes, quibus in ea rerum perturbatione Carinthia patuit, imperium ſuum ibi maximè firmavit Slavica, in quod unanimis authorum ſenſus propendet, quodque à frequenti ejuſdem linguæ uſu etiamnũ indicatur: unde Slavi prioribus permixti, Slavi Winidi, & Carantani Fredegario apud Henſchenium (f) teſte dicebantur, ut à reliquis, qui in Bohemiam, & Poloniam penetraverant, hac forſan ratione diſtinguerentur. Non licuit tamen Slavis parta ſibi ſede tranquillè perfrui, ſæpe enim cum Hunnis invicem collidebantur, qui etiam ſervitutis jugum illis aliquando impoſuiſſe à Brunnero (g) feruntur, donec anno 623. (e) Rer. Boj. l. 2. (f) Diatr. de 3. Dagob. l. 1. num. 6. (g) Annal. Boi. l. 5.

qui-

quidam nomine Samo natione Francus mercaturæ ſtudio ad prædictos Slavos veteribus Carnis immixtos (quos deinceps una voce Carinthos dicam) commeare ſolitus, ducem delendæ tyrannidi ſe præbuit, & egregiæ operæ pretium maximum tulit, ab inſtitoris ſorte ad Regis evectus dignitatem, quam per annos 36. gloriosè dicitur adminiſtraſſe : ſed eò ſub annum 660., è vivis ſublatò an filiorum aliquis ſolium conſcenderit, an Regia poteſtas abrogata, & in plures Duces partita fuerit, à melioris notæ authoribus ambiguum relinquitur. Succedentium enim Principum, ſeu Ducum nomina ex Vita S. Virgilii Salisburgenſis Epiſcopi, ac ex *Hiſtoria de converſione Bojorum, & Carantanorum* anno circiter 858. conſcripta, vel etiam ex domeſticis gentis annalibus à Lazio ſæpe allegatis colligere quidem conatus eſt eruditiſſimus Bollandus ; ſed denſas ubique offendit tenebras, quibus tum ordinis, tum Chronologiæ ratio plurimùm obfuſcatur. Quare eos duntaxat, qui propagandæ fidei Orthodoxæ operam navarunt, hìc breviter memorabo.

Evangelii ſemina jam ab ipſo Apoſtolorum ævo, ex D. Hermagoræ Aquileienſis Epiſcopi, ejuſque diſcipulorum induſtria per Noricum fuiſſe ſparſa, jam aliàs meminimus, magnamque eorum partem in Carinthiam Aquileiæ ſolo ferè contiguam interim deciſſe quis ambigat? Certè uberes indè fructus ſequentibus ſtatim ſeculis in ea adoleviſſe non modò ex S. Severini Vita, ſed etiam ex D. Hieronymo conjicere fas eſt : *Horret animus*, inquit iſte, *temporum noſtrorum ruinas perſequi. Viginti, & eò ampliùs anni ſunt, quod inter Conſtantinopolim, & Alpes Julias* (ſeu Carnicas, quæ Carinthiam, & Carnioliam à Foro Julio dirimunt) *quotidie Romanus ſanguis effunditur, Scythiam, Thraciam, &c. Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt. Quot Matronæ, quot Virgines, & ingenua, nobiliaque corpora his belluis fuere ludibrio ! Capti Epiſcopi, interfecti Presbyteri, & diverſorum officia Clericorum ; ſubverſæ Eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, Martyrum effoſſæ reliquiæ.* Sylveſcentem hac ratione Eccleſiam excolere aggreſſus eſt anno 633. S. Amandus Wormatienſis Præſul, qui acceptâ Carinthorum, eorumque Regis Samonis notitiâ, ultra Rhenum, Danubiumque profectus eſt, magnò æſtuans deſideriò aut gentem hanc ad Chriſtum adducendi, aut Martyrii lauream conſequendi ; ſed tenuem collegiſſe meſſem docet in ejus Sancti Vita Baudemundus ita apud Bollandum (a) de eo ſcribens : *Paucis verò ex iis in Chriſto regeneratis, videns etiam ſibi non ſatis accreſcere fructum, & Martyrium, quod ſemper quærebat, nondum ſe adepturum, ad proprias iterum reverſus eſt oves.* Clarius poſtmodum Carinthis affulſit fidei lumen poſt Boruthi, ſeu Baruchi Ducis obitum, quem Samoni Regi ſtatim ſubſtituunt Megiſerus, (b) & qui hujus epitomen edidit Reichardus ; quaſi eos puderet intercedentium Principum ſyllabum ignoraſſe ; id quippe à vero longè aberrare oſtendit vetuſta S. Virgilii Vita, ex qua cùm clarè inferatur Boruthum ad Pipini Francorum Regis anno 750. inaugurati ætatem acceſſiſſe, & Samo anno circiter 660., vel, ùt ipſe Megiſerus aſſerit, 638. mortem oppetierit, ad 90., aut planè 112. annos Boruthi Regnum extendi ea ratione deberet, quod quàm abſonum ſit, nemo non aſſequitur. Rem totam, uti in citata S. Virgilii Vita refertur, propriis illius verbis ob oculos ponam : *Non multo pòſt tempore cœperunt Hunni eoſdem Quarantanos hoſtili ſeditione graviter affligere, fuitque Dux tunc eorum Boruth nomine, qui Hunnorum exercitum contra eos videns, interim Bavaris nunciare fecit, rogans eos ſibi in auxilium venire. At illi cum magna feſtinatione venientes expugnaverunt Hunnos, & obſirmaverunt Quarantanos, ſervitutique eos Regum ſubjecerunt, ſimul & confines eorum, duxeruntque indè obſides ſecum in Bavariam, inter quos erat filius Boruth nomine Karaſtus, quem pater ejus more Chriſtiano nutriri, & baptizari poſtulavit, quod ita factum eſt. Similiter de Chetimaro filio fratris ſui fieri rogavit. Mortuo autem Boruth juſſu Francorum, Bavari Karaſtum Chriſtianum factum, petentibus eiſdem Slavis, remiſerunt, & illi eum Ducem fecerunt : ſed poſteà ille tertiò annò defunctus eſt. Iterum autem permiſſione Pipini Regis populis idem petentibus Chetimarus Chriſtianus Ducatum ſuſcepit.* Hunc in Carinthiam proficiſcentem comitatus eſt Majoranus Presbyter à S. Virgilio Salisburgi initiatus, quem paulò pòſt ſubſequebatur Modeſtus Epiſcopus cum Watone, Reginberto, Gozario, Latino, aliiſque Evangelii præconibus, qui munere ſuo gnavè functi, brevi meliorem Provinciæ faciem, incoliſque mentem induerunt. *Mortuo autem Chetimaro* (pergit Vitæ ſcriptor) *& orta tertia ſeditione, aliquot annis nullus Preſbyter ibi erat, uſque dum Waltunc Dux eorum miſit iterum ad Virgilium Epiſcopum, & intentè poſtulavit, ut ad confortandum in fide prædictam terram aliquos deſtinaret Presbyteros.* Annuit S. Præſul, novoſque ſubmiſit Presbyteros, Heimonem, Reginobaldum, Majoranum, Gozarium, Erchebertum, Auguſtinum, & Guntarium, qui laboranti ibi Eccleſiæ ſuppetias venirent, ipſeque

(a) Act. SS. ad diem 6. Feb.

(b) Chron. Car. l. 5. c. 25.

peinde Virgilius *per Karinthiam ſenſim tranſeundo ad fines Hunnorum ubi Trabus influit Danubium pertranſiit.* Waltunco ſubrogatur à pluribus Ingo, vel Inguo cujus ſingularis in promovenda re Chriſtiana enituit induſtria. Dilaudat hanc apud Bollandum Æneas Sylvius, à quo reliqui accepere: *Fama eſt*, inquit, *año DCCXC. poſt Chriſti Salvatoris ortum imperante Carolo magno, Ducem gentis Inguonem nomine, ingens convivium provincialibus præparaſſe, & agreſtibus quidem ad conſpectum ſuum intromiſſis, in vaſis aureis, atque argenteis; Nobilibus verò, & Magnatibus procul ab oculis collocatis, fictilibus miniſtrari juſſiſſe: interrogatum, cur ita faceret, reſpondiſſe, non tam mundos, qui Urbes, & alta palatia, quam qui agros, & humiles caſas colerent. Ruſticis, qui Chriſti Evangelium accepiſſent, baptiſmatis undâ purificatis, candidas, & nitidas eſſe animas, nobilibus ac potentibus, qui ſpurcitias idolorum ſequerentur, ſordidas, ac nigerrimas; ſe verò pro animarum qualitatibus inſtruxiſſe convivium; caſtigatos eare nobiles catervatim ſacri baptiſmatis undam quærentes, brevi tempore ſub Virgilio, & Arnone Juvavienſibus Epiſcopis, univerſos Chriſti fidem accepiſſe.* Demum Chriſtianæ legi in Carinthia ſtabiliendæ ſupremam, eamque ſedulam impendiſſe operam dicendus eſt B. Domitianus ejuſdem Provinciæ Dux, quem octavo ſeculo jam ad finem vergente, vel nono jàm ineunte Carinthis imperaſſe Bollandus conjicit, cùm in ejus Vita nullum temporis appareat veſtigium præter tenue aliquod, quod ſuppeditat epitaphium ejuſdem ſarcophago poſt plura ab obitu ſecula detecto inciſum; id enim hoc clauditur elogiô: *Qui convertit iſtũ populum ad Chriſtianitatem ab infidelitate.*

Prætereo cæteros poſt Domitianum Duces, ſive Archiduces, quos longo ordine deduxit Megiſerus, eos à memorato Inguone auſpicatus, quem primum Carinthiæ Archiducem à Carolo Magno Francorum Rege anno 772. creatum contendit, hôc unô inauditæ eo tempore dignitatis adjectô teſtimoniô (*ſicut antiquæ annotationes teſtantur.*) Atque ad recentiora calamum converto, utpote tutioribus fundamentis illuſtrata, ad Marquardum ſcilicet ex Comitum de Muerztal, & Avelanz proſapia, in quem ob navatam contra Saxones operam Cæſar Henricus IV. à Berchtoldo Zaringenſi ſibi infenſo, anno 1073. Carinthiæ tranſtulit Principatum. Fuit is verus Lambertini in Styria Cœnobii fundator, non tantùm inſtaurator, utì Megiſero placuit, cujus pios, ac ſplendidos conatus proſecutus eſt Henricus filius (non p ter, utì perperam ſcripſit Buccelinus) & anno 1090. Leopoldi fratris in Ducatu ſucceſſor. Emendandum hic pariter eſt quinquaginta ſaltem annorum ſphalma, quod in deſcriptione Styriæ retuli, à Fuggero commiſſum, dum ab anno 1030. primi illius Provinciæ Marchionis, Ottocari nempe prædicti Marquardi ex fratre nepotis regimen orditur; cùm tamen ipſemet alio in loco (a) reliquis ſcriptoribus ſuffragatus nonnisi anno 1073. Ottocari patruum Marquardum in Carinthiæ Ducem promoveat, neque mendum in typum irrepſiſſe dici poſſit; ſiquidem Ottocari Marchionatum Conrado II. ab anno 1026. ad annum 1039. imperanti, continuato attribuit errore. (a) Spec. ho. l. 3. c. 5.

Henrico tertio poſt Marquardum Duce anno 1127. ſinè liberis defuncto, Erbo Ratisponenſis Comes Palatinus à Lothario Imperatore ad illius dignitatem evehitur, quâ ille duodecim annos potitus fatis ceſſit relicto Poppone filio, non tamen hærede; hôc quippe ex Conradi III. Cæſaris ſententiâ neglectô, Engelbertus Comes in Spanheim, & Ortenburg anno 1140. vacuum adiit Ducatum, quem ſex è ſtirpe ſua tranſmiſit poſteris; namque horum ultimus Udalricus III. deſperata prole, Avunculo ſuo Ottocaro Bohemiæ Regi Carinthiam tranſcripſit, magna pecuniarum vi ab eo antea provocatus. Verùm cùm hæc inſalutatis Imperii Ordinibus executioni darentur, Rudolphus I. Imperator, exuto eâ Provinciâ Ottocaro, in Auguſtanis anni 1282. Comitiis ex communi Principum conſenſu Meinhardum Tirolis, & Goritiæ Comitem, cui Udalrici III. vidua nupſerat, Carinthiæ Ducem declaravit; hujus filius Henricus cùm anno 1335 extremum ſuum clauſiſſet diem, Ludovicus Bavarus Imperator ſolum Tirolenſem Comitatum Margarethæ Henrici unigenitæ (quam ob recurvi oris vitium Maultaſch vulgus vocabat) adjudicavit, Carinthiam autem Ottoni Auſtriæ Archiduci contulit, nequidquam obtinente, & Provinciam armis aliquamdiu vaſtante Maultaſchia. Hinc Carinthiæ Ducatus occidere neſcia Auſtriæ ſydera ſemper coluit, quorum benignis influxibus adhuc irroratur.

Perſtrictis, quæ ad univerſum hujus Regionis ſtatum pertinebant, priuſquam de more ſingulas ejuſdem Urbes obeamus, prætereunda non eſt rara inaugurandi Ducis conſuetudo, ab Ænea Sylvio poſtea Pio II. Papa, ni fallor, primùm vulgata; licèt jam plures ſcriptores ſuis eam operibus inſeruerint, ne quid notatu dignum videar neglexiſſe. Quare aliorum inſiſtens veſtigiis, prout illam è fonte Bollandus, Megiſerus, cæterique hauſerunt, & ego meis lectoribus propinabo: *Imperium* Carinthiæ

Au-

Auſtrales obtinent, & Archiducem appellant, cui ea Regio paret. Quoties novus Princeps Reipublicæ gubernationem init, ſolennitatem nuſquam alibi auditam obſervant. Non longè ab Oppido S. Viti, in valle ſpecioſa vetuſtæ Civitatis reliquiæ viſuntur, cujus nomen temporis abolevit antiquitas. Juxtà in pratis latè patentibus marmoreus lapis erectus eſt: hunc Ruſticus aſcendit, cui per ſucceſſionem ſtirpis id officium hæreditario jure debetur. Ad dextram bos macer nigri coloris adſtat, ad ſiniſtram pari macie deformis equa: frequens circa eum populus, & omnis ruſtica turma. Tum Princeps ex adverſa pratorum parte procedit, purpurati ejus Proceres ambiunt. Vexillum ante ipſum, & inſignia Principatus: Comes Goritiæ, qui Palatii curam gerit inter duodecim minora vexilla præcurrit: reliqui magiſtratus ſequuntur. Nemo in eo comitatu non dignus honore videtur, nisi Princeps præ ſe ipſe Ruſtici ſpeciem ferens: agreſtis ei veſtis, agreſtis pileus, calceuſq;, & baculus in manu geſtatus paſtorem oſtendit. Quem poſtquam Ruſticus ex lapide venientem conſpicatus eſt ſermone Slavico (ſunt enim ipſi Carinthi Slavi) Quis hic eſt, inclamat, cujus tam ſuperbum inceſſum video? Reſpondent circumſtantes; Principem terræ advenire. Tum ille; Juſtuſne Judex eſt, ſalutem patriæ quærens? liberæ conditionis, dignus honore? eſtne Chriſtianæ cultor fidei & defenſor? Reſpondent omnes: eſt, & erit. Rurſus ille, quo me jure ab hac ſede dimovebit? At Goritiæ Comes, LX. denariis, inquit, locus iſte emitur. Jumenta hæc tua erunt, bovem, atque equam oſtendens. Veſtimenta quoque Principis, quæ paulò antè exuit, accipies. Eritq; domus tua illa libera, & abſque tributo. Quibus dictis Ruſticus, levi alapâ Principi datâ bonum Judicem eſſe jubet, & ſurgens, jumentaq; ſecum abducens loco cedit. Princeps verò conſcenſo lapide nudum gladium manu vibrans ad omnem ſe partem convertit, æquum judicium populo promittens. Ferunt & aquam frigidam ruſtico allatam pileo bibere, tanquam vini uſum damnet. Miræ hujus ſolemnitatis authorem prodidit Sylvius, dum epuli narrationem, quod prælaudatus Dux Inguon... Chriſtianis Ruſticis inſtruxerat, hoc epiphonemate concluſit: *Hinc honos inveſtiendi Principis ruſticitati datus.* Diuque eam viguiſſe oportet; ſiquidem Erneſtus Archidux Auſtriæ Friderici IV. Cæſaris parens anno 1414. haſce ceremonias ultimus admiſiſſe à Fuggero perhibetur. Imò ad ſaxeum illud tribunal Archiducem Carolum, & Ferdinandum filium poſtea Imperatorem, inauguratos quoque fuiſſe addit Bollandus, prætermiſſo tamen vili veſtium... cultu, atque alapa à ruſtico infligenda, quæ ejus temporis ratio fortaſſe non patiebatur. Superſunt hodieque lapideæ illius ſellæ fragmenta, in quorum uno Domitiani nomen vetuſtiſſimis inſculptum literis ſe legiſſe affirmat Lazius; idque, ſi à veritate non deviat, maximè fulcit Bollandi conjecturam, B. Domitianum Inguonis, aut filium, aut agnatum memorato Ruſticorum convivio utpote Chriſtianum interfuiſſe opinantis, quod ne probro eſſet, ſanxerit vel Inguon, vel ipſemet, ut ejuſmodi ritûs ſolennitate idipſum apud poſteros celebraretur. Nunc verò conſvetum harum deſcriptionum curſum proſecuturi ad Carinthiæ Metropolim accedamus.

CLAGENFURTUM.

CLagenfurtum venuſta eſt, ac nobilis Urbs, cujus vernaculum nomen Clagenfurt ex vetuſtiori voce Glanfurt detortum videtur juxta veriſimillimam Megiſeri, aliorumque opinionem, quaſi ex Glan amne non procul indè fluente, & verbo furt, quod vadum, ſeu trajectum Germanis indicat, illud vocabulum coaluiſſet. In totius Carinthiæ Metropolim hæc Civitas evaſit, poſtquam anno 1518. à Maximiliano I. Imperatore Provinciæ Statibus in illuſtrium facinorum præmium donata, cœpit novis ædificiis ampliari, & circa ſeculi decimi ſexti finem amplis, editiſque mœniis, ac propugnaculis figuram quadratam exprimentibus communiri. Quatuor in iis portæ versùs totidem mundi plagas incolis viam pandunt ad peramœnam planitiem circumquaque extenſam, quam partim ambiunt nemoroſi colles, altiora poſt ſe juga ſuſpicientes, partim diſſecat piſcoſus lacus vulgò Werdtſee dictus pluſquàm uno ab Urbe lapide ſejunctus, & per duo milliaria Germanica in longum effuſus. Nomen lacui dedit quædam illius inſula, in qua anno 1000. Præpoſituram, ſeu Collegiatam, ùt vocant, Eccleſiam SS. Primi, & Fœliciani honori ſacram extruxiſſe, ac pretioſis eorundem lipſanis dotaſſe fertur Friſingenſis Præſul Abrahamus ex Comitibus Goritiæ, & Carinthiæ Palatinis oriundus; ſed ea lapſu temporum ſplendore ſuo orbata ad ſolam Parœciæ dignitatem modò decrevit. Ornamentum verò lacui addit magnifica Arx, quam unà cum Lauretana B. V. Æde Comes Joannes Andreas Roſenbergius in prominenti illius ſcopulo anno 1652. excitavit. Subjacet Clagenfurtum latitudinis gradui 46. cum 43. minutis, longitudinis verò 38. cum 8. minutis, atque ab Inclyta Auſtriæ Metropoli communi 42. milliarium itinere in Auſtrum removetur.

Circa veterem hujus Urbis ſtatum refert Bollandus (a) aliquorum ſententiam, qui Adundrinam Civitatem, cujus in S.

(a) Act. SS. ad diem 5. Febr.

Virgilii Vita mentio extat, Clagenfurti ſtatuunt, imò & Hydrundinum nomen eidem appingunt, quaſi à Græca voce ὕδωρ, vel ab hydra ſerpente, ſeu Dracone aquatico, quem Urbs pro inſignibus gerit derivatum; ſed ingenium laudo, judicium non approbo, utpotè in nulla authoritate, aut ſolida ratione fundatum. Megiſerus aliàs facilis in quibuſvis antiquitatibus ſuæ Carinthiæ adſtruendis, primam hujus Urbis originem in obſcuro latere ingenuè fatetur, quamvis in quodam dubiæ fidei catalogo Duces Provinciæ Norici Mediterranei exhibente repererit, Clagenfurtum, quaſi Claudenfurtum Romanorum fuiſſe Coloniam ab Imperatore Flavio Claudio anno 270. huc deductam, ideoque Forum Claudii primitus appellatam, cujus Plinium ſub Claudiæ, & Ptolomæum ſub Claudioni, vel Claudivii nomine meminiſſe nonnulli opinantur. Verùm ſpecioſos hos natales non tam labefactat Claudii obitus, quem prætenſo anno 3. nonas Februarii Sirmii accidiſſe notant eximii chronologi Ricciolius, & Brietius, quàm propinqua, nec nisi uno milliari ab hac Urbe diſſita ſublimium ædificiorum veſtigia, & Civitatis alicujus Romanorum ævo ibi florentis indicia per Solienſem campum vulgò Saalfeldt, ſeu Zollfeldt diſſeminata; ægrè ſiquidem mihi perſuadeo, Romanos Colonias ſuas, ſeu municipia tam modico intervallo disjunxiſſe. Quare ſatius exiſtimo omiſsâ Claudiâ, ſeu Claudiviô, quod Ptolomæus Danubio magis admovet, aliam Urbem, quantûm, fundatis in veterum hiſtoria conjecturis, aſſequi poſſumus, per Solienſia rudera venari, quod antequam aggrediar, rejicienda eſt Megiſeri (a) hallucinatio, qui Salam Urbem à Ptolomæo memoratam ineptè iſtic collocat, cùm eam author Pañoniæ non Norico adſcribat, & in Antonini Itinerario inter Sabariam, & Heclitanum occurrat, quæ procul à Solienſi agro Salam manifeſtè relegant; unde reliquorum placita modò expendamus.

(a) Chron. Car. l. 3. c. 9.

In geminas incidi ſententias, quæ ſolidioribus niti rationibus videntur: Prima, quæ Plinii (b) Solvenſe iſtic fuiſſe agnoſcit, plures ſortita eſt patronos, nempe Lazium, Ortelium, Megiſerum, Lambecium, Bollandum, alioſque, quorum maximum fundamentum in eo ſiſtit, quòd locus ille à Plinio Norico inferatur, & magnam præferat nominis affinitatem cum Solienſi campo, qui & intra veteres Norici limites continetur, & in Urbem eum aliquando excreviſſe, ſparſa illic oſtentant monumenta. Cúmque neutro genere utatur author, Solvenſe potiùs municipium fuiſſe autumo, quàm Coloniam, uti nonnullis perperam placuit. Epiſcopos inſuper Domingum, Modelhamum, & Modeſtum, cujus S. Virgilii Vita, nulla certa ſede aſſignata, mentionem facit, authoritate ſua Solvenſi præficit Eccleſiæ Megiſerus. (c) Verùm cum bona tot illuſtrium ſcriptorum venia ſciſcitari mihi liceat, cur potiùs Plinio fidem adhibeant, eam Urbem inter Noricas recenſenti, quàm tribus aliis vetuſtis etiam authoribus eandem Pannoniæ adjudicantibus? ſiquidem ipſorum plerique cenſent, & idem prorſus nomen pene convincit, Solvenſe illud municipium unam cum Solva *Pannoniæ manſione* fuiſſe Civitatem, cujus non ſolùm Antoninus in itinere Acincô Crumerum ducente, & Ptolomæus (d) in Inferiore Pannonia meminere; verùm etiam Antiqua utriusque Imperii Romani Notitia, ubi & hoc diſertè adjicitur, ſtativa ſua ibi poſuiſſe *Equites Mauros ſub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Provinciæ Valeriæ Ripenſis, & Cuneum Equitum Scutariorum.* Certè non unicus hic foret Plinii error, nam & Æmonam Norico inſcribit, cùm Ptolomæus, & limitum ratio eam indè excluſam in Pannonia relinquant. Sed neque prætenſa nominis affinitas iis admodum ſuffragatur, præſens enim latina vox *Solienſis* deducta primò videtur ex germanicis Saalfeld, vel Zollfeldt, quæ tantam, quanta à nonnullis putatur, cum Solva conſonantiam minimè demonſtrant.

(a) Chron. Car. l. 3. c. 4.

(d) Lib. 2. c. 16.

Amandata itaque ex Solienſi campo Solvenſi Civitate, cùm aliam inibi ſtatuere ob manifeſta indicia neceſſe ſit, ad alteram me converto ſententiam eruditiſſimi Schönleben, Tiburniam indubitatam Norici Urbem iſtic collocantis; quam eandem eſſe cum Plinii, & Ptolomæi Teurnia non vanè quis ſuſpicaretur. Magnum huic opinioni pondus addit vel ipſe Megiſerus, (e) dum agrum illum Zollfeldt vitiatè etiam Liburniam à vulgo fuiſſe ætate ſua nuncupatum affirmat; quapropter non veretur Tiburniam quoque eidem adſtruere, eamque Solvenſi Urbi mirabili artificio ſuperædificare. Plura ſuppetent pro parte noſtra argumenta, dum veteres Tiburniæ memorias excutiemus. Primam offert Eugippius in S. Severini Noricorum Apoſtoli Vita apud Velſerum excuſa, (f) ubi hæc de eo leguntur: *Pro decimis autem dandis, quibus pauperes alerentur, Norici quoque Presbyteros miſſis exhortatur epiſtolis. Ex qua conſvetudine, cùm nonnullam ad eum erogandarum veſtium copiam direxiſſent, interrogavit eos, qui venerant, ſi ex Civitate quoque Tiburnia ſimilis collatio mitteretur. Reſpondentibus etiam indè protinus adfuturos, vir Dei nequaquam eos venire ſignavit, ſed dilatam eorum oblationem prædixit barbaris offerendam. Itaque non multò pòſt Cives Tibur-*

(e) Chron. Car. l. 3. c. 8.

(b) Lib. 3. c. 24.

(f) C. 17.

burnia, vario cum obſidentibus Gothis certamine dimicantes, vix initi fœderis pactione inter cætera etiam largitionem jam in unum collatam, quam mittere famulo Dei diſtulerant, hoſtibus, ut prædixerat, obtulerunt. Epiſcopali etiam dignitate Tiburniam fulſiſſe, certiores nos reddit idem author ita ſcribens: (a) *Paulinus quidam ad S. Severinum, famâ ejus latiùs procurrente, pervenerat; hic in conſortio beati viri diebus aliquot remoratus, cùm redire vellet, audivit ab eo: Venerabilis Presbyter feſtina, quia ſcito dilectionem tuam, populorum deſideriis, ut credimus, obluctantem, dignitas Epiſcopatus ornabit: Mox remeante ad patriam, ſermo in eo prædicentis impletus eſt. Nam Cives Tiburniæ, quæ eſt Metropolis Norici, coëgerunt prædictum virum ſummi Sacerdotii ſuſcipere principatum.* Eandem Tiburnienſi Urbi prærogativam liquidò confirmant Acta Synodi Gradenſis anno 580. ſub Helia Patriarcha Aquileienſi, qui ea tempeſtate Patriarchalem Sedem Gradum tranſtulerat, celebratæ; huic enim ſubſcriptum legit Ughellus in uno illius exemplari Leomanum Epiſcopum S. Eccleſiæ Teborricenſis, & in altero ex Barberina Bibliotheca deſumpto Leonianum Epiſcopum Tibornienſem. Decenniô pòſt Pſeudo-Synodus Marianenſis ex Venetiarum, & ſecundæ Rhætiæ Epiſcopis conflata in libello, quem Mauritio Orientis Imperatori porrexerant, apud Baronium (b) reperiendo, conqueritur de Tiburnienſis Eccleſiæ ab Aquileienſi Metropolita, cui antea parebat, defectione, quia ibi *Galliarum Epiſcopi conſtituerant Sacerdotes.* Schönleben hìc Galliarum locò Germaniæ nomen ſubſtituit; at licèt illô ævô Francorum Imperio Noricæ, vicinæque regiones minimè ſubjectæ fuerint, admitti tamen poteſt, Galliæ Antiſtites ex zelo apoſtolico ad illas profectos eſſe, vel alios Presbyteros ſubmiſiſſe, ut à gentilium ſuperſtitionibus eaſdem ad Chriſtum revocarent; tot enim barbari, qui ab Odoacris Herulorum Regis tempore Noricum inundabant, idololatriam illuc rurſus invexerant; unde pluribus videtur Tiburnienſis Epiſcopatus jam ſub annum 590. defeciſſe, nec ampliùs reſtauratum indè eſſe conſtat, niſi aſſerere velimus Modeſtum Epiſcopum, quem à S. Virgilio Salisburgenſi Præſule Carantanis datum diximus, primariam ſuam Sedem Tiburniæ collocaſſe. Hinc ſi Tiburnienſis Eccleſia Aquileienſi Patriarchæ obtemperabat, veroſimilius elucet eam in Norici plaga Italiæ propiori inquirendam eſſe, qualis erat Carinthiæ portio tunc Norico adhærens: faceſſant igitur, qui non Tiburniam, ſed Tiberinam in Eugippio legentes eam Ratiſponam eſſe interpretantur, à Norici finibus, quos ſecus Oenum fluvium Ptolomæus terminat, longo ſpatio avulſam: Nec me quidem latet, ſcriptores quosdam, inter quos Paulus Diaconus, poſterioribus ſeculis Norico nomini adjeciſſe, quidquid Bojorum ditio complectebatur, eum ſcilicet in primis Rhætiæ ſecundæ tractum, qui inter Oenum, & Lycum extenditur; ſed Eugippii ætate eam conſvetudinem nondum tenuiſſe, quin illum Norici appellationem propriè uſurpaſſe, certum fit ex ipſa S. Severini Vita, in qua occidua Oeni ripa ad Rhætiam, non ad Noricum expreſsè refertur. Demum aſſertioni noſtræ non parum patrocinatur B. Virgo in Solio, cujus eo nomine grandis ibi aſſurgit Baſilica; ejus quippe origo videtur in præcitata S. Virgilii Vita deſcribi, ubi de Presbyteris ab eo in Carinthiam miſſis hæc enarrantur: *Qui venientes Karantanis dedicaverunt ibi Eccleſiam Virginis Glorioſæ in Liburnia* (Bollandus rectè corrigit in Tiburnia) *Civitate, & aliam in ſua Adundrina Civitate.* Cui opinioni ſubſcribit ipſe Megiſerus (c) ad annum 745., ſed Liburniam ſive Tiburniam cum Solva abſque fundamento confundens; additque alibi hanc eandem eſſe Eccleſiam, quam tanquam D. Petro ſacram memorat Æneas Sylvius, dum allatas ſuperiùs inaugurandi Ducis ceremonias ita proſequitur: *Deinde ad Eccleſiam Solienſem pergit, quæ in propinquo tumulo ſita eſt S. Petri vocabulum habens, & olim Pontificalis fuiſſe dicitur: ubi peractis ſacrificiis Princeps ruſtica indumenta deponit, paludamentumq; induit, convivatuſq; ſplendidè cum Proceribus, in prata revertitur, ibiq; pro tribunali ſedens, jus petentibus dicit, & feuda confert.* Non modò Epiſcopali Cathedra hoc Templum fuiſſe condecoratum cenſet Reichardus, ſed & Præſulum ſyllabum contexit, qui S. Modeſto primo illius Eccleſiæ, utì conjicitur, Moderatori ſucceſſêre, videlicet Majoranus, Modelhamus, Adalbinus, Madoldus, Warmanus, Theodoricus, Otho, Oswaldus, tandem anno 870. deſiiſſe credit Solienſem, ſeu Tiburnienſem Epiſcopatum, remanentibus tantùm quibuſdam Canonicis cum Præpoſitura, quæ hodieque perſeverat. Collecto iſtic ab accolarum pietate theſauro inhians Maubitius Hungarorum Ductor anno 1482. debilem aliàs locum obſidione premit, ſed Radhauptii Canonici reliquos omnes ad ſtrenuam defenſionem, quà verbis, quà exemplo ſtimulantis induſtriâ, vel potiùs invictiſſimæ Cœlorum Reginæ tutelâ tamdiu repulſus eſt, donec percepto Weiſsbriachii Ducis, ejuſque militum adventu aliò commigravit.

Antequam è Solienſi campo diſcedamus, prætereunda non eſt celebris illa ex ære ſtatua anno 1502. ab arante Ruſtico in

(a) C. 21.

(b) In appē. to. 8. ad an. 590.

(c) Chron. Car. l. 5. c. 48.

eo inventa, & à Salisburgenſi Archiepiſcopo Matthæo Langio Salisburgum translata, cujus femori inciſa inſcriptio ita à Megiſero profertur. *A. POBLICIUS D. L. ANTIOC. TI. BARBIUS. Q. P. L.* Aliam exhibebat in limbo parma ſimul effoſſa his notis expreſſam: *M. GALLICINUS VINDILLE L. L. BARBIUS L. L. PHILOTHERUS PR. CRAXSANTUS BARBI P.S.* Antinoi, quem Imperator Hadrianus deperibat, ſimulacrum illud eſſe conjecit Vinandus Pighius apud Lambecium, ſed hic eum meritò refellit, cùm nullam præſeferat ſimilitudinem cum marmorea Antinoi ſtatua Romæ in Vaticanis hortis erecta; Romanam enim effigiem diceres adoleſcentis glabri, atque inermis, qualis fuit Antinous in primo juventutis flore Nili aquis extinctus; at Solienſis hæc ænea virum exprimit militarem, hirſutum, & parmâ, ſecuríque bellica armatum; ipſe verò Lambecius, ùt pene certum ſibi potiùs perſuadet, ſtatuam hanc à quinque illis Libertis, quorum nomina in adductis inſcriptionibus leguntur ære collato, & communi nomine poſitam eſſe in honorem *TIBERII BARBII TITIANI DECURIONIS COLONIÆ ÆMONÆ*, qui inſcriptus reperitur cuidam monumento Labaci, ùt Gruterus refert, aſſervato. Innumera præterea in hoc campo eruuntur numiſmata, aliaque antiquæ Urbis opulentiæ teſtimonia, ſed jam iſtic longiùs commorati, Clagenfurtum, unde digreſſi fuimus, tandem revertamur.

Sex Civitatem hanc coronant Templa hìc breviter enumeranda: Parochiale D. Ægidii honoribus devotum grandævam monſtrabat ætatem, ſed ante decennium ſolo æquatum alteri locum ceſſit, quod juxta novæ architectonices regulas ab eo tempore aſſurrexit. Majorem oſtentat molem alterum Sanctis Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo ſacrum, cui adjacet Societatis Jesu Collegium ab Archiduce Ferdinando poſtea Cæſare ejus nominis ſecundo anno 1604. fundatum, ea præcipuè de cauſa, ut Lutherana hæreſis, radicitùs extirparetur, quam quadriennio priùs jam evellere cœperat Martinus Seccovienſis Antiſtes; hic enim quadringentis ſtipatus militibus anno 1600. Urbem ſubiit, atque Heterodoxorum libris publicè concrematis omne Auguſtanæ Confeſſionis exercitium interdixit. Poſtea verò copulata eſt Catholicæ pietati eruditio, in eximio quippe illius Collegii Gymnaſio præter amœniores Muſas, tum Peripateticæ, & Mathematicæ ſcientiæ, tum Moralis Theologia, & ſacri Canones frequentibus auditoribus traduntur. S. Spiritûs Eccleſia penes Provincialem Domum, in qua ſcilicet Statuum Comitia convocantur, paulò ante annum 1636., quo Urbe universa conflagrante immunis evaſit, ædificata, quatuor circiter abhinc luſtris ſacris D. Urſulæ Virginibus tradita eſt, quæ nobilem illic Parthenonem ſibi concinnarunt: ejus verò locò Carinthiæ Proceres aliam S. Angelo Cuſtodi dicatam extra mœnia erexere. His accedunt S. Sebaſtiani Templum ad Civicum Noſocomium ſpectans, & bina alia à Venerabili Minorum D. Franciſci, & Capucinorum Ordine poſſeſſa, quorum primum Paris Lodronius Salisburgenſis Archiepiſcopus anno 1613. conſecravit, alterum autem Provinciæ Status anno 1646. excitarunt. Nec modicum adferunt eidem Urbi ornamentum binæ marmoreæ ſtatuæ, quarum altera Sanctiſſimam Triadem, altera Beatiſſimam Dei Genitricem ſine labe conceptam repræſentat, elegantibus baſibus inſiſtentes. Fori denique centrum obtinet ſpecioſus fons, ubi aquam marmoreus draco, cui marmoreus pariter Hercules adſtat, è faucibus perpetuò eructat.

Quæ de hac Urbe ab anno 648. uſque ad ejuſdem ſeculi 82. Megiſerus enarrat Chacanum ſcilicet Hunnorum Regem ſexaginta hominum millibus eam tunc cinxiſſe, & prolapſis caſu muris irruentem, Pleurati Urbis Præfecti ſuſpendio furori ſuo litaſſe, gratis profectò aſſerit, cùm nec ipſe, nec mortalium ullus noverit, Clagenfurtum ea tempeſtate in rerum natura adhuc extitiſſe. Digniora tamen fide ſunt, quæ ad annum 1395. commemorat: Nicolaum nempe Liechtenſteinium juſſu Kreigii Provinciæ, ùt vocant, Capitanei, cui Urbis Senatus morem gerere abnuerat, incenſis Suburbiis, direptis pomœriis, Civibusque, qui interdum excurrerant, notabili clade repulſis, Clagenfurtum arctè preſſiſſe, donec intercedentibus apud Kreigium nonnullis è nobilitate præſertim Nicolao Dietrichſteinio, ſoluta fuit obſidio, & in criminis authores duntaxat animadverſum. Sævior anno 1473. Clagenfurtenſibus minabatur hoſtis; Turcæ ſiquidem ſex millium numero trajecto Dravo circumſitos agros depopulati magnam ibidem ſtragem ediderunt. Hactenus Clagenfurti viciniæque aſpectus nos recreavit; nunc indè abſcedamus, reliqua etiam Carinthiæ monumenta ſecundùm alphabeti ſeriem contemplaturi.

ARNOLDISTEINA.

ARnoldiſteina vulgo Arnoldſtein ſeu Arlſtein 4. milliaribus Clagenfurto recedens, rupes eſt nobili Arce quondam coronata,

ronata, quam S. Otho ex Comitibus ab Andech, & Dieſſen Epiſcopus Bambergenſis, & Pomeranorum Apoſtolus anno 1124., ùtì Reichardo, vel biennio pòſt utì Bucelino placet, in egregium S. Benedicti Cœnobium convertit, Ingramo primi Abbatis munere ibi fungi juſſo, ſub cujus nono ſucceſſore Floriamundo anno circiter 1350. horrendus cujusdam propinqui montis lapſus multas Arces, pagosque tumulavit. Ab hoc verò vigeſimus primus Abbas Nonnoſus Ritter ex Bambergenſi Monaſterio in Priorem poſtulatus, dein anno 1654. ad Inſulam evectus ob præclara merita ſecundi fundatoris encomio à Reichardo celebratur. Pervetuſtæ maris & fœminæ icones penes Templi fores muro inſertæ Arnoldum Arcis conditorem, ejuſque conjugem referre multorum opinione creduntur.

DIETRICHSTEINA.

Dietrichſteinam Arcem memorabilem reddunt tum antiquiſſima Dietrichſteiniæ proſapiæ origo Cardinalitiâ purpurâ Franciſco à Clemente VIII. collatâ, S. R. I. Principis dignitate eidem, & poſteris à Ferdinando II. impertita, obitis Legationibus, ac ſummis apud Cæſaream Aulam muneribus ſplendidiſſimæ, tum bina obſidia ab ea aliquando exantlata. Primò eam ſtrinxit anno 1334. Margaretha Maultaſchia, quæ non tam aperta armorum vi, quàm occultis inſidiis in Arcem ſævire decreverat; irrepſerant enim aliquot illius ſicarii, ut Henricum Dietrichſteinium, & Dietricum Welzium loci propugnatores improviſò adorirentur, ſed detecti intentatam aliis necem ipſi tulerunt: impar nihilominus obſidentium ferociæ præſidium favente noctis caligine Caſtrum deſeruit à Maultaſchianis copiis mox diripiendum. Surrexerat quidem indè magnificentiùs; ſed atrocior anno 1483. in illud ingruit tempeſtas, quando Hungarorum Ductor Marapetrus protracta ultra ſextum menſem obſidione Dietrichſteinam afflixit, quam Pancratius Dietrichſtein, eluſo ſæpius hoſtium impetu, ſtrenuè tuebatur. Verùm, quamvis Marapetrus in ſingulari certamine grave in brachio, & fronte vulnus à Pancratio etiam ſauciato accepiſſet, & Provinciæ Proceres commeatu interim obſeſſorum vires inſtauraſſent, obſtinatâ tamen Hungarorum conſtantiâ fracti Dietrichſteinenſes Arcem Marapetro dederunt, ab eo funditus everſam.

FANUM S. ANDREÆ.

FAnum S. Andreæ Urbs eſt in peramœna Valle Lavantina ad cognominem fluvium ſita, ubi antiquum Flavium, cujus Præfecturarum Romanarum codex, & Plinius mentionem faciunt, ſe reperiſſe jactat apud Merianum Lazius; Vallem enim indè Flavianâ, poſtea Lavanam, tandem Lavandam dictam imaginatur, ſed quis non miretur, vel potiùs derideat adeò ſubtile Lavantinæ etymologiæ ex Flavio deducendæ artificium? Vallem hanc Comitatûs titulò quondam illuſtratam ex Megiſero diſcimus, cujus dominium anno 992. Henricus Carinthiæ Dux Sigefrido ex Comitibus Sponhaimenſibus S. Hartvici Salisburgenſis Antiſtitis fratri, cui Richardam filiam deſponderat, dotis nomine conceſſit. Anno 1480. ad eam uſque deprædandam penetraverant Turcæ, ſed à Georgio Schaunbergico, qui convocatis ad ſe Ruſticis, & multiplicatis tympanis tenuem ſuorum militum manipulum hoſtibus formidabilem reddiderat, noctu impetiti, maturatâ protinus fugâ ea etiam ſpolia, quæ aliunde advexerant, victoribus colligenda reliquere. In D. Andreæ Urbe Epiſcopalem erexit cathedram Eberhardus II. Archiepiſcopus Salisburgenſis anno, ſi Brunerum (a) ſequimur 1226., ſed biennio tardiùs, ſi Steronem, & Reichardum ſectamur. Primus in ea ſedit Udalricus è Domeſticis Eberhardi Sacellanis, 29. ad hanc uſque diem nactus Succeſſores. Ex his decimus Conradus Torer anno 1411. vita functus, aliquod ſanctitatis ſuæ argumentum tranſmiſit poſteris, qui ejus corpus in chori ſupremitate parieti ſinè tumba incluſum anno 1642. ferè incorruptum repererunt: & vigeſimus ſextus Albertus de Priamis anno 1640. ea dignitate inſignitus piæ ſuæ munificentiæ monumentum Lauretanam nempe B. V. Ædem extra Urbem excitavit, in quam invitatæ ex Marenbergenſi Parthenone aliquot ſacræ Virgines D. Dominici regulas profeſſæ anno ejus ſeculi 63. commigrarunt. Epiſcopatus honori alterum adjecit elapſo nuper ſeculo Imperator videlicet S. R. I. Principis prærogativam. Sexdecim annis ante Udalrici inaugurationem, Præpoſitorum catalogum, qui Collegiatæ, ùt vocant, Eccleſiæ iſtic præſunt, à Friderico orditur Reichardus; at illorum vigeſimus ſextus Joannes Gambacius Inſulæ uſum primò adeptus eſt. In primaria ejuſdem Urbis Baſilica D. Andreæ dicata, inventa narrat præcitatus Brunnerus ſacra Divorum Viti & Modeſti lipſana, atque Salisburgum, Paſſavienſi, & Chymenſi Præſule præter Salisburgenſem Archiepiſcopum pompam comitantibus translata.

(a) Anna. I. 13.

FANUM S. PAULI.

FAnum S. Pauli Oppidum eſt Lavantinæ Vallis 6. milliaribus Clagenfurtò diſſitum, & ſplendidiſſimò Ordinis S. Benedicti Monaſterio decoratum; quod anno 1091. Comes Engelbertus Templo addidit à Sigefrido, & Richarda parentibus ſuis pridem erecto, & gentium Apoſtoli honoribus devoto; in pium hoc opus conſpirantibus Hadwige Engelberti conjuge, & Hartvico Magdeburgenſi Archiepiſcopo ejuſdem fratre. Nec à liberali patris animo degeneres conditoris filii Bernardus, & Henricus Carinthiæ Duces novas opes, & fundos D. Paulo, & ſacræ Benedictinæ Familiæ conſecrarunt. Hos tamen longè ſuperaverat Engelbertus, cùm non amplam modò dotem, ſed & ſeipſum Cœnobio obtulerit; abdicato quippe opulentæ ditionis dominio, ſe Deo per vota religioſa ibidem mancipavit. Primus hìc ad clavum ſedit Abbatis titulo inſignitus Wezilo à S. Guilielmo Hirſaugienſi cum numeroſo Monachorum manipulo ſubmiſſus, quos Urbanus II. Summus Pontifex approbata Engelberti fundatione ab Epiſcoporum jurisdictione exemit, ſoliique Romanæ Eccleſiæ ſubeſſe voluit. Quartus dein Abbas Pilgrinus anno 1193. mundo ereptus ab Apoſtolica Sede Infulæ uſum, & à Friderico I. Cæſare illuſtria obtinuit privilegia, quibus adjecit uberem divitiarum fontem apertâ in Eiſenſibus montibus plumbi, argentique fodinâ. Fœlices hoſce progreſſus interrupit aliquantum vorax flamma, quæ ſub annum 1390. Monaſterium, & Templum abſumpſit; ſed illud Conradus II. Abbas, hoc Udalricus IV. itidem Abbas reparavit; graviores tamen intulit clades, & tantùm non extremum loco exitium Cileiæ Comes anno circiter 1440. Lavantinam Vallem cum magna Carinthiæ parte ſecundò depopulatus. Hujus veſtigia relegêre non multò pòſt Turcæ; ſed meliori ſorte uſus Joannes II. Abbas anno 1455. regimini admotus eos è Cœnobii vallo fortiter repulit. Fatiſcentes interim longa ætate ædificii muros è fundamentis rurſus eduxit Hieronymus Marchſtallen anno 1616. in Abbatem electus, cujus ab anno ejus ſeculi 38. ſucceſſor Paulus Meminger impoſita clauſtro coronide binas inſuper Eccleſias priori D. Pauli adſtruxit. Coluntur iſtic ſacri cineres D. Achatii à Joañe III. Abbate ante añum 1488. Româ impetrati, & B. Theodorici, qui religioſis virtutibus, partim in hoc Aſceterio, partim apud S. Joannis Baptiſtæ Sacellum propinquo colli inſiſtens reſplendut, unde terræ valedicens ad ſidera evolavit; quem fœlicem tranſitum æs campanum editò, utì fertur, divinitùs ſonò, latè evulgavit. Procerum verò hìc quieſcentium nomina exhibent ſequentes verſus in ſubterraneæ cryptæ aditu exarati.

Hìc fundatores Comes inclytus Engelbertus,
Hadwigis conjux hìc Comitiſſa jacent.
Hìc Magdeburgenſis ſacer Archiepiſcopus Hardwig,
Atque Carinthiacum pars generoſa Ducum.
Hìc Sponhaimenſis Sigfridus, & alma Richarda
Lavantina Comes, & Comitiſſa cubant.
Hi tibi fundarunt Dux optime, maxime Templum,
Hanc & Sancte tibi Paule dedere domum.

FANUM S. VITI.

FAnum S. Viti vulgò S. Veit amœno gaudens ſolo 2. milliaribus Clagenfurtò removetur. Vetus hìc Sianticum Antonino in Itinerariis notum ſtetiſſe ſibi facilè perſuadet Lazius, Sianticum in S. Vitum miſerabiliter detorquens, quin imò ſi priſcum illud nomen à plebe vitiatum prætendit, in vernaculam vocem S. Veit inflectendum potiùs erat, quod utique illi difficiliùs accidiſſet. Sed veroſimiliorem Civitatis originem nobis ſuggerit Megiſerus (a) à Nicolao Claudiano primò editam quam in hanc ſinopſim contraxi. Anno 902. Eberhardus Carinthiæ Dux prælium cum Hunnis propediem conſerturus, fuſis ad Deum precibus cœleſte ſubſidium, cùm in terris deeſſet, imploravit, quod ut certiùs obtineret, voto ſe obſtrinxit, Templi in eo, quo tunc degebat, loco poſt victoriam extruendi, dein in hoſtes progreſſus, palmamque iis fugatis gloriosè conſecutus promiſſa exſolvit, ſacra Æde inter pinos, & alnos, quibus tunc terra illa ſylveſcebat, S. Viti cultui dedicata. Hinc S. Veit in Erla locus is à vulgo dici cœpit, & adſtructis ſenſim domibus Civitatis ſpeciem poſtea præſetulit, cujus ſitu delectatus Carinthiæ Dux Meinhardus, illam in Aulæ ſuæ Sedem electam anno 1292. totius Ducatus Metropolim declaravit. Ejus ſplendorem non parum imminuit incendium ſub annum 1336., vel à cadente è nubibus fulmine, vel à famulis odio in Dominos flagrantibus, & eo ultionis genere utentibus excitatum. In hanc Urbem primò movit anno 1307. Conradus Salisburgenſis Præſul, ſuſcepta ex Alberti Cæſaris juſſu in Carinthiam expeditione, & Henrico Duce in Bohemia interim ad coronam aſpirante, eam ſibi fœliciter ſubjecit. Majorem

(a) Chron. Car. l. 8. c. 44.

jorem adhuc eidem intulit labem anno 1359. Archidux Auſtriæ Rudolphus, quando in delicti pœnam, quod in Archiducis copiis è Solienſi campo repellendis Cives commiſerant, eam vi ſuperatam militum licentiæ obtulit devaſtandam. His itaque calamitatibus depreſſa S. Viti Civitas, & à Vulcano rurſus anno 1409. peſſimè accepta, Clagenfurtenſi tandem Urbi Provinciæ ceſſit Principatum. Notatu hìc dignus eſt ſuperioris fori fons, è quo proſilientem aquam excipit ingens crater ex unico albi marmoris fruſto conſtans, & inter Tiburniæ rudera repertus. Extra Urbem florebat olim, Megiſero teſte, Sanctimonialium ex Ordine S. Claræ Cœnobium à Friderico Auffenſteinio anno 1323. dotatum, ſed elangueſcente paulatim priſtino diſciplinæ vigore, in hoſpitalem pauperum ſenum domum converſum poſtea eſſe idem author ſubnectit.

FELDKIRCHIUM.

FEldkirchium Oppidum non procul ab Oſſiacenſi lacu diſtans ob celebrem inclaruit conflictum, qui inter Maultaſchiam, & Auffenſteinium pro Archiduce Ottone Carinthiam moderantem anno 1334. in ejus territorio exarſit: illi merebat Tyrolenſis, & Bohemicus miles, ſub hoc verò cum ſuis cohortibus militabant Comites Ortenburgii, Dietrichſteinii, Liechtenſteinii, Stubenbergii, Ungnadii, Colnizii, Liebenbergii, Glaneggii, aliique complures, quibus Seccovienſis, & Labacenſis Epiſcopi ſuas quoque copias adjunxerant; acriter utrinque dimicatum, donec cæſis duobus Carinthorum millibus, & Auffenſteinio cum reliquo exercitu ægrè Feldkirchium evadente, Maultaſchia victoriam obtinuit, quâ nimiùm ſuperbiens in Hafnerbergam Arcem, cæteraque loca deinde graſſabatur.

FRISACUM.

FRiſacum vulgò Freyſach, vel Frieſach famoſa, antiquaque Urbs, 6. milliaribus Clagenfurto diſſita ad Styriæ fines accedit. Unum illius latus rigat amnis Metniza, ex altero autem prærultus aſcendit mons in cujus rupibus multæ Arces, aut Arcium rudera ſpectantur; ſex verò abhinc ſeculis feraces aurifodinæ excolebantur. Virunum à Ptolomæo, & Plinio Noricis adſcriptum, quod Antonini Itinerarium 111. paſſuum millibus Aquileiâ removet, Peutingeri autem Tabula 72. à Cileienſi Urbe ſejungit, probabili aliquando conjectura iſtic cognoſcit Lazius; utcumque enim huic favent viarum ductus ab iis authoribus expreſſi, & familiare ejuſdem argumentum à nominis ſimilitudine emendicatum: ſiquidem non omninò abſurdè opinatur, conſvetâ apud veteres Carantanos vocum clauſulâ, quam hujuſmodi ſuadent nomina, ùt Goriach, Plettriach, Sebriach, Weiſsbriach, terminatum primò fuiſſe Virunum, unde factum Virunſach, quod tandem in Vriſach ſeu Friſach contractum videtur, cùm F, & V in hac Germaniæ parte facili negotio confundantur. Quæ ſaltem majorem præſeferunt veritatis ſpeciem, quam Paracelſi mens Friſiæ populos, nullo veterum præeunte, ad hanc condendam Urbem violentè trahentis. Friſacenſi ditioni imperitabant olim Zeltſchachenſes Comites uſque ad eorum ultimum Wilhelmum, cujus conſors S. Hemma, marito, & binis filiis Wilhelmo, & Hartvico ab aurifoſſoribus perfidè interemptis orbata, Civitate hac, ejuſque territorio Salisburgenſem Archiepiſcopum ſub annum 1080. donavit, utì refert Megiſerus, cui refragatur Lazius apud Merianum, eam donationem Henrico II. Imperatori attribuens; ſed conciliari facilè poſſunt, ſi dicatur Cæſar S. Hemmæ voluntatem confirmâſſe. Decennio pòſt, ſeu anno ejus ſeculi nonageſimo dirum crudelitatis portentum in hujus Urbis conſpectu perpetratum Brunneri Annales funeſtavit. Thiemonem in legitimum Salisburgenſis Eccleſiæ Præſulem electum, & ab Altmanno Paſſavienſi, Adalberone Herbipolitano, & Meginwardo Friſingenſi ritè initiatum bello perſequi cœperat Pſeudo-Epiſcopus Bertholdus, qui eandem Salisburgenſem Cathedram adhuc prædeceſſoris Gebhardi tempore temerariò invaſerat flagitiò; quare Thiemo conſcripto milite, quem Medlingenſes Comites, utpote ejus cognati, ſubſidiariis auxerant cohortibus, cum hoſte infœliciter congreſſus fugam per Taurum montem in Carinthiam capeſſivit, ubi à quodam Comite Udalrico Bertholdi fautore interceptus gravibus ab eo ærumnis premebatur; Friſacenſis tamen Civitas egregiè munita in ejus fide manſit, eâdemque conſtantiâ obſidionem, qua Thiemo carcerem tulit. Actus ea re in rabiem Udalricus Præſulem alligatum caſtrorum aggeri, quem obſeſſi miſſilibus verberabant, ſuorum ictibus objecit diſcerpendum, quod facilè eveniſſet, niſi Cives, agnito obſidentium ſcelere, ſuas catapultas in aliam protinus partem libraſſent. Memoratus hic Thiemo ipſe omnino eſt, quem Udalrici vinculis ſolutum in Admontenſis Cœnobii deſcriptione unà cum Giſilberto ſecundo illius Abbate in Palæſtinam profectum, & apud Corozaim Urbem anno 1110. Martyrii laureâ coronatum retuli, ita à Bucelino,

nuperoque Græcensis gloriæ authore edoctus, & horum sedulitati nimium confidens; nunc verò dum Conradi Abbatis Urspergensis anno 1215. florentis chronicum evolvo, cui utpote non nisi uno seculo à Thiemone distanti plus tribuendum videtur, alio loco, & tempore obtentum ab hoc athleta glorioſum agoniſma deprehendo; ad annum siquidem 1101. sacræ illius expeditionis iter â Welfone Bavaro ductæ per Natoliam describens Abbas hæc interserit: *Porrò exercitus universalis ab Imperatore acceptis, qui legiones apto itinere deducerent, contra Nicomediam vertitur, indéque Romaniam declinans ad aquilonarem plagam contra terram Chorizanam, quæ Turcorum est patria, convertitur.* Pergit deinde scriptor recensere ærumnas, & Barbarorum insultus, quibus in ea regione premebantur Christianorum copiæ, tandem Salisburgensem Archiepiscopum cum aliis captum subjungit. Ex Asia Frisacum regressi reperiemus interim Comité amissa obtinendæ Urbis spe indè exercitum abduxisse. Non ita faustè Miloti Ottocaro Bohemiæ Regi merentis, & Alberti Austriaci arma Frisacenses retudere, utpote ab illo anno 1275., ab hoc verò anno ejusdem seculi 89. excisâ patriâ subjugati. Nec aliter fortuna iisdem favit anno 1481., quo Maubitius sub Matthiæ Hungarorum Regis auspiciis infesta Carinthiæ inferens signa, in Frisacensi campo obviam habuit Vitum Welzium suis copiis Provinciam defensurũ; at non priùs manus cum hoste conseruit, quàm Carinthorum nonnullos, qui fervente pugna cæsum in acie Ducem magnis clamoribus mentiren tur, præmii sponsione corrupisset; qua voce territi fugatique Welziani milites victoriam, & Civitatem Hungaris permiserunt. Hi post mortem Kralobizii Præfecti, qui eos semper intra muros, ne ad prædas excurrerent, severè cohibuerat, spoliis ac rapinis ita accolarum animos irritarunt, ut anno 1496. non tantùm Frisacô, sed etiam ex reliquis, quæ in ea Provinciæ tenebant, Oppidis facessere debuerint, à Carinthis, & Salisburgensibus extrusi. Præter primarium Civitatis Templum, quod Præpositus cum suis Canonicis administrat, aliaque vel intra, vel extra muros dispersa, memorandum illud est, cui eximium Ordinis Prædicatorum Monasterium adnexuit S. Hyacinthus jam anno 1222., tribus scilicet lustris postquam S. Dominicus sacræ suæ familiæ jecerat fundamenta: hoc postea inter alios doctrina, & virtute præstantes viros, Angelicæ suæ sapientiæ splendore, quam ibi suis aliquando discipulis communicabat, D. Thomas Aquinas dicitur illustrasse.

GENTIFORUM.

GEntiforum vulgò Völckenmarckt Ducalis Urbecula est ad Dravum fluvium, ubi antiquam Viruni Urbem, quam nos cum Lazio conjectantes Frisaci posuimus, extitisse putat Cluverius (a) his verbis suam mentem exponens: *Varunum tabulæ rectiùs scribi Virunum ex consensu Plinii, Antonini, Ptolomæi judico. Id interpretor nunc Oppidum Völkmark ad Dravum amnem, nam Jvenna tabulæ* (intellige Peutingerianæ) *ex nomine, & itineris tractu sine controversia est Jaunstein, & ejusdem Tabulæ Saloca primus à Viruno locus in itinere versùs Aquileiam, procul dubio nunc est Selch Vicus Superioris Carniolæ.* Cúmque hæc omnia conjecturis, non solidis rationibus nitantur, nullius sensum penitus rejicio, nec ulli mordicus adhæreo. Nobilitat hunc locum Collegiata, ùt vocant, Ecclesia à Præposito nimirum, & Canonicis possessa, cui condendæ aream largitus est Hartvicus S. Pauli in Lavantina Valle Abbas anno 1248. è vivis sublatus. Uno verò hinc milliari Udalricus Carinthiæ Dux, vel ùt alii sentiunt, Achatius Bogensis Comes ano 1164. Eberndorffense Cœnobium, quod primò candidus Præmonstratensium Ordo, dein Regulares S. Augustini Canonici subierunt; demum Collegio Clagenfurtensi ab hujus fundatore in dotem assignatum illi etiamnum subest, & veterem ejus magnificentiam prodit vasta ædium moles, atque angustum Templum alteri subterraneo incumbens.

(a) Vind. & Nor. c. 5.

GRIFFUM.

GRiffum vulgò Griffen Oppidum non procul Gentiforo, sed Clagenfurtô 5. milliaribus in Orientem remotum exornat nobilissimum Præmonstratensis Ordinis Monasterium, quod anno 1233. sub Deiparæ patrocinio Echenbertus Bambergensis Episcopus extruxit, cujus Episcopatus dominium plura in Carinthia Oppida & Urbes agnoscunt. Id postea à Gregorio IX. Summo Pontifice confirmatum Udalricus, & Fridericus Comites Hainburgenses amplis proventibus ditarunt. Primus eidem præfuit Conradus ex Vefcernensi in Franconia Cœnobio cum aliquot Religiosis accitus; hunc viginti quinque subsecuti sunt usque ad Joannem IV. anno 1490. electum, cui primò gerendæ Infulæ obtigit prærogativa.

GURCUM.

GUrcum vulgò Gurck venustum Oppidum 6. milliaribus Clagenfurtô dissitum

situm Gurca amnis præterfluit. Condecoravit illud primò S. Hemma Wilhelmi Frisacensis, & Zeltschachensis Comitis vidua nobili ibidem in Deiparæ honorem erectâ Basilicâ hodieque superstite, cui paris magnificentiæ Monasterium pro sacris D. Benedicti Virginibus adjunxit, & cum iisdem à Balduino Salisburgensi Antistite anno 1060. vitâ functo sacrum velum Reichardo teste suscepit; sed iis aliò translatis substituti sunt Regulares S. Augustini Canonici ex Congregatione Lateranensi prout fert vulgaris quorundam opinio, quamvis Reichardus velit, S. Fundatricem bina circa idem Templum domicilia excitasse, atque in unum septuaginta Sanctimoniales, in alterum verò viginti hujusmodi Lateranenses Religiosos induxisse. Hæc inquilinorum mutatio, vel adjectio accidisse dicitur anno 1072. S. Hemmâ adhuc inter vivos degente. Verùm vix fidem his omnibus adhiberet eruditissimus Papebrochius, (a) qui certioribus instructus monumentis in Vita S. Ubaldi Canonicos eo seculo nondum in proprium alicujus Ordinis cœtum coaluisse contendit, ubi postquam plura de iisdem disseruit, hæc tandem adducit: *Quidam etiam Regulam à S. Augustino pro Sanctimonialibus scriptam, & viris qualitercunque aptatam cœperunt profiteri: quæ regula authoris potiùs nomine, quàm sufficientiâ suâ commendata, denique facta est communis omnibus canonicam vitam regulariter ducentibus, ex eo maximè tempore, quo disciplina Ecclesiarum Canonicalium denuo collabascens, institutione Congregationum Regularium cœpit ad perpetuitatem certiùs stabiliri. Et harum quidem Congregationum præcipua inter plures nunc est ea, quæ primùm Frisionaria, vel Frigdionaria dicta à colle hujus nominis tribus ab Urbe Lucensi milliaribus, ubi originem sumpsit circa annum M. CCCC., & Lateranum introducta obtinuit titulum Lateranensis anno M. CCCC. XLVI.* Canonicos saltem seculares juxta illius ævi morem in communi viventes, admodùm verosimile est, ibi tunc fuisse collocatos, & usurpatam à Lateranensibus S. Augustini regulam deinde amplexos (quod & de reliquis Canonicorum Regularium Collegiis, quorum primordia allegatum ab eo authore tempus prævertunt, statuere oportet) siquidem eo anno alterum Gurco decus, Episcopatum videlicet addidit Salisburgensis Archiepiscopus Gebhardus, ac primum illius Ecclesiæ Præsulem inauguravit Guntherum, Albuino Brixinensi, & Ellenhardo Frisingensi solemnitatem complentibus. Ferunt S. Hemmam de condendi Templi situ deliberantem junctos plaustro boves, quod B. Dei Genitricis statuâ oneraverat, in agrum emisisse, eosque immota sua in hoc loco statione ancipitem Sanctæ animum ad eum eligendum inclinasse. Illud certius, sacrum fundatricis corpus ibidem conditum magna coli veneratione, quam fundatâ ad illius aram missâ oppidò promovit Georgius de Teuffendorff anno 1348. ad Collegii Præposituram evectus. Aliam præterea missam in crypta, seu subterranea potiùs Ecclesia 365. columellis, uti fama fert, suffulta solemniter quotidie cantandam instituit Gottfridus Kraffto de Metniz anno 1307. eadem dignitate donatus.

(a) Act. SS. ad diem 16. Maji.

HOSPITALE.

HOspitale vulgò Spital Urbecula est à Comite Engelberto Ortenburgico ædificata, quam Dravus, ubi Lyseram amnem excipit, 8. nempe supra Clagenfurtum milliaribus præterfluit. In hac Templi decori, & spirituali popularium emolumento consulere volens Hermannus ex eadem Ortenburgicorum stirpe, quæ tunc ibi rerum potiebatur, annuos proventus pro certo Sacerdotum numero fundavit post annum 1183., quo uti retulimus, Gurcensem Episcopatum adipisci non potuit, ad quem Cleri, populique favor illum evehebat. Ab Ortenburgicis ad alios subinde Proceres ditio hæc devoluta à longo jam tempore quievit in nobilissima Portiarum prosapia, cujus sumptuosum ibidem Palatium incolæ, exteriùque suspiciunt.

LANGSEENSE COENOBIUM.

LAngseense S. Georgii Cœnobium in Leditiori, elegantiùque assurgit colle, cui subjectus lacus non paucam adstruit amœnitatem. Sacris D. Benedicti Virginibus circa annum millesimum erigere id exorsi sunt B. Otwinus, ejusque conjux Wichburgis Goritiæ Comites, sed à Barbaris labefactatum munificam Udalrici, & postmodum Bernardi Carinthiæ Ducum pietatem ab anno 1184. in se convertit; hi enim amplioribus redditibus ortam ex ruinis inopiam sublevarunt. Celeberrimo huic Parthenoni ante alias ordine præfuere tres fundatoris filiæ, Hildegardis, Hilburgis, & Berthigundis, quibus cæteræ successerunt sanguinis nobilitate, ac prosapiæ splendore plerumque fulgentes. Inter sacram hujus loci supellectilem B. Otwini baculus, cui septendecim inciſæ notæ totidem transactæ in eremo vitæ annos indicant, aliæque ejusdem memoriæ religiosè asservantur.

MILLESTADIUM.

Mille ſtadium vulgò Milſtadt egregium eſt Oppidum 8. milliaribus Clagenfurtò in occaſum abſcedens, amploq; adhærens lacui, inter Dravum, & Lyſeram fluvios extenſo, quem Rosbacus amnis pertranſit: ejus nominis etymon anonymus author Vitæ B. Domitiani apud Bollandum (a) excuſæ, quem Lazius, Megiſerus, aliique ſecuti videntur, his verbis deſcribit: *Milſtadt à mille ſtatuis nomen accepit, quas ibidem populus errore deluſus antiquò coluit, quas ille felix* (Domitianus) *exemplo Bonifacii Papæ deſtruxit, & eliminata omni ſpurcitia dæmonum Eccleſiam, quæ primitus mille dæmonibus fuit addicta, in honorem omnium Sanctorum poſtmodum conſecrari fecit.* Verùm hæc non nisì arbitrariâ nituntur conjecturâ, quæ ne tenui quidem veteris hiſtoriæ lumine dilucidari poteſt; locus enim, quem Antoninus inter Bregitionem, & Arrabonam, atque alibi inter Aliſcam, & Luſſunium Ad ſtatuas vocat, longè hinc aberat, utpote Inferiori Pannoniæ omninò attribuendus. Neque alio inſtructus monumento texendæ Beati Vitæ ſe accinxit anonymus, quàm epitaphio repertæ tumbæ inciſo, quod ita ſonat: *IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. HIC REQUIESCIT B. DOMITIANUS DUX, PRIMUS FUNDATOR HUJUS ECCLESIÆ, QUI CONVERTIT ISTUM POPULUM AD CHRISTIANITATEM AB INFIDELITATE.* Quibus verbis Megiſerus (b) poſt Domitiani nomen hæc alia inſerit: *Dux Noricorum & Carentanorum cum uxore Maria Meranienſi.* Fundatæ à D. Domitiano Eccleſiæ illuſtre Ordinis S. Benedicti Cœnobium adjecit Erbo, ſive Arbo Hartwici Palatini in Bavaria Comitis filius, non verò ipſemet Beatus Dux, utì perperam ſentit Megiſerus contra Lazium, & anonymum, qui paulò ante finem, ſacrum ejuſdem Monaſterii inſtitutum ſe profeſſum eſſe, non obſcurè manifeſtat. Piam hanc fundationem ante annum 1102. contigiſſe neceſſe eſt, cùm Abbas Urſpergenſis memorato anno conditoris obitum ita inſcribat: *Erbo jam grandævus nobilis de Carinthia Princeps, & quondam Palatinus in Baioaria Comes migravit in Domino.* Unde meritò corrigitur à Bollando Lazius, qui prædictum Erbonem à Lothario II. Cæſare Carinthiæ Ducem anno 1125. creatum prætendit. Aliud quoque ſphalma commiſiſſe Lazius videtur, dum ita ſcribit: *Albertus ſecundus electus in Epiſcopum Tridentinum ex Parochia, & prima fundatione facta à S. Domitiano Duce, Milleſtadienſem Abbatiam exorſus eſt, ac locupletavit.* Siquidem hæc luculentè repugnant cum prima Cœnobii fundatione Principi Erboni ab ipſomet Lazio adſcripta; quare aſſerendum potius eſſet, Albertum eandem reparaſſe, aut novis proventibus auxiſſe. Neque hunc nodum ſolvit, dum alibi ait: *Erbonem in Eccleſia S. Domitiani apud Milleſtadium monachos primum inſtituiſſe: quibus Abbatem poſtea conceſſerit Albertus Tridentinus Epiſcopus.* Cùm enim Albertus ſecundus Ortenburgenſis à Pyrrho Pincio, qui Tridentinorum Præſulum Vitas elucubravit, apud Bollandum dicatur anno 1363. eam Eccleſiam gubernaſſe, arduum creditu eſt Milleſtadienſes D. Benedicti Religioſos 260. annis Abbate caruiſſe; quin imò Vitæ author ipſa Erbonis fundatoris ætate, vel ſaltem non multò pòſt Martinum quendam Abbatem diſertè commemorat. Incoluit deſcriptum hactenus Cœnobium ſacra Benedictinorum Familia uſque ad annum 1468., quo iis per alia ejuſdem Ordinis domicilia diſperſis, & aſſignatâ iiſdem ex Milleſtadienſibus bonis ad vitam ſuſtentatione, Fridericus IV. Imperator in ſedem Generalis Magiſtri Ordinis S. Georgii, ad reprimendas quotidianas Turcarum incurſiones tunc à ſe erecti, eum locum convertit, aſſentiente Paulo II. Summo Pontifice, & per datam eo anno Bullam Ordinem approbante, à pluribus ejus ſucceſſoribus deinceps confirmatum. Inſignis hujus Ordinis ſymmetriam eruditionis gratiâ non pigeat lectorem addiſcere ex Pauli II. diplomate, cujus ſequentem paragraphum ſuo inſeruit Leo X., & Daniel Papebrochius, (c) typis evulgavit: voluiſſe nempe Fridericum *quandam domum militarem in Monaſterio Milſtadt Salzburgenſis Diœceſis, loco ad hoc accommodo cum Eccleſia, clauſtro, dormitorio, aulis, cameris, & aliis neceſſariis officinis, de ſuis propriis facultatibus fundare, ac ædificare pro uſu, & habitatione perpetuis quorundam Fratrum ipſius militaris Ordinis, laicorum Militum, ac etiam Sacerdotum, ſive Clericorum, quorum unus per præfatum Fridericum Imperatorem hac prima vice ad hoc eligendus, & deputandus, Magiſter Generalis exiſtat, & deinde eò ſublatò de medio per Milites (de conſenſu tamen ipſius Fridericì, aut antiquioris ejuſdem Domûs Auſtriæ Ducis) ſucceſſor eligatur. Preſbyteri verò prædictæ Domûs, quorum unus per alios eligendus ſit Præpoſitus, prædicto Magiſtro Generali ſubeſſe cenſeantur. Ac prima Camera Magiſtro, ſecunda Præpoſito, tertia antiquiori Militi, quarta ſeniori Sacerdoti, & ſic deinceps aſſignari debeant, ita ut inter duos Milites unus Sacerdos, & inter duos Sacerdotes unus Miles ſit. In choro verò Magiſter primum habeat locum, ac demum in illo Sacerdotes Milites omnino præcedant. Et tam Magiſter*

(a) Act. SS. ad diem 5. Febr.

(b) Chron. Car. l. 6. c. 13.

(c) Act. SS. ad diem 23. Aprilis.

giſter & Milites, quàm Præpoſitus ac Sacerdotes caſtitatis, & obedientiæ vota ſponte emittant. Ad paupertatis verò votum emittendum nullatenus adſtringantur inviti. Hucuſque diploma. Cæterùm non Milleſtadienſi tantùm dominio potiebatur Equeſtris hic Ordo, ſed & ſplendidis Carinthiæ Caſtris Sternbergâ, & Landscronâ, aliiſque extra eam Provinciam fundis, quibus illum Cæſarea fundatoris munificentia dotaverat. Succeſſu temporis Joannes Sibenhirter Generalis Magiſter, accedente Alexandri VI. Summi Pontificis, & Maximiliani I. Imperatoris authoritate, liberam utriuſque hominum ſexûs Sodalitatem inſtituit nullis aliis obſtrictam legibus, quàm ut illius Albo inſcripti, vel unius anni periodo propriis ſumptibus adversùs Turcas militarent, vel eleemoſynas in bellum Turcicum impendendas elargirentur. Equitum ac Sacerdotum Ordinem ipſum conflantiũ inſigne fuerat crux rubea, quam quovis ſabbatho, & feſtis Deiparę diebus ſupra veſtem albam geſtabant, ſodalium verò crux aurea cum corona in circulo etiam aureo, quam ſolenni ritu dextero novi militis brachio appendebat Gurcenſis Epiſcopus, qui utì & Milleſtadienſis Magiſter tanquam Generales Vicarii præerant Sodalitati. Intepuit tamen brevi, nec ultra ſeculum excurrit pius hic militantium fervor, eoque Ordine vel ſenſim evaneſcente, vel inter bella extincto, Milleſtadienſem ditionem ſibi adſcivere Auſtriæ Archiduces, ex quibus Ferdinandus dein Imperator, altero poſtquam Styriæ, Carinthiæque regimen ſuſceperat, anno, id eſt 1598., annuente Summo Pontifice, Societati Jesu eandem contulit, ut indè Collegium, Academiaque Græcenſis, cujus in Styria meminimus, aleretur, ejuſdem etiam Societatis Reſidentiâ ibidem inſtitutâ. Nunc ad B. Domitianum, ejuſque ſacrum cultum revertamur, qui ſuperioribus præſertim ſeculis ita circumſitis populis cordi fuit, ut non ſolùm è Carinthia, Carniolia, & Styria, ſed ab extremis etiam Iſtriæ finibus, Pannoniaque ad illius tumuli venerationem advolarent; nec inani operæ pretio, ſæpe enim obtentis per miracula gratiis læti patriam repetebant. Pretioſum hujus Beati pignus, utì refert præcitatus anonymus, ex priori ſepulchro elevatum, in alio digniori condiderat Abbas Martinus Dautus, ne cum aliorum cadaveribus, quos ſibi ſanguine junctos ibi humari juſſerat Erbo, aliquando confunderetur; quod paulò poſt annum 1102. eveniſſe ſat perſpicuè ex his circumſtantiis arguitur. Illius porrò inventionem, cujus ætatem divinare haud præſumo, ita proſequitur Vitæ author: *Abbas quidam erat nomine Otto habens in congregatione ſua centum, & quinquaginta homines ſpirituales. Hujus diebus dum fundamenta Monaſterii majoris jacerent, poſt combuſtionem prioris, tunc ex improviſo reliquiæ B. Domitiani, & Mariæ uxoris ejus, & oſſa cujuſdam infantuli ſimul inventa ſunt, & ſigillum juxta habens imaginem Ducis in throno ſedentis, gladium in manu tenentis: ad hæc ſuperſcriptio: BEATUS DOMITIANUS DUX FUNDATOR HUJUS ECCLESIÆ. Ex altera autem parte HÆ SUNT RELIQUIÆ MARIÆ UXORIS EJUS.* Haſce reliquias honoratiori loco donavit Otto, eaſque tertiò ad alium tranſtulit anno 1441. Joannes Gurcenſis Epiſcopus, cujus translationis cùm nulla apud anonymum mentio occurrat, claro id argumento eſt, hunc ad prædictum tempus non perveniſſe. Demum anno 1492. quintum illæ nactæ ſunt tumulum ante altare ſcilicet decenter collocatæ, in quo nonis Februarii miſſa de B. Domitiano quondam celebrabatur, nunc autem de eo ſolùm habetur illa die panegyricus, qua etiam abſolutis divinis diſtribuuntur in præſentes rotundi ex ſecali panes, ſtata priùs precatione, invocatoque B. Domitiani patrociniô benedicti. Diebus autem Nativitatis, Circumciſionis, & Epiphaniæ certa cerviſiæ menſura gratis in ſingulos ſubditos, teſte Bollando, erogatur. Præter Virorum Monaſterium aliud quoque Sanctimonialium Milleſtadii floruiſſe indicant miracula, quæ anonymus Beati Vitæ ſubjecit, cùm bis earum memoria ibidem renovetur.

MOSBURGUM.

MOsburgum vulgò Mosburg valida Arx ab Auſtro Dravum fluvium, & ab Arcto Verdenſem lacum reſpiciens, octavum jam ſeculum ſua ætate transgreditur, ſi fidem Megiſero habemus. Narrat quippe ad annum 840. Brynnonem Principem ex Moravia oriundum cum Hezilone filio Hezelburgenſem Urbem, quæ eundem hunc ſitum occupabat, reparaſſe; dein ad annum 854. Arcem, cui Mosburgum nomen, à Carolomanno Ludovici Germaniæ Regis filio, quem Reichardus inter Carinthiæ Duces D. Domitiano ſtatim ſubrogat, unà cum Templo erectam eſſe, probéque munitam aſſeverat; ſed certiùs Moſburgenſis Arx hodie gloriatur nobiliſſima Comitum de Kronegg proſapia, à qua dicitur poſſideri.

OSSIACUM.

OSſiacenſe Ordinis S. Benedicti Cœnobium tum vetuſtate ſua, tum præſenti

etiam ſplendore celeberrimum ſubjecto lacui nomen indit, inter Werdenſem ad Ortum, & Milleſtadienſem ad Occaſum per magnum ſpatium effuſo. Conjugum fundatorum nomen exponunt epitaphia ſepulchrali lapidi in Eccleſiæ meditullio inciſa: quod ad maritum pertinet, his verſibus conſtat:

Qui jacet hoc tumulo Comes, hanc fundaverat Ædem
Ozzius: ergo polum ô ocyùs Ozzi cape!

Uxoris autem elogium hoc alterum perſtringit diſtichon.

Condidi Irenburgis clauſtrum hoc Comes, oſſa recondit
Nunc crypta hæc, condant ô animam aſtra meam!

Fundationis ævum denſis involvitur tenebris, è quibus ſaltem ſplendidum hoc oritur encomium, nonniſi antiquiſſimos eſſe hujus Monaſterii natales, quos longa ſeculorum ſeries adeò procul ab hominum memoria removit, ut penitus ignorentur. Certè non ſolùm annis, ſed integris ſeculis à quibuſdam aberratur, tantùm enim ſcriptorum ſententiæ ab invicem ſeparantur. Maximè à nobis diſſita origo, & S. Patriarchæ Benedicti ætatem pene attingens proditur à nonnullis verſibus, qui in MSS. Oſſiacenſium documentis teſte Schönleben ita leguntur.

A Chriſto effluxit bis ter centeſimus annus,
Ozzius Irnburgis, quo fuit atque Popo.
Is pater, hæc genitrix, amborum filius iſte,
Illi Pagani heu! iſte fidelis, eheu!
Converſi tandem ſtruxere palatia Chriſto,
Et Benedicte tuis, ſtante Popone Pio.

Paulò minùs remota tempora indicat annus 687. ſubſcriptus literis à Reichardo, & Schönleben editis, quas ab Ozzio parente, & Popone filio Slavico idiomate viciſſim datas ferunt, aut comminiſcuntur; ſiquidem Poppo, ùt ad eum annum narrat Reichardus, ex Tiffenſi ditione, cui inter Villacum, & Feldkirchium protenſæ dominabatur parens, Romam peregrè profectus Chriſtiana imbibit dogmata, & ſacro aſperſus latice ad Eccleſiaſticam vitæ normam animum applicuerat: quô intellectô Ozzius à filio expetiit, ut ſibi quamprimùm aperiret, cur ab avita religione deſciviſſet, & quodnam foret illud Numen, quod adorandum ſuſceperat. Paruit illico Poppo, à quo Catholicæ fidei myſteria edocti parentes, Chriſto manus, & Oſſiacenſi poſtea Cœnobio initium dedere. Hæc quidem ſecum optimè cohærent, at non modicam patiuntur difficultatem, ſi cum aſſignato tum in carminibus, tum in literis tempore componantur; quî enim fieri potuit, ut ſeptimo ſeculo adeò eminens Romanæ Eccleſiæ propugnaculum in iis terris excitaretur, quas ſub annum 600. inundaverant Slavi, Carantani poſtea vocati, & Idolorum cultui per bina circiter ſecula ita addicti, ut in Bavariam anno 697. excurrentes S. Marinum Epiſcopum in Orthodoxæ fidei odium flammis confecerint, utì Velſerus (a) annotavit. Conſultiùs itaque videtur ad Inguonîs, aut Domitiani Carinthiæ Ducum regimen, hujus Monaſterii exordium differre, ſub quibus, ùt ſuperiùs diximus, revirere ſenſim cœpit Evangelii ſemen à Salisburgenſibus excultum: quæ conjectura, ſi ſecundùm Bollandi chronologiam in univerſali Provinciæ deſcriptione allegatam expendatur, penitus coincidit cum Megiſeri opinione ſub Caroli Magni regno, aut Imperio Ozzii converſionem ſtatuente, quam ex fundationis literis in Cœnobio aſſervatis ſe hauſiſſe teſtatur. Primus Abbas Oſſiacenſibus præfuiſſe Berinolphus dicitur à Reichardo, qui ab anno 687. eorum hiſtoriam orditur, dein excidiſſe aſſerit reliquorum nomina uſque ad annum 779., quo à Slavorum populationibus, & incendiis exciſum Oſſiacum per integrum ſeculum putat in ſuis cineribus jacuiſſe; ſed quis credet Slavos propriam regionem tunc primò vaſtaſſe, quam jam à longo tempore poſſidebant? hoc tamen ille minimè curans, ut ſeculum ad unguem impleat, anno 879. Oſſiacenſibus Monaſterium reſtituit ſacris S. Fœlicitatis, ſeptem ejus filiorum, & S. Maximiliani Confeſſoris lipſanis à memorato Carolomanno ea occaſione donatum. Cæterùm primus, cujus certa ætas innotuerit, Abbatis muneri admotus eſt Teucho, inter quem & nobilem matronam nomine Bertam aliquas circa quoddam prædium controverſias interveniſſe ſcribit Megiſerus ab Aquileienſi Patriarcha anno 1090. deciſas. A Teuchone autem quinquaginta circiter numerantur, qui hujus Cœnobii gubernaculum rexerunt: ex his peculiari laude dignos cenſeo S. Bernerum anno 1307., & Chriſtophorum Capponig anno 1656. ad eum honoris gradum promotos. Tres ille ex materia lucidiſſima globos diverſis ægritudinum generibus divina virtute etiamnum medentes, quos ſacris operanti Deipara obtulerat, pretioſam veluti hæreditatem ſuis in Chriſto filiis tranſmiſit, ſed tertius alio ſæpe avectus, & toties cœlitus relatus tandem non ſine adſtantium admiratione ex ara diſparuit. Comparato alter Wertenbergenſi dominio, quod unico milliari à Monaſterio divellitur, pleroſque Religioſos eò tranſtulit, ut ſuorum valetudini conſuleret, quos aliàs inſalubre Oſſiaci cœlum præmatura morte ad tumbam detru-

(a) Rer. Boj. l. 4.

trudebat. Illud adhuc memorabile iſtic circumfertur, videlicet Boleslaum II. Poloniæ Regem Oſſiaci quieſcere, quò ille appulerat, dum impiam S. Stanislai Cracovienſis Epiſcopi cædem expiaturus Romam peteret; cúmque occulta quadam vi ultra progredi vetaretur, ſe alium ſimulans ad vilia culinæ munia regias manus demiſerat, donec morti proximus ſuum priſtinum ſtatum Abbati detexiſſet. Aliquatenus tamen adverſatur huic Reichardi relationi communis Hiſtoricorum ſenſus, qui Longinum Polonorum geſta ſcribentem ſecuti, Boleslaum à Regno profugum, in inſaniam primò verſum, mox à canibus anno 1080. devoratum tradidere.

OSTERWICIUM.

OSterwicium vulgò Oſterwiz magnifica Arx tribus milliaribus Clagenfurtò in Boream remota, Schenckiorum Comitum quondam Sedes, ab Excellentiſſimo Domino Comite Kevenhüller Supremo Provinciæ Moderatore hodie obtinetur. Tegit illa prælatum collem, qui patentem circumquaque planitiem deſpectat: inſigni quoque armamentario, aliiſque vetuſtate ſua pretioſis cimeliis celebratur, ſed maximè commendanda, quod victoriarum curſum, quibus per reliquam Carinthiam ſuperbiebat Maultaſchia, ſua fortitudine abruperit. Obſedit illa anno 1334. Oſterwicium, in quod præcipua Carinthiæ Nobilitas ex aliis minùs tutis Arcibus fugata confluxerat, atque explicato circa rupem exercitu à Reinhero Schenkio loci Domino ſibi Caſtrum quantocyus dedi juſſit potiùs, quàm poſtulavit; ſi ſecùs faceret, extrema quæque minabatur. Verùm minis & imperiis per contemptum exploſis, cùm nulla aſſultibus via pateret, productò in plures menſes obſidiò ſtatuit longâ inediâ obſeſſos ſubjugare; & ſanè eò calamitatis Oſterwicenſes interim devenerant, ut mures & feles in deliciis haberentur, nec magis potu, quàm cibo abundarent, cùm vel aqua eos jam defeciſſet. His tamen malis minimè fractus propugnator Schenkius bovinam pellem duobus tritici modiis, quibus tota definiebatur annona, farciri jubet, ac per muros in obſidentium caſtra devolvi, quo viſo Maultaſchia multum rei frumentariæ adhuc iis ſupereſſe arbitrata, quibus volupe erat eam ita prodigere, abjecta victoriæ ſpe ingloria deceſſit.

STEINA.

STeina Arx eſt ad Dravi fluminis trajectum in editiori loco ſita, & nobiliſſimæ Roſenbergicorum Comitum Familiæ ſubjecta, quam maximè illuſtrat D. Laurentii Templum à S. Agatha Hildegarde Pauli Hildegardi Palatini in Carinthia Comitis conjuge ibidem ſepulta erectum, poſtquam marito adulterii falsò accuſata, & ab eodem ex Proſniza Arce per prærupta ſaxa præceps data, divinitus tamen illæſa huc receſſiſſet, Paulo interim in delicti ſui expiationem ad Apoſtolorum limina, & ſacra Palæſtinæ loca peregrinante: hæc ſiquidem eſt tragicæ hujus hiſtoriæ ſubſtantia, in quam relationes omnes conſpirant; cætera verò, quæ illi fama, aut traditio adjunxit, aliter à Reichardo, aliter ab aliis, utì apud Bollandum (a) videre eſt, enarrantur: nec mirum, cùm ea ex nullis eruantur antiquis monumentis, utpote unà cum Templo ab igne obliteratis; ſed tantùm per ora vulgi volitent cuncta fabulis de more involventis. Aliam quoque Eccleſiam S. Margarethæ V. & M. ſacram ad radicem collis extruxit, ac perpetuas fundavit eleemoſynas, quæ pane, vino, & larido plerumque conſtant. Hæc etiamnum S. Agathæ Hildegardis feſto benedicta in egenos, alioſque poſcentes diſtribuuntur, atque, utì certa docuit experientia, religiosè ſumpta plures expellunt morbos, præſertim phreneſim, epilepſiam, dolores viſcerum, phantaſmata, ſagarumque præſtigias. Ferunt inſuper prædictas eleemoſynas à Conrado II. Cæſare, qui ab anno 1024. uſque ad annum 1029. imperavit, & à Summo Pontifice Benedicto fortaſſis IX., qui ab anno 1033. Eccleſiam, rexit, per utriuſque diplomata fuiſſe approbatas. Tot itaque meritis decora hujus Sanctæ anima è terris abiens cœleſti ſe ſtitit ſponſo anno, utì Bollandus notat, 1024., vel decennio priùs, utì Reichardo viſum eſt. In eodem S. Laurentii Templo, dum S. Cantiani Parochus ad aram Deiparæ dicatam ſacris operaretur, placuit Divinæ Clementiæ Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti veritatem circumſtantium oculis ſubjicere; non enim Chriſti corpus, & ſanguis ſub panis, vinique ſpeciebus latuit, ſed propriam coram omnibus formam præſeferebat; ſive ille de tranſubſtantiatione ambiguus hæſit, ſive alia de cauſa perpetuum illius myſterii miraculum, hôc inſolitô miraculô Deo libuit confirmare. Annum diemque, quo hæc contigere, exhibent hiulca quædam carmina in membraneo illius Eccleſiæ rituali exarata, & totam rei ſeriem complectentia, quorum hoc eſt initium:

(a) Act. SS. ad diem 5. Febr.

M, duo C, tribus X, ſed & annis additis VIII.

Qui manet, eſt & idem, natus de Virgine pridem
Dat nova carne - - - ſuperno ſancta cruore,
Cœlica lumine, mentis acumine, unda colore
Ad *LAPIDEM* gentes Agathæ feſto venientes
Omnes præſentes ibi talia ſigna videntes, &c.

STRASBURGUM.

STrasburgum antiqua, amœnaque Urbs à Gurca amne paulùm infrà Gurcenſe Oppidum alluitur, eique nominis claritatem parit Gurcenſium Epiſcoporum Sedes, pro quibus in adjacente colle, diruto priori Caſtro, quod jam ignis præſtare cœperat, amplum ſuffecit Palatium Joannes Jacobus Comes à Lamberg ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes. Acri illud obſidione cinxerat anno 1183. Conradus Salisburgenſis Archiepiſcopus, ut Dietricum Colnizium in Romani defuncti ſucceſſorem à ſe electum Gurcenſi Cathedræ imponeret, cui Hermannus Ortemburgicus Cleri & plebis ſuffragiis ad eandem dignitatem evectus, totis viribus obſiſtebat; ſed ſecuta brevi pax, Hermanno nimirum cedente, inſtantem avertit procellam, atque optatam Strasburgenſibus reddidit ſerenitatem. Et ne hæc novo violaretur turbine Ferdinandus I. Imperator, & Salisburgenſis Præſul pactum iniere, vi cujus ille, ejuſque hæredes duos Epiſcopos, hic verò tertium, ſervata deinceps hac alternandi methodo præſentarent.

VICTORIA.

VIctoria, ſeu Victoriacum vulgò Vitring percelebris Ciſtercienſium Monaſterii nomen eſt, quod anno 1117. ùt à Megiſero, non verò anno ejuſdem ſeculi 42., ùt à Reichardo traditur, Meinhardus ſive Bernardus Malenſteinius in Carinthia Comes cum uxore ſua Kunigunde Invictiſſimæ Cœlorum Reginæ conſecravit in victorię, ùt dicitur, anathema, quam in ſingulari certamine adverſus Rimaldum quendam è Gallię Proceribus Pariſiis obtinuit; hunc enim ipſemet provocaverat, ut ſe ab attentati Regicidii ſcelere, cujus ille ab invido æmulo falsò inſimulabatur, deteſtando illius ævi more purgaret. Hinc Megiſeri potiùs, quàm Reichardi chronologiæ ſubſcripſi, cùm id factum ab utroque feratur ſub Rege Ludovico VI. cognomine Craſſo, quem in comperto eſt, ab anno 1106., quo Galliæ ſolium adiit, non nisì 30. annis illud occupaſſe. Prope Clagenfurtenſem Provinciæ Metropolim hujus Cœnobii moles proſperè aſſurrexit, cui fundator ad ædificium lapides ex diruta Natterbergenſi Arce, & ad ſuſtentationem redditus ex ejuſdem fundis obtulit; inquilinos verò, primumque Abbatem Eberhardũ fundatoris nepos Henricus Metenſis Epiſcopus, & Villarienſis Abbas ſuppeditavit.

VILLACUM.

VIllacum vulgò Villach pervetuſta Urbs eſt, 4. milliaribus Clagenfurtò abſens, & ad Dravum fluvium ſita, cui injectus pons illam Suburbio jungit. Tot abolitis veterum Civitatum nominibus hanc illuſtrare contendunt ſcriptores, ut ejus potiùs originem ea vocum confuſione obfuſcent: namque Julium Carnicum hìc agnoſcit Bertius apud Schönleben, Plinii Teurniam Cluverius, & Forum Vibii Pius II. Papa apud Albertum. Ab his omnibus diſcrepat Lazius apud Merianum, & à Monte Vela, qui ab Antonino Beloa dicitur, vocabulum hoc Villach derivat, addita ſcilicet familiari Carantanis, utì de Friſaco diximus, terminatione. Sed irriti ſunt conatus, & vana aſſequendæ veritatis ſpes, quando nullum veteris authoris indicium facem præfert. His itaque prætermiſſis ad alia properemus. Cœpit præſens Urbis nomen primò celebrari ſub annum 1006., quo S. Henricus Imperator fundato à ſe Bambergenſi in Franconia Epiſcopatui, inter alios proventuum fundos Villacum etiam cum pluribus circumſitis Oppidis, & Pagis in dotem tranſcripſit. Ab eo tempore longum infortuniorum ſyllabum enumerat hæc Civitas, quibus crebrò ſuccubuit. Præivit omnibus, quæ faſtis commiſſa ſunt, horribilis terræ motus, qui anno 1348. concuſsâ ſæpiùs Carinthiâ, tandem Villacum ita proſtravit, ut ad priſtinum ſplendoris, ac magnificentiæ gradum non amplius conſcenderit; ſiquidem refert Reichardus ampliſſimam ante illum lapſum fuiſſe Civitatem ad Gyllam uſque amnem extenſam, & utpote celeberrimum emporium maximè frequentatam. Contremuit quidem illùd iterum anno 1690. ad finem vergente, ſed multò leviora tulit detrimenta. Altero calamitatis genere hanc Urbem afflixit ignis, qui eam ſæpiſſimè corripuit, anno præſertim 1523., exortò apud nuptiale epulum incendiò. Hactenus inſons patiebatur Villacum, ſed tertium malorum genus, videlicet hoſtem propriâ culpâ ſibimet adſcivit; quando ut Maulthaſchiæ gratiam aucuparetur, legitimo Provinciæ Principi Rudolpho Auſtriæ Archi-

chiduci fores occluſerat. Tunc enim à Friderico Colnizio Rudolphi Belliduce validiſſimè obſeſſum, & aſſultu ſuperatum, editas ab irruente milite ſtrages, ablataque ſpolia incaſſum deflevit. Lætior illi arriſit fortuna utpote pro meliori cauſa decertanti anno 1492., quo Turca in Canalis Vallem progreſſus, ibique barbarè graſſatus, in Villacenſes muros impetum convertit, ſed cum eos opinione ſua ſolidiores, & pari fortitudine propugnatos offendiſſet, in ſparſa per viciniam Oppida conceptum indè furorem effudit: Interea Nobilitas Kevenhüllero Duce congregato exercitu furenti obviat, initoque certamine, non ſinè ſuorum ſanguine, quorum 6. millia ceciderunt, glorioſè tamen hoſtem profligat, qui decem millibus, aut vulnerum gravitate confectis, aut à Ruſticorum vindictam ſpirantium rabie dilaniatis, ita fractus patriam repetiit, ut nunquam ampliùs ad invadendam Carinthiam vires, animumve reſumpſerit. Demum anno 1552. Carolus V. Imperator victoriis aliàs innutritus, & fugere neſcius, à Mauritio Saxone Oeniponti pene oppreſſus Villacum tanquam ad aſylum magnis itineribus conceſſit, ſimulque eam Civitatem diuturnâ ſuâ præſentiâ recreavit.

WOLFFSBERGA.

WOlffsberga Lavantinæ Vallis Civitas cum Arce adjacenti Clivo impoſita à S. Henrico Imperatore Bambergenſi Eccleſiæ unà cum Villaco donata, Sedes eſt Præfecti, ſeu Vicedomini Bambergenſes per Carinthiam ditiones moderantis: cruentum hæc anno 1233. ſpectavit prælium, quod in ejus pomœriis efferbuit inter Bernardum Ducem, quem Provinciæ Proceres ſequebantur, & Echenbertum Bambergenſem Epiſcopum Franconibus, Iſtrianis, Carniolis, & Aquileienſibus ſtipatum, pro dominiorum limitibus dimicantes. Anceps diu nutavit victoria, & modò uni, modò alteri confligentium parti ſe offerebat; jamque cum ſuis fugabatur Dux, ſed Epiſcopo ob aggeſta in campo cadavera ægrè inſequente frontem vertit, & redintegratâ pugnâ deſperatam antea palmam reportavit. Captus à Dietrichſteinio Echenbertus brevi dimittitur, receptô etiam Tarviſenſi Oppidô, quod Bernardus illi ante conflictum ademerat. Anno autem 1361. non ſpectavit modò, ſed experta quoque eſt belli caſus Wolffsberga, quando Vicedomino Clagenfurti Comitiorum causâ degente, Cives à quodam Othomaro ſeducti illatâ Cancellario nece, perduellioni præluſerunt; namque eorum flagitium inaudiens Vicedominus collecto raptim milite ad Urbem advolat, crebriſque ictibus verberat; ſed Civibus veniam demiſsè implorantibus ab ulteriori infeſtatione abſtinuit, nonnisi ſeditioſorum paucis primipilis capite plexis, & Othomarô in 4. partes diſſectô. Enormiori ſcelere Urbem hanc temerârunt Judæi anno 1338., eo enim labente ternas minores hoſtias ritè conſecratas, & à Sacerdote quodam redivivo Juda ſibi venditas cultris transfodiunt, nec emanante indè ſanguine abſterriti flammis admovent, ſed his à tanto crimine abhorrentibus, in propinqua Lavandæ fluenta ultimò abjiciunt. Paulò pòſt pecudes illuc ad paſcua emiſſæ humi repentè procumbunt, quaſi latens ſub pane Numen adoraturæ: quod dum prætereuntes obſtupeſcunt, & oculos quaquaverſum circumferunt, vident hoſtias in aëre ſupra littus pendere. Quare evocatus Henricus S. Pauli Abbas, Clero, Religioſis, totaque Urbe ad hoc prodigium ſimul accurrentibus, ſuppoſitâ reverenter patenâ binas ex iis ſenſim delapſas excepit, tertia interim diſparente. Illæ ad Parochiale S. Marci Templum delatæ multis miraculis coruſcarunt, donec panis ſpecies evanuerint. In hujus Urbis territorio ferrifodinas ſuo tempore excultas fuiſſe teſtatur Agricola (a) ita ſcribens: *In Norico ferrum non minùs, atque quondam durum, & copioſum effoditur, & perficitur maximè in Carnunto ad Volfebergum.* Ubi author Carnuntum pro Carinthia ſubſtituit, quod & ab aliis perperam factum licuit interdum obſervare.

(a) De vet. & nov. metal. l. 2.

Antequam è Carinthia diſcedam, ne illi injurius videar ob omiſſum Archiducatûs titulum, placuit poſtremò exhibere, quæ ad eum comprobandum Megiſerus congeſſit, ut lectoribus fas eſſet de rei veritate, prout libuerit, ſententiam ferre. Atque inprimis prætenſam hujus dignitatis originem unde, & quo fundamento is author deducat, jam ſuperiùs expoſuimus; cætera verò teſtimonia ab eodem alibi (b) collecta uſurpatum quidem aliquando Archiducatûs titulum oſtendunt, ſed ex præſumpta Carolinæ conceſſionis opinione potiùs, quàm ex novæ authoritatis, aut juris acceſſu id factum non obſcurè apparet. Inter Provinciæ igitur monumenta teſte Megiſero reperire eſt Archiducis Erneſti Ferrei, Friderici IV., Maximiliani I., & Caroli V. Imperatorum diplomata, in quibus Carinthia Archiducatûs nomine inſignitur; atque inſuper Ferdinandus I. indulſiſſe Carinthis dicitur, ut cudendæ apud eos pecuniæ hæc præfigeretur inſcriptio: *Ferdinandus Dei gratiâ, &c. Archidux*

(b) Chron. Carin. l. 6. c. 39.

Auſtriæ & Carinthiæ. Demum à Carolo Archiduce, & Rudolpho II. Cæſare admiſſam ejuſmodi tituli prærogativam aſſeverat. Certiſſimum interim eſt, eam hac tempeſtate obſoleviſſe, cùm in nullo Cæſareo diplomate peculiaris hic Archiducis titulus intuitu Carinthiæ uſurpetur: quinimò autumat Lazius, illum jam pridem (ſi tamen antea viguit) ab Ottone I. Imperatore, cùm Conradum ex Carinthia depuliſſet, obliteratum omninò fuiſſe. Aliam in hujus vocis ortu ſententiam profert apud præcitatum Megiſerum Jacobus Spiegelius his verbis comprehenſam: *Archiducis appellationem primùm Bruno frater Othonis Imper. ejus nominis I. inſolenter aſſumpſit teſte Æmylio Veronenſi*, (a) *id quod poſtea Carinthorum Principes uſurparunt, quibus extinctis ad Auſtriacos ſimul cum ditione tranſiit, quod & hodie obtinent.* Verùm admodum fallitur hic ſcriptor, dum putat Archiducatûs prærogativam ex Carinthia primò in Auſtriam tranſmigraſſe; nam quamvis probabilius videatur, continuum illius tituli uſum in Maximiliano I., antequam Imperator ſalutaretur, invaluiſſe; priùs tamen Auſtriæ Principibus ſubinde datum plurimi teſtantur, & nominatim de Rudolpho IV. id ſcripſit Megiſerus: quinimo antequam Auguſtiſſima Habsburgicorum proſapia Auſtriæ imperaret, eundem titulum à nonnullis referri, in illius Provinciæ deſcriptione ſatis explanavimus. Unde nemini mirum accidat, ſi Joannes ex Habsburgica Domo, utpote Alberti I. Auſtriæ Archiducis, dein Cæſaris ex fratre nepos, quamvis Sveviæ, non Auſtriæ Dominus, à me tamen Archidux ibidem nuncupetur; ſi enim ſolenne hactenus fuit diverſis hujus celeberrimæ ſtirpis ſurculis, etiamſi Styriæ, Tyroli, Belgiô, aut Hiſpaniæ, non autem Auſtriæ dominantibus, Archiduces inſcribi, cur eum titulum mihi non licebit prædicto Joanni attribuere? præſertim teſſeræ gratiâ, qua Habsburgici Principes ab aliis familiis diſtinguerentur, prout paulò ante ibi ſpoponderam: quare neceſſe omnino fuit etiam in Joanne datam fidem ſervare.

(a) Hiſt. Franc. l. 3.

Ducatus CARNIOLIÆ Tabula.

MARIS ADRIATICI PARS.

Sinus Tergestinus

Sinus Flanaticus

Cilleæ Confinia

Liburnia

Milliaria German. Commun.

Stud. et op. cujusdam Geogr. S. I.

C. E. et I. A. P. sc. et exc.



TOPOGRAPHIA
DUCATUS CARNIOLIÆ.

CArniolia vulgò Crain usque ad proxima nobis tempora apud geographos omnes Carniola semper audiit; quasi parvam Carniam dicerent, ut hæc à majori, cujus in Carinthiæ Topographia ex parte meminimus, & de qua suus adhuc erit differendi locus, eâ diminuentis vocabuli notâ distingueretur. Hæc nominis sui vetustate perlustratas hactenus regiones, Austriam scilicet, Styriam, & Carinthiam longè antecellit; ad decimum quippe seculum, seu mille propè annos illa ascendit, cùm Paulus Aquileiensis Diaconus, (a) qui floruit anno 774., jam Carniolam sub hoc nomine agnovisse in ejus Longobardica historia reperiatur. Quà orientem salutat solem, Slavoniæ, & Croatiæ fines attingit, & quà occidentem respicit, Foro Julii conjungitur. A Septentrione verò Styria, & à Meridie Istria Carnioliam claudunt. Terra est plurimùm montosa, & ubi ad Carnicas, Juliasve alpes, quæ Italiam terminant, accedit, in saxosa asperatur juga, in quibus nonnisi nuda rupium dorsa, lapidumque acervi viatorum oculis objiciuntur; fertiles tamen amœnæque valles montium arduitatem alicubi leniunt, densaque nemora petras inumbrant. Nec deest in reliquis Provinciæ tractibus virens speciosaque planities, quæ circa Crainburgensem Urbem maximè dilatatur. Cæterùm variarum frugum plerumque ferax est, fodinis insuper, rarisque naturæ miraculis nobilitata. In duas à Magino partes dividitur Carniolia Inferiorem nempe, & Superiorem, seu in siccam, & irriguam. In quinque verò eandem dissecat Valvasorius Superiorem nimirum, Inferiorem, Mediam, Interiorem, & Istrianam. Incolæ Slavicà utuntur linguâ, peculiari tamen dialecto ab aliis ejusdem originis discretâ, præ qua plurimi præsertim Nobiles germanicà delectantur.

Lib. 6. 2.

Hodiernus Carnioliæ situs, antequam hoc singulare sibi nomen adeptus in unam coalesceret Provinciam, diversarum penitus regionum, populorumque terminos Romanæ Reipublicæ ævo, ac primis Imperii seculis complectebatur: Pannonia enim, Illyricum, Noricum, & Italia in hoc terræ spatio simul concurrebant. Et inprimis ad Noricum mediterraneum, quod Taurisci aliquando insederant, ex iis, quæ in Austriæ, Styriæque descriptione attulimus, liquidò constat, modicum saltem eorum montium tractum spectasse, qui partim Carinthiæ, partim Styriæ adhærent; cùm hucusque Australem Cetii montis extremitatem protenderimus. Reliquam autem oram, quæ ab editioribus jugis usque ad Savum fluvium descendit, unà cum Labacensi territorio, quamvis secus Meridionale, non Orientale Cetii latus, uti aliàs Pannonia, extendatur, huic nihilominus regioni insertum fuisse ex Ptolomæo inferiùs demonstrabimus. Illyrici portionem eatenus includit Carniolia, quatenus Japidiam Illyrico nonnulli annectunt, & abundè patet magnam Japidiæ partem in Carniolico solo à veteribus circumscribi: primum ex obscuro Strabonis textu colligit Schönleben, (b) pluribus refragantibus, quibus Strabone antiquior Dionysius Halicarnasseus patrocinatur his verbis: *Japodes natio Celtica prope Illyricum*, ubi perspicuè Japides Illyrico excluduntur. Permixtam tamen ibi utramque gentem innuit alio in loco Strabo, (c) dum ait: *Japodes circa hæc habitant loca, gens Illyricis, Celticisq; commixta.* Alterum, quod probandum adhuc est, nempe Carnioliæ partem fuisse à Japidibus olim habitatam, declarat Plinius, dum illos Carnis, & Istris tanquam conterminis admovet. Illud ita exprimit: (d) *Carnorum hæc regio, junctaq; regioni Japidum.* Hoc verò alibi sic tradit: (e) *Nonnulli in Flanaticum sinum Japidiam promovere à tergo Istriæ.* Incolebant porrò Japides ipsas alpes non tantùm, quà istæ in Borealem, seu Celtarum plagam, sed etiam, quà in Australem, seu Italicam se demittunt; quod à Strabone rursus edocemur præcitatis paulò antè verbis hæc statim subdente: *& penes istos est sublimitas. Japides igitur virorum florentes robore antea, & utroque ex montis latere domicilia habentes, &c.* Et alibi: (f) *Japodes in Albio monte siti sunt, qui alpium postremus est excelsus admodum, hinc quidem ad Pannonios pertinentes, hinc autem ad Adriaticum mare.* Quinimo Plinius absque ullo discrimine Japides Italiæ adjudicat ita scribens:

(b) Carn Ant. appa. c. 1. §. 2.

(c) Lib. 4.

(d) Lib. 3 c. 18.

(e) Lib. 3. c. 19.

(f) Lib. 7.

bens : *Brutium, quò longiſſimè in Meridiem ab Alpium penè lunatis jugis in maria excurrit Italia : Ab eo Græciæ ora : mox Salentini, & Hetruſci, Veneti, Carni, Japides, Iſtri.* Demum ex Italia Carnioliæ id accrevit, quod trans alpium verticem, utpote Italiæ terminum à potioribus veterum, & recentiorum ſuffragiis, imò à natura ipſa ſtatutum, Carniolia hodie ſibi vendicat, aut arrogat.

Dum hæc memorati hactenus authores faſtis committerent, Romanis ſuberat Carniolia ; de Pannonia quippe, & Norico id jam aliàs oſtendimus, de Japidia autem, tum ex medio inter Pannoniam, & Italiam ſitu congruè infertur, tum ſæpe allegatus Strabo idipſum diſertè recenſet : *Japodes*, inquit, *ab Auguſto tandem Cæſare ſummo cum labore debellati ſunt, cùm latè latrociniis invaleſcerent.* Et alibi : *Japodes pugnaces quidem, cæterùm ab Auguſto Cæſare tandem expugnati ad unum.* A barbaris autem ſenſim deformato Romanæ gloriæ, majeſtatiſque ſplendore, varii ſibi ſuccedentes populi, necdum exuta per Chriſti legem feritate, Carniolicam oram, utì & cæteras adſitas regiones, aut prætereuntes devaſtarunt, aut immorati ſubjecerunt. Hujuſmodi fuere Vandali, priuſquam in Gallias tranſmigrarent, Heruli, Gothi, & Longobardi, dum in Italiam proficiſcerentur. Poſt quos ſecuti Slavi interdum etiam Vendi, aut Vindi appellati, conſtantem iſtic ſedem fixerunt, ſuamque gentem, & idioma latè propagarunt, de quorum origine, nomine, & certiſſima à Vandalis diſtinctione contra Krantzium, ejuſque ſequaces, quibus annumerandus Schönleben, magnus aperietur diſputandi campus, ſi de Slavonia aliquando agemus. Interim eorum in Carnioliam adventum poſt annum 548. differre neceſſe eſt, cùm teſte ſynchrono authore Procopio (a) Slavini, ſeu Slavi primùm eo anno in Illyricum ſe effuderint, unde ad Noricum, & Carnos deinde penetrarunt ; quod jam alibi à me aſſertum nunc ipſiuſmet Procopii verbis ſtabilio. *Per id tempus*, inquit ille ſub Juſtiniano Imperatore ad annum 13. belli Gothici, qui cùm 548. ſecundùm unanimem chronologorum ſententiam coincidit, *Slavinorum exercitus flumine Iſtro trajecto Illyrios omnes ad uſque Epidamnum malis ingentibus affecere, partimq; ſine ullo ætatis diſcrimine in ſervitutem, quos licuit, abigendo, & eorum bonis direptis deſæviebant. Ad hæc præſidia illis in locis non pauca, & quidem prævalida occuparunt.* Denique quæ de Hunnorum jugo Slavis injecto, & Samonis virtute excuſſo in Carinthiæ deſcriptione allata ſunt, ad Slavos quoque Carniolia potitos videntur extendenda, & communem Carantanis, ac Carniolis fuiſſe Regem aut Ducem veroſimile eſt, cùm Fredegarius apud Henſchenium alibi citatum Slavos illos Carantanos, & Winidos nuncupet, & Aimoinus, qui nono ſeculo florebat, eos peculiari pariter Winidorum nomine diſcernat, quorum Marchiam in Carnioliæ latere Croatis contermino geographi agnoſcunt ; ſic quippe ſcribit is author apud Schönleben : *Anno quadrageſimo principatus Clotharii homo quidam nomine Samo natione Francus multos negotiatorum mercandi causà in Slavorum patriam, qui etiam Winidi dicuntur, ſecum adjunxit. Slavi jam dudum Hunnis, qui & Avares dicuntur, ſubjecti, dominationis eorum jugum detractare tentabant. Ad quos Samo cum ſociis adjumento Winidis futurus forte profectus eſt, factâque congreſſione Winidi Hunnos ſuperant.* Slavi itaque licèt his terris diu dominati, evincere tamen nequiverunt, ut Carniolæ nomine oblitterato, ſuum illi inducerent ; nam ante eorundem ingreſſum jam illud viguiſſe indè mihi perſuadeo, quod vix ambigi poſſit, id à vicinis Carnis hucuſque ſeſe amplantibus emanaſſe, hocque illi ægrè attentaſſent, imò nec obtinere appetiiſſent, dum Slavi inculta tunc gens, & à veri Dei cultu aliena regionem opprimebant. Neque diutius eam Carnorum migrationem protrahi finit Paulus Diaconus ſuprà citatus octavi ſeculi ſcriptor, dum veluti de Provincia jam diu à Slavis inſeſſa, hæc de Carniolia expromit : *Ratchis denique apud Forum Julii Dux, ut dixeramus, effectus in Carniolam*, non Carnioliam, utì Schönleben (b) impreſſit, *Slavorum patriam cum ſuis ingreſſus, magnam multitudinem Slavorum interficiens eorum omnia devaſtavit. Ubi cùm Slavi ſubitò irruiſſent, & ipſe adhuc lanceam ſuam ab armigero non abſtuliſſet, eum, qui primus ei occurrit, clava, quam manu geſtabat, percutiens ejus vitam extinxit.* Erat Rachiſius Longobardorum Dux, qui in Italia præter Regnum Ducatus aliquot, & inter hos unum apud Forum Julii fundaverant. Fortiùs in Slavos non modò Albis fluvii, ſed & Adriatici maris accolas movit Carolus Magnus Francorum Rex, poſtea Imperator, protenſo ſub annum 788. uſque in Dalmatiam imperio, quod ut à finitimis hoſtibus tutaretur, limitaneos Præfectos per extimas Provincias diſtribuit, ex quibus Ericus Foro Julienſes, & Carniolos uſque ad annum 799. moderatus, poſt multa prælia fœliciter confecta, & victorias gloriosè partas apud Tarſaticam Liburniæ ab Oppidanis per inſidias miſerè trucidatur. Imperante poſt Carolum Ludovico, & Cadolaco Erici Præfecturam adminiſtrante, Liude-

(a) De bello Goth. lib 3.

(b) Anna. Car. ad an. 735.

Liudewitus Slavorum in Pannonia Savia Dux anno 819. à Cæſaris, ejuſque Præfecti obedientia deficiens Carnioliâ occupatâ ad Carantanos jam caſtra promoverat, ſed Baldrichus Cadolaco intra eundem annum febri extincto ſubrogatus, cum exigua militum manu illi obviam proceſſit, aggreſſuſque ad Dravum fluvium hoſtes pluribus cæſis è Carantanorum finibus fugavit. Parum tamen attritas hac clade Liudewiti vires experta eſt paulò pòſt Dalmatia, quam is revocatis illuc copiis ferro & igne depopulabatur. Tunc Ludovicus Imperator terna armatorum agmina ex Saxonia, Franconia, Bavaria, atque Italia conſcripta diuturnis itineribus in perduellem progredi juſſit, cúmque hæc in unum conveniſſent exercitum, totam pene Liudewiti regionem eodem, quo ille Dalmatiam, modo ſalutarunt, & munitioribus Oppidis, in quæ Dux ſe ſuoſque receperat, minimè attentatis, in Germaniam reverſi ſunt. *Interea autem Carniolenſes, qui Carcaſavum fluvium habitant, & Forojulienſibus pene contigui ſunt, Baldricho ſe dediderunt Idem & pars Carantanorum, quæ ad Liudewiti partes à nobis defecerant facere curavit.* prout referunt annales rerum Francicarum ſub Pipino, Carolo, & Ludovico geſtarum ab anonymo, & ùt videtur, coævo Ordinis S. Benedicti ſcriptore contexti, quem ipſum Eginhardum eſſe Caroli Magni vitæ authorem Lambecius, Schönleben, aliique eruditi firmiter exiſtimant. Carniolia ergo Imperio reddita, diu Forojulienſibus Præfectis, ſeu Ducibus, diu etiam Carantanorum, dein Carinthiæ Ducibus ab illis pridem ſejunctis morem geſſit, donec in ſingularem erecta Marchionatum proprium quoque Principem impetraverit: quæ, quomodo, & quando evenerint, divinari potiùs poteſt, quàm enarrari, nec nisi obſcurè, confuſéque hanc rem pertractant Valvaſorius, & Schönleben, ad quos, utpote annalium ſeriem fuſiùs deducentes, topographiam ego potiſſimùm intendens lectorem remitto. Aliquod tamen lumen præbet Ottonis II. Imperatoris diploma datum anno 974., quo ille Abrahamo Friſingenſi Epiſcopo Locopolitanam ditionem tranſcribit: ejus fragmentum ad rem noſtram plurimùm faciens ita ſe habet. *Per interventum matris noſtræ Adelheit, & fidelis noſtri videlicet Hainrici Ducis, quasdam partes noſtræ proprietatis ſitas in Ducatu præfati Ducis, & in Comitatu Poponis Comitis, quod Carniolia vocatur, & quod vulgò Creina Marcha appellatur. Eſt enim in ipſo Comitatu rivulus, qui vocabulo Slavorum Subniza vocatur, &c.* Ubi nullus dubito, quin Schönleben, (a) qui illius diplomatis partem typis vulgavit, *Carniolia* pro *Carniola* ſubſtituerit, uti eundem aliàs egiſſe deprehendimus. Munus hoc Friſingenſi Eccleſiæ oblatum cenſet idem author fuiſſe totum ipſum Popponis Comitatum, quem propterea ultra Locopolitanum dominium non extendit: verùm bonâ illius veniâ, cùm Cæſar clarè ibi aſſerat, ſe elargiri terras in Popponis Comitatu ſitas, procul dubio iis verbis innuit ſe non totum Comitatum, ſed peculiare tantùm aliquod ejus territorium complecti. Unde ego Popponis Comitatum, ſeu Creinam Marcham interpretor, eorum Comitum, ſeu Marchionum ditionem (nil enim aliud erat Marchio, quàm Marchiæ alicujus Comes, utì ex Germanica voce Marchgraff, ex qua Latina derivatur, luculentè colligitur) qui Crainburgi reſediſſe concordi ſcriptorum ſententia feruntur, totique Carnioliæ indè vulgò Crain dictæ dominabantur, licèt non ad eam, qua modò patet, amplitudinem dilatatæ. Sanè miror, eruditum eum authorem, qui hanc ſuam Provinciam totis viribus ampli ficare aliàs nititur, ad ſolùm Locopolis diſtrictum hìc eandem coarctaſſe. Ex his itaque certò inferre fas eſt, Ottonis II. ævo Carnioliæ Provinciam pro ſingulari Marchia jam fuiſſe habitam, ab Ottone I. fortaſſis inſtituta, qui à Palladio dicitur quatuordecim hujuſmodi Marchias in Italia definiviſſe. Utrum autem Poppo poteſtate tantùm uſus ſit Henrico Carinthiæ Duci ſubordinata, quamvis ex præmiſſo diplomatis textu id apparere autumet Schönleben, in dubio ibidem relinqui potiùs pronunciarem; quid enim prohibet, quò minùs per *quasdam partes ſitas in Ducatu præfati Ducis, & in Comitatu Poponis* intelligantur fundi partim in Carinthiæ Ducatu tunc ampliori, partim in prædicto Comitatu comprehenſi? Megiſerus, & cum eo Fuggerus, ac Bucelinus ſubtractam à Carinthiaci Ducis imperio Carnioliam, & Engelberto Crainburgenſi Marchioni omnimodè ſubjectam putant ſub annum 1165., cùm id à Friderico I. Imperatore peractum ſcribant eo penitus tempore, quo ille Styriam Ducatûs titulo decoravit. Deficiente porrò Crainburgenſium Marchionum proſapia, Provinciæ Status bellicoſi Principis Friderici II. Auſtriæ, & Styriæ Ducis virtute, viciniaque allecti Carnioliæ dominium illi detulere, quam ultroneam donationem Cæſar Fridericus II. ratam habuit, eumque ſeu Comitatum, ſeu Marchionatum ad Ducatûs prærogativam evexit, dato anno 1231. diplomate apud Fuggerum excuſo, cujus hoc initium: *Fridericus II. divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex Friderico II. Duci Auſtriæ,*

(a) Annal. Car. ad ann. 973.

& Styriæ ſuo dilecto Principi & Comiti Carniolæ gratiam ſuam, & omne bonum. Verba autem, quæ magis ad rem noſtram ſpectant, ita circa finem ſubſequuntur: *Ad decus præterea Regni tui præſentis privilegii authoritate permittimus, ut de Provincia Carniolæ Ducatum facias immediatè tibi ſubjectum, parte (* forſan *per te) nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & Imperio reſponſurum; & in Ducatu ipſo C. cognatum tuum fidelem noſtrum in Ducem valeas promovere, plenam tibi concedimus poteſtatem.* Rediit poſtmodum ad Carinthiam Carniolia ab Alberto I. Auſtriæ Archiduce dein Cæſare Meinhardo illius Duci, Fuggero (a) teſte, conceſſa, ſed cum eadem rurſus anno 1335. ad Auſtriam devoluta eſt, quam magna in Principem fidelitate, nec minore ſui fœlicitate hodieque adorat. Hactenus in univerſam Carniolici Ducatûs faciem oculos, mentemque, quaſi eminus defiximus, nunc verò ſingulas Urbes, Arces, aut Oppida obeamus, collata eis à natura, vel arte decora, quorum haud ſpernendum theſaurum primò pandet Metropolis, cominus inſpecturi.

(a) Specul. hon. l. 2. c. 3.

LABACUM.

LAbacum vulgò indigenis Lublana, Germanis Laybach, Italis Lubianna præclara, venuſtaque Urbs ſubeſt latitudinis gradui 46., m. 10. longitudinis verò gradui 38., m. 40. & 27. milliarium itinere Græciò in Meridiem abeſt. Murô cingitur 6. portis apertô, ſi etiam aquatica in calculum veniat, quarum ternæ totidem reſpiciunt Suburbia nautis, & piſcatoribus plurimùm repleta. Bifariam illam ſecat cognominis fluvius, qui adeò lentis progreditur aquis, ut in quam partem defluat ægrè ab oculo diſcernatur, donec declivem nactus alveum velociùs in Savum irrumpit. Hunc, prout infrà clarè patebit, Nauportum vocavit Plinius, & Strabo, ſed hic alibi Corcoram dixit, ubi à Lazio erroris arguitur non ſine ratione ſuſpicante in Gurca Carnioliæ amne antiquorum Corcoram perennare, non autem in Labaco duobus milliaribus indè diſſito. Interim fluminis Corcoræ nomen cum Savo junctum fuiſſe videtur ab annalium Francicorum authore, dum Carniolenſes retulit ad Carcaſavum habitare. Ita Labacus pluvia, aut ſolutis nivibus auctus interdum intumuit, anno ſcilicet 1190., & 1537., ejuſdemque ſeculi 89., ut cuncta Oppidi, vel Civitatis compita pervadens ubique navigia pateretur. Civitatis enim formam primò induit Labacum anno 1416., quo fervente incolarum induſtria non modò accumulari ædes, ſed & tenues muri circa eandem duci cœperant, hoc Civium molimine dein à Friderico IV. Cæſare ſub annum 1475. ita promoto, ut Turcarum deprædantium inſultus utcunque arcerentur. Tandem ab anno 1520. uſque ad ejuſdem ſeculi 53. dejecto priori opere utpote ad Urbis tutelam minùs idoneo, aliud validius aggreſſi Labacenſes valla, & muros hodieque extantes intra excavatas foſſas erexerunt, Ferdinando I. Romanorum Rege magnam ſumptuum partem illis ſuppeditante. Penes Urbem attollitur collis denſo vireſcens nemore, è quo in apice aſſurgit Ducalis, amplaque Arx antiquos indicans natales, & ad ortum ſolidis mœniis, ad reliquas verò Orbis plagas, aut triplici, ſed veteri pariete, aut nullo ferè munimento vallata.

Præſentis duntaxat Civitatis ortum, progreſſuſque hactenus deduxi, at ſi ad vetuſtiorem ætatem regredi lubet, & veterum monumenta revolvere, in aliam longè antiquiſſimam, ac celeberrimam incidemus Urbem Æmonam videlicet, ſive Hemonam, vel Hæmoniam, quam in hoc eodem ſolo quondam floruiſſe, ſed à Barbaris Romanum Imperium dilacerantibus poſtmodum deletam, tot, tantaque firmant argumentorum pondera, ut inter Urbes, quæ priſci nominis jacturam fecere, iis adnumeranda ſit, quarum antiquatam ſedem certiſſima alia indicia poſteritati manifeſtarunt, quidquid contra ogganniant alienæ gloriæ invidi, aut geographiæ, hiſtoriæque ignari. Hanc ſententiam maximè tuetur, atque uberrimis veterum teſtimoniis ſtudioſè collectis dilucidat pereruditus Carniolicorum annalium author Schönleben, quem præiverunt duo illuſtres geographi Ortelius, & Cluverius, aliique complures, & noviſſimè ſubſequitur non minùs clarus ſcriptor Cellarius: ſed ad rem propiùs accedamus. Ptolomæus poſtquam Superiorem Pannoniam ad Orientale Norici latus ſecus Cetium montem jam ſæpiùs memoratum deſcripſit, ejuſque Urbes recenſuit, hæc poſtremò ſubjunxit: *In limite Italiæ ſub Norico iterum Pannoniæ Civitas Hemona*, ubi luculentè docet Æmonam licèt in Pannonia comprehenſam non ad Ortivam Norici plagam, utì reliqua illius loca, ſed ad Auſtralem extitiſſe, ſicut Italia, inter quam & Noricum ea Civitas interjicitur, aliqua ſcilicet Pannoniæ portione eouſque protenſa. Quibus ritè perpenſis vix aptiorem Æmonæ reperies campum, quàm Labacenſem diſtrictum, utpote inter Iſtriam Italiæ Provinciam, & eam Norici partem Styriacam ſcilicet, quæ Pannoniæ adhærebat, incluſum. Certè hic unus Ptolomæi textus Æmonam ſaltem Carnioliæ vendicat, ſi ſuis

si suis momentis sedulò expendatur. Unde audiendus modò Plinius, (a) qui verum ejusdem situm propiùs monstrabit: *Quæ pars*, inquit ille, *ad mare Hadriaticum spectat, appellatur Dalmatia, & Illyricum suprà dictum. Ad Septentriones Pannonia vergit, finitur indè Danubio. In ea Coloniæ Æmona, Siscia. Amnes clari, & navigabiles in Danubium fluunt, Dravus è Noricis violentior, Savus ex alpibus Carnicis placidior.* Alibi verò clariùs: (b) *Argonavis flumine in mare Hadriaticum descendit non procul Tergeste: nec jam constat, quo flumine. Humeris travectam Alpes diligentiores tradunt. Subiisse autem Istro, dein Sao, dein Nauporto cui nomen ex ea causa est, inter Æmonam, Alpesq; exorienti.* Sermo igitur hìc Plinio fuit de alpibus Tergestum, seu Istriam à Pannonia separantibus, inter quas, ac Æmonam fluere Nauportum asserit, & in Savum effundi. Consule nunc Mappas, & pro libitu contemplare, an non Nauportus sit ipse Labacus amnis, qui ex iisdem alpibus emanans Labacensem Urbem præterfluit, & tandem Savo notissimo etiamnum flumini miscetur. Sanè alium fluvium, qui Plinianæ descriptioni exactiùs respondeat, ægrè deprehendes. Verùm clarissimè hujus rei veritas elucebit, quando de Nauporto Oppido, seu Hyperlabaco inferiùs agemus. Observandum hìc autem est, aliam quidem Urbem sub Æmoniæ nomine à Plinio in Noricis censeri, sed geographorum pene omnium sensus erasse hunc authorem pronunciat, eadem scilicet Urbe in Pannonia, & Norico perperam collocatâ, cùm nullus alius scriptor Æmoniæ in Norico meminerit, & pronum fuerit in hujusmodi sphalma labi, siquidem in Pannoniæ, & Norici confinio Ptolomæus, ùt vidimus, aliique eam Civitatem descripsere. Interim non modò in Carniolia Æmonam reperimus, sed & apud Labacum fluvium aliquo post Nauportum Oppidum intervallo, utì suo loco dicetur, quæ uni Labacensi Civitati quàm optimè conveniunt.

(a) Lib. 3. c. 25.

(b) Lib. 3. c. 18.

Veterum geographorum Principibus primas dedimus; nunc autem Itineraria à tredecim circiter seculis ad nostram usque ætatem transmissa percurramus; Favet enim imprimis sententiæ nostræ Antoninianum, cujus itineris ductus cum suis milliaribus hoc ordine procedit, additis ex adversa parte recentibus nominibus, quæ cum antiquis coincidere, aut manifestò patet, aut ex situ, & distantia eruditi opinantur.

Concordia Civitas	M P	Concordia.
Aquileia Civitas	XXXI.	Aquileia.
Frigido Fluvio	XXXVI.	Vipach
Longatico mansio	XXII.	Logatez.
Hemona	XVIII.	Laybach.
Adrante mansio	XXV.	Dranberg.
Celeia Civitas	XXIV.	Celeia.

Nec minùs suffragatur Peutingeriana Tabula, ex qua apud Velserum edita hoc itineris fragmentum ad rem nostram excerpsi.

Savo fl.	M. P	Savus
Emona	VIII.	Laybach
Nauporto	XII.	Oberlaybach
Longatico	VI.	Logatez.
In Alpe Julia	V.	Alben, seu Planina
Fl. Frigido	desunt	Vipach
Ponte Sonti	desunt	Lisonzo
Aquileia.	XIIII.	Aquileia

Demum Labacensi vetustati patrocinatur aliud Itinerarium mihi ignotum, quod Hierosolymitanum Schönleben vocat, ejusque partem hoc modo subdit.

Aquileia.	M P	Aquileia.
Ad Undecimum	XI.	Undecimo.
Ad Fornulas	XII.	Sanpas
Castra	XII.	Prat, sive Poderai.
Ad pinum summas Alpes	IX.	Alben
Longatico	X.	Logatez
Ad Nonum	IX.	Billiechgratz
Emona.	IX.	Laybach

Concordant hæc antiqua cum hodiernis intervallis, si juxta geographorum regulam 4. passuum millia communi Germanico milliari adjudicentur, communi inquam; non enim me latet, plura intercurrere majora, & aliquando minora ob enormem Germanicorum milliarium inæqualitatem: ubi illud quoque præ oculis habendum, diversis scilicet ad eorundem terminum patere vias, nec ubique nobis innotuisse, qualem Romani triverint; unde si alicui nonnulla ex enumeratis distantiis à præsenti discrepare videatur, ejusmodi viarum mutationi id adscribi potest, vel etiam amanuensibus; quid enim facilius, quàm in ea exemplaria adeò longa temporis intercapedine toties descripta mendum aliquod circa numeros irrepsisse. Tres præterea inscriptiones Labaci effossas, & Æmonæ nomine insignitas profert Schönleben, quarum unam hìc subjicio, quia Legiones in hac Urbe aliquando degentes colligi ex illa possunt; *M. TITIO M. F. CL. TI. BARBIO TITIANO DECURIONI EMONE T. LEG. II. ADJUTRIC. ITEM LEG. X. FRETENS. HASTATO. IN COH. LEG. II. TRAJAN. EXCORNICULAR. PR. PRO. LARCIA VERA FILIO PIISSIMO L. D. D. D.* Æmonam Labaci superesse,

vel ſaltem in ejuſdem vicinia ſecus Labacum amnem extitiſſe, haud puto poſſe nunc ab eruditis in dubium revocari. Parum econtra itinerariis, aliiſque relationibus hucuſque allegatis reſpondet Iggium duobus milliaribus Labaco diſſitum, & à fluvio pariter remotum, quod Æmonæ ſucceſſiſſe autumat Lazius; procul autem ab iiſdem aberrat Blondi, & ejus ſequacium ſententia, qui Æmonam in Iſtria, ubi modò Civitas nova extat, agnoverunt. Hiſtoricos igitur adeamus, ut quæ de Æmona illi faſtis commiſerunt tanquam ad hodiernam Carnioliæ Metropolim ſpectantia, perſcrutemur. Antiquiſſimam inprimis originem Sozomenus, qui anno 440. florebat, his verbis exhibet ex Baſileenſi anni 1562. editione deſumptis: *Argonautæ cùm Ætam fugerent, non eadem ſunt in reditu uſi navigatione, ſed trajecto mari Scytharum per hoſce fluvios ad Italiæ terminos pervenerunt, ubi & hybernantes Civitatem condiderunt, dictam Æmona. Ingruente verò æſtate ope incolarum Argonavem circiter quadringenta ſtadia arte mechanica per terram ad Aquilam fluvium traxerunt, qui Eridano miſcetur.* Conſonat Zoſimus, qui claruit anno 362., Æmonæ quippe ortum Argonautis pariter adſcribit, circa translatam ad mare navem ſolummodo diſcors, de quo etiam antea Plinium, qua via, aut flumine ea transvecta fuerit, audivimus dubitantem. Æmonæ porrò nomen huic Urbi à Jaſone Argonautarum Duce inditum fuiſſe omnino videtur, ut patriæ ſuæ Æmoniæ (poſtea Theſſaliæ appellatæ) illuſtre in alienis terris erigeret monumentum, ſicuti poſtremis duobus ſeculis familiare fuit Europæ gentibus, detectas in novo Orbe regiones, aut excitatas ibidem Colonias ſumptis ex Europa nominibus diſtinguere, & dulci ea patriæ memoria partum ab ejuſdem abſentia mœrorem delinire. Argonautarum expeditionem anno mundi 2821., ante Chriſtum 1232. juxta ſtatutam à ſe chronologiam collocat Salianus, non decennio pòſt, utì Schönleben perperam annotavit. Ricciolius 22. annos ex Saliani calculo demit, & anno ante Chriſtum 1210. eandem adſcribit, unde Æmonæ ætas plùs quàm 450. annis ipſius Romæ natales antecedit.

Si exorientem ſuſpeximus Æmonam, non minùs eam admirabimur proficientem: Romanorum imprimis Coloniam huc deductam eſſe à ſuprà citato Plinii textu, edocemur, quod ſub Octaviani Auguſti Imperio accidiſſe veroſimile eſt. Ab eo tempore hiſtoricorum primus Æmonæ meminit Herodianus, Maximini ab anno 235. Imperantis iter è Pannonia in Italiam ſuſceptum deſcribens: *Maximinus*, inquit ille, *poſtquam ad Italiæ fines pervenit, præmiſſis ſpeculatoribus, qui explorarent, an ullæ in Alpium convallibus, atque denſiſſimis ſylvis inſidiæ delitescerent, ipſe in planum deductis militibus, jubet armatorum acies quadrato agmine incedere, ubi autem totam planitiem ſervatis ritè ordinibus tranſmiſerunt, ad primam Italiæ Urbem perventum eſt, quæ Hemona ab incolis vocatur. Ea ſita eſt in extrema planitie ad Alpium radices. Hic ſpeculatores, atque exploratores exercitûs narrant Maximino, vacuam relictam Urbem, aufugiſſe omnes incolas, templorum etiam, ac domorum januis incendio conſumptis, atque omnibus, quæ vel in Urbe, vel in agris fuerant aſportatis, - - - Milites indignè tulerunt, quod ab initio ſtatim fame laborarent; cúmque noctem exegiſſent, partim intra patentes domos, partim in planitie ipſa, ſtatim ſole oriente ad Alpes acceſſerunt.* Obſervatione dignum hìc eſt, quod Herodianus, etſi Æmonam Italiæ Urbem nuncupet, eam tamen Labacenſibus non ſurripiat, imò iiſdem confirmet, cùm in planitie, quæ ex Pannonia proficiſcentibus paulò ante alpes occurrit, clariſſimè circumſcribat; quare vel dicendus eſt is author erraſſe, Æmonam Italiæ includens, vel admittendum eſt ea tempeſtate Italiam ultra alpium juga ſe extendiſſe. Glorioſiorem hujus Urbis mentionem facit in Theodoſii ſenioris Panegyrico Pacatus, dum aurea ſua facundia ſolemnem exornat pompam, qua anno 388. Æmonenſes Potentiſſimum illum Cæſarem de Maximo tyranno ad Siſciam, & Marcellino ejus fratre ad Petovium paulò ante cæſo triumphantem excepere. Poſt condigna ergò utriuſque victoriæ encomia ita proſequitur Orator, cujus pereleganti dicendi ſtylo placuit noſtrum quibuſdam minùs ſapidum ſcribendi genus tantiſper condire. *Nec pia Hæmonia*, ajebat ille, *cunctantiùs, ubi te affore nunciatum, impulſis effuſa portis, obviam provolavit, & ut eſt omne deſiderium poſt ſpem impatientius, parum credens patere venienti, feſtinavit occurſare venturo. Fingit quidem, ùt ſcimus, timor gaudium: ſed ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, ut in ſpeculo frontium imago extet animorum. Velut illa Civitas à longa obſidione reſpirans, quòd eam tyrannus alpibus objacentem tanquam belli limen attriverat, tanta ſe, & tam ſimplici exultatione jactabat, ut ineſſe vera lætitia nimia videretur. Ferebant ſe obviæ tripudiantium catervæ, cuncta cantu, & crotalis perſonabant. Hic tibi triumphum chorus ille: econtra tyranno funebres nænias, & carmen exequiale dicebat. Hic perpetuum victis abitum, ille victoribus crebrum optabat adventum. Jam quocunque tuliſſes gradum, ſequi, circumcurſare*

ſare, præcedere, vias denique, quibus ferebaris obſtruere; nullus cuiq; ſui, tuiq; reſpectus blandam tibi faciebat injuriam. Quid ergo referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum? conſpicuos veſte nivea Senatores? reverendos municipali purpura flamines? inſignes apicibus Sacerdotes? Quid portas virentibus ſertis coronatas, quid aulæis undantes plateas, accenſiſq; funalibus auctum diem? Quid effuſam in publicum turbam domorum? gratulantes annis ſenes, pueros ſibi longam ſervitutem voventes? matres lætas, virgineſq; ſecuras? Nondum confeceras bellum; jam agebas triumphum. Hæc Pacatus, quibus & fruſtra obſeſſam indicat à Maximo Æmonam, cùm ex Italia in Pannoniam adverſus Theodoſium properaret, & quem ſplendoris gradum ea Civitas aſcenderit, ob oculos ponit, dum magnificum Senatorum, Flaminum, & Sacerdotum explicat apparatum. Neque his fidem derogant quædam mendoſæ illius panegyrici editiones ex malè deſcripto codice exortæ, in quo cùm pro *Hæmona* quidam legiſſent *hac mora*, ſicque typis mandaſſent; ſciolus aliquis videns ſenſum non aptè cohærere, ineptiùs ipſe ſubſtituit Naronam veteris quidem Illyrici Urbem, ſed à Juliis alpibus remotiſſimam, per quas Aquileiam versùs fugientem Maximum indè inſecutus à Pacato dicitur Theodoſius, & ab hiſtoricis omnibus confirmatur. Cæterùm expreſsè Hæmonia legitur in pervetuſta editione anno 1513. Viennæ Auſtriæ peracta, ex qua præmiſſum orationis fragmentum decerpſi, & Hæmonam, ſeu Æmonam in ſuis exemplaribus extare, Schönleben, Cellarius, aliique complures atteſtantur. Par quoque error in eaſdem irrepſit editiones, dum pro *Siſcia Fiſcia* nuſquam audita Civitas perperam ſupponitur. Secundò venerata eſt Æmona Theodoſium anno 394., quo is Eugenio & Arbogaſti ad alpes Julias obviam factus, famoſiſſimam retulit victoriam infrà uberiùs enarrandam. Poſt Theodoſium Æmonam acceſiſſe fertur à Zoſimo (a) Gothorum Rex Alaricus ex Pannonia in Italiam anno 400. cum exercitu contendens, nullo tamen damno affectam Urbem memorat, ſed tantùm Regem *apud Hemonam caſtra locaſſe.*

(a) Lib. 5.

Epiſcopalem Cathedram jam ab anno 70. Æmonæ erectam conjicit Schönleben, quando nimirum à D. Hermagoræ Aquileienſis Præſulis diſcipulis Chriſtiana lex per circumſitas oras propagabatur. Primus tamen, qui poſteris innotuit, ab eodem authore memoratur S. Maximus anno 254. ſub Decii perſecutione martyrii laureâ coronatus in Urbe Aſſeſia, quam Ptolomæus (b) Liburniæ Mediterraneis inſerit, & diverſa martyrologia, ac Sancti acta apud Henſchenium congeſta in Civitatem Aſiam perperam commutarunt. Ibi igitur generoſus hic athleta, cùm à Chriſti labaro nec munerum ſpe, nec minarum terrore avelli poſſet, Proconſulis juſſu flagellis primùm cæſus, dein equuleo tortus, tandem extra Urbem lapidibus obrutus victricem animam cœlo tranſmiſit. Sacræ ejus exuviæ Æmonam delatæ ſunt, poſtea Romam, hinc verò ad Novam Iſtriæ Civitatem, quæ, ùt diximus, vetus Æmona nonnullis videbatur. Demum hinc quoque Venetias avectæ in S. Cantiani Eccleſia etiamnum quieſcunt. Alterum Emonenſem Epiſcopùm nomine Maximum præfixum reperi Actis (c) Concilii Provincialis anno 381. Aquileiæ celebrati, in quo à triginta duobus Italis, Gallis, & Pannonicis Epiſcopis, præſentibus Gallorum, & Afrorum Legatis, Palladius, & Secundianus Epiſcopi Ariani cum Attalo quodam Presbytero damnantur; additque in notis Binius, omnes, quotquot interfuerunt, viros ſanctos, & eruditos, famaque celebres, anniverſaria commemoratione votis fidelium redivivos in Eccleſia vigere. His adjicit Inchoffer (d) Caſtum in Damaſi decretis laudatum, & tres alios Valvaſorius nempe S. Florium, Gennadium, & Joannem. Tertium, de quo conſtat, Æmonenſis Infulæ decus fuit *Patritius Epiſcopus S. Eccleſiæ Emonenſis*, prout ſubſcriptus legitur in Actis Gradenſis Synodi anno 581. ab Aquileienſi Patriarcha Elia convocatæ, idemque penitus eſt, qui in Barberino eorundem Actorum codice, quæ cum prioribus Schönleben allegat, *Petrus Epiſcopus Emonenſis* nuncupatur. Ex his manifeſtò apparet, revixiſſe poſt excidium Æmonam, quo eam anno 452. ab Attila Hunnorum Rege proſtratam conjiciunt ſcriptores, unde non nisi Slavorum, aut Longobardorum tempeſtate deletum dici poteſt primævum hujus Urbis nomen; horum enim Duces in Foro Julii degentes, utì ex Paulo Diacono (e) colligitur, non modico tempore Carnioliæ imperitarunt. Abolito nomine perennat nihilominus Labaci Civitas Epiſcopali dignitate non minùs illuſtris, quam anno 1461. Fridericus IV. Imperator, annuente ſummo Pontifice erexit, & primum inſtituendum præſentavit Sigiſmundum à Lamberg, adjectis Præpoſito, Decano, decemque Canonicis, qui Præſuli decori eſſent, & adjumento. Alterò annò Pius II. Papa dato 5. idus Septembris diplomate Labacenſem Diœceſim ex Aquileienſis, & Salisburgenſis partibus conflatam ab omni tum Patriarchæ, tum Archiepiſcopi Jurisdictione immunem declaravit. Tredecim

(b) Lib. 2. c. 17.

(c) Tom. 3. Concil. edit. Par.

(d) App. ad Ann. Hung. pag. 14.

(e) Hiſt. Long. lib. 4. c. 40.

hactenus Antistites illa numerat elapso nuper seculo etiam S. R. I. Principis fulgore exornatos.

Eluctati tandem ex veteris historiæ tenebris ad meridianam evasimus lucem, præsentem nimirum Labaci statum, quem modò lectorum oculis subjiciam, sacras Ædes de more præmittens. Hæ si ex Urbe, & Suburbiis ad calculum reducantur, tredecim universim colligentur. Cathedralis Ecclesiæ ad S. Nicolaum à nautis, & piscatoribus longè ante annum 1386. condita dicitur, quo scilicet flammis correpta concidit, sed in majorem, quam nunc præfert amplitudinem rursus evecta, & pluribus aris decorata. B. Virginis Sacrarium Theutonicorum Equitum Domui, seu Commendæ annexum, & ad instar crucis efformatum, antiquis Æmonæ mœniis insistere creditur, cujus originem prolixa annorum series à viventium memoria removit; Commendatorum tamen ibi residentium syllabum jam ab anno 1295. in Ortolino Hertenbergico orditur Valvasorius. Glorioſa ejusdem B. Virginis assumptio in Minorum S. Francisci Templo primariò colitur, quod anno 1403. assurgere cœpit ex alterius ruinis anno 1073. D. Philippi honoribus à mercatore quodam Petro Baldaviz dedicati: invalescente Labaci hæresi abscesserant quidem eleemosynarum defectu Religiosi incolæ, sed restitutâ pristinæ integritati religione huc denuo remearunt. Societatis Jesu Templum nactum est eximium suæ fundationis scriptorem, nempe Thomam Chrön hujus Urbis Episcopum, cujus verba, prout ea Valvasorius refert, omissis tantùm minùs necessariis, hìc subjiciam, ut ex ipso fonte totam rei seriem puriùs hauriamus; sic itaque exorditur. *Cùm anno Domini 1596. singulari Dei beneficio, & Serenissimi Archiducis Austriæ Ferdinandi zelo, ac destinatione, ad majorem Dei laudem, & gloriam, animarumq; Lutherana hæresi ab annis 50., vel ampliùs miserè seductarum, reductionem, & salutem, in Adventu D. N. Jesu Christi, sub Reverendissimo in Christo P. D. Joanne Episcopo Labacensi, --- Labacū, & Diœcesim ejus inclyta Societas Jesu fuisset ingressa, --- & primùm in Monasterio Franciscanorum* (tunc vacuo) *perpetuum locum habitura, moxq; propter loci angustias, aliasq; difficultates ad S. Jacobum* (*ubi Xenodochium erat Cæsareum*) *Summo Pontifice, ac Principe Ferdinando consentientibus, transmigratura esset, cœpta est Collegii illic ædificatio, manente veteri S. Jacobi Templo tenebricoso, angusto, parumq; commodo. --- Machinâ interim Collegii Archiducalis permagnificè constructâ, visum est Deo, Serenissimo Principi Ferdinando Fundatori, ac Reverendis Patribus dictæ Societatis Ecclesiam Collegio conformem fabricare, ac veterem diruere, ùt sequitur. In nomine Jesu & Mariæ ego idem Thomas, qui suprà, nonus Episcopus Labacensis, in festo Sanctissimorum Philippi & Jacobi Apostolorum, qui fuit feria IV. & prima dies mensis Maji* (anno 1613.) *posui primum lapidem pro Ecclesia nova in honorem Dei omnipotentis, ejusq; magnæ Matris Virginis Mariæ, sub invocatione, ac titulo S. Jacobi Apostoli, S. Wolffgangi Episcopi, & S. Ignatii Lojolæ inclytæ Societatis Jesu Fundatoris tunc canonizandi patronorum, Labaci in Collegio Archiducali ædificanda.* Ante Templi faciem speciosa expanditur area, cujus unum latus occupat Collegii structura, alterum verò frequentissimum Gymnasium, ubi humaniores Musæ, & Moralis Theologia divisis per septem scholas discipulis traduntur, quibus valde amplum incumbit Auditorium nobili theatro instructum. Ex adverso Templi surgit ex ære constans Deiparæ sinè labe conceptæ colossus marmoreæ insistens columnæ, cujus basim Sanctorum Josephi, Leopoldi, Ignatii, ac Francisci Xaverii statuæ per quatuor distributæ angulos exornant. D. Jacobi Ecclesiæ quantùm magnitudine cedit, tantùm vetustate eam superat S. Elisabethæ Tempellum, Civico Hospitali adhærens, quod anno 1386. eandem cum D. Nicolai Æde expertum est Vulcani sævitiam: profanaverant illud anno 1564. Luthericolæ, sed altero ineunte seculo Urbis Episcopus Thomas Chrön consvetis ritibus expiavit. Exiguæ pariter sunt tres aliæ Ecclesiæ, seu Sacella, quæ intra muros supersunt, videlicet una D. Fridelino sacra, quam vulgus à D. Laurentio denominat; quia festo hujus die illius dedicationem solenniter celebrat: altera D. Floriani ex piorum liberalitate post annum 1660., quo Urbem atrox afflixit incendium, ædificata, & tertia ad D. Georgium Arci inclusa. Splendidiores Dei Domos spondent Suburbia. In his triumphat Eremitarum S. Augustini Templum, in cujus medio stat Lauretana Domus anno 1669. consecrata. Ternas hi Religiosi successu temporis obtinuere stationes: primam iis unà cum S. Martini Templo extra Urbem erexerat Cileiensis Comes; at quia Cœnobium crebris Turcarum insultibus patebat, eosque à Civium è muris ejaculantium ictibus tuebatur, anno 1494. solo æquatum est, Religiosis ad D. Jacobi Ecclesiam introductis, ad secundam nimirum stationem, quam anno 1553. deseruerunt. Tertia denique ab iis anno 1628. reversis in præsenti situ collocata altero mox anno in cineres quidem abiit, sed ope munifici Baronis Conradi à Russenstein ab anno 1640. renovata speciosiorem induit

induit formam, quam hodieque oſtentat. Cùm Eremitarum Eccleſia venuſtate certat alia D. Joſepho devota, & ab Eggenbergicis Principibus anno 1657. ejuſdem pene Ordinis Religioſis, quos diſcalceatos vocant, unà cum Cœnobio extructa. Capucinorum Aſceterium cum ſacra ejus Ædi opus eſt pientiſſimi Principis Ferdinandi Archiducis, poſtea Imperatoris hujus nominis Secundi; in cujus fundamentis anno 1607. primum poſuit lapidem Thomas Chrön Labacenſis Antiſtes, abſolutóque ſequenti æſtate ædificiô, celebrata eſt magna ſolennitate conſecratio, ad quam viginti hominum millia ſub quingentis circiter vexillis ex Carniolia, Styria, & Carinthia ſupplicationem inſtituerunt. Pauciores recenſet annos ſacrarum D. Claræ Virginum Cœnobium ex Michaëlis Hilleri, ad id relicta hæreditate anno 1648. inchoatum. Templorum ſeriem claudit Parochiale D. Petro dicatum 25. enumerans ſibi ſubditas, ſeu filiales, ùt vocant, Eccleſias, & à pluribus jam ſeculis ſuperſtes, cùm ab anno 1385. ejuſdem Paſtorum nomina ſcriptis commiſſa reperiantur.

Non modò ſacris, ſed etiam aliis tum publicis ædificiis, tum privatis quorundam Nobilium ædibus eleganter conſtructis Labacenſis Civitas illuſtratur. In Provinciali Domo convocari ſolent Statuum Comitia ex 4. Ordinibus conflata, quorum primus conſtat Eccleſiaſticis, nimirum Epiſcopis, Labacenſi, Friſingenſi, Brixinenſi, Tergeſtino, ac Petinenſi, aliquot Religioſorum Præſidibus, & Cathedralis Eccleſiæ Canonicis; ſecundus ex Principibus, Comitibus, ac Baronibus; tertius ex Equitibus, ſeu Provincialibus; quartus demum ex Ducalium Urbium Judicibus. Eſt & ſua Civibus Curia anno 1484. ædificata, & alteri ſuffecta, quæ anno 1297. erecta in veteri foro ſpectabatur. Terna præterea adſunt armamentaria, ex quibus Cæſareum, & Provinciale Arcis colli inſident, ab aliis domiciliis ſejuncta; tertium verò Civicum intra Urbem continetur. Sæpiùs hanc Urbem, ſed irrito ſemper conatu, tentarunt Turcæ, præſertim anno 1472., & ejuſdem ſeculi 84., quibus in repellenda barbarorum audacia ſingulariter enituit generoſa Labacenſium fortitudo: pari quoque virtute, & ſubmiſſo ex Auſtria milite roboratâ anno 1441. non modò eluſa eſt Alberti Archiducis obſidio, qui mediam Auſtriacarum Provinciarum partem à Cæſare Friderico IV. armorum vi expetebat, verùm etiam ipſe cum exercitu fugatus, caſtra cum toto bellico apparatu victorum prædæ reliquit. Has omnes obſidiones præceſſerat alia ab Ottocaro Bohemiæ Rege anno 1269. Labaco admota, ſed non tam fœlici obſeſſis exitu terminata; obtenta enim Urbe Rex Philippum Salisburgenſem Epiſcopum, qui poſt fratris ſui Udalrici Carinthiæ Ducis obitum Carnioliam occupaverat, ad eam protinus deſerendam coëgit. Hæc de illuſtri hujus Ducatûs Metropoli, ex qua digredientes conſvetum per Provinciam iter auſpicemur.

ADLERSBERGA.

ADlersberga Carniolis Poſtoina Oppidum eſt cum Arce in adſita rupe eminente, Labacô 6. milliaribus Flumen versùs recedens, ubi Lazius Strabonis Vendum, ſeu Avendonem perennare putat, ſed quàm procul à veritate deviet, demonſtrat Antonini Itinerarium, cùm 18. tantùm paſſuum millibus Avendonem Seniâ, nota etiamnum apud mare Adriaticum Urbe, removeat, ita enim itineris enumerat intervalla. *Senia Avendone* M P. XVIII., *Arupium* X., *Bilbili* X., *Romula* X., *Quadrata* XIV., *ad Fines* XIV., *Siſcia* XIV., alibi XXI. Arcis hujus ditio modò Cileienſibus Comitibus, modò Carnioliæ Ducibus parebat, ſed ſuſcitatâ inter Maximilianum Cæſarem, & Rempublicam Venetam belli flammâ, ab hujus Patritio Antonio Contareno expugnatur, brevi tamen laboris fructu; glorioſior enim Aquila ex Leonis unguibus ſuum hunc montem quantocyus avulſit. Multò atrociorem experta eſt hoſtem Adlersberga, quando ab anno 1559. ad ejuſdem ſeculi 64. Turcarum rabies ter in eam crudeliſſimè deſæviit. Non procul hinc grandis patet per rupem hiatus, quem Valvaſorius ipſe diſcuſſa facibus caligine per duo circiter germanica milliaria ſe penetraſſe teſtatur, nec tamen ejus terminum attigiſſe; quinimo nemo adhuc quamvis longiùs proceſſerit, eum dicitur aſſecutus. Subeuntium oculos partim recreat ludibundæ naturæ ſcalpro efformata figurarum varietas, quas ſcilicet defluens ex petrarum rimulis aqua, ſenſimque in lapidem converſa fortuitò repræſentat; partim terrent dehiſcentes in profundum voragines, in quas demiſſus lapis non niſi poſt ſat longam moram ſe in aquas prolapſum edito ſtrepitu manifeſtat. Tres aliæ ſub montibus cavernæ unico milliari Adlersbergâ abſunt apud Cobenzeliorum Comitum Arcem hiantes, quæ vulgò Germanis Lueg, Carniolis Jama nuncupatur: harum altiſſima occurrit in ſuperiori rupis parte, quæ Arcem ipſam tegit: ad quatuor milliaria ea deſcendere fertur, & ad oppoſitum montis latus pertranſire, ſed ob fures, qui ad exſpoliandam Arcem illac

irrepſerant, obturatus uterqùe introitus hactenus nemini patuit. Per infimam ad montis radices ſitam ſubterraneus decurrit fluvius, in quem experimenti causà projecta aliquando anas è Vipaci fontibus tandem prodiit. Tertia his duabus celebrior paulò infra Arcem aperta, poſt unius milliaris intercapedinem terminatur, in quam Valvaſorius jam anguſta, ſed longa ambulacra, jam ampla interdum conclavia lapideis columnis fulta, & elegantiores, quàm in Adlersbergenſi ſpecu effigiantis naturæ luſus obſtupeſcebat. Alias quoque cryptas apud S. Cantiani Templũ pari ferme itinere Adlersbergâ remotum mirantur incolæ; in iis quippe lapideæ hominum formæ, ſedilia, textoris inſtrumenta, aliaque domeſtica ſupellex ab illudente pariter natura ita affabrè elaboratur, ut quidam etiam ex minùs rudibus ſibi perſvaſerint, veros ibi homines quondam extitiſſe, ſed anno 1348., quo horrendus terræmotus Carnioliam concuſſit, ab inclinatis ad ſe invicem montibus incluſos tandem in ſaxum induruiſſe. Per unam ex his S. Cantiani cryptis editiori coopertam arcu illabens amnis ad longum ſpatium piſcatorias cymbas tutò deportat, quibus ſtudioſus harum rerum ſcrutator Valvaſorius aliquando vehebatur. Hujuſmodi ſpecubus tota pene abundat Provincia, ſed cùm nil aliud peculiari memoria dignum ſuppeditent, ne tædio lectores afficiam, eas ſingillatim deſcribere prætermitto.

AINEDA.

AIneda vulgò Germanis Ainödt, Carniolis Soteska ſumptuoſa Gallenbergicorum Comitum Arx inter ſplendidiſſima totius Provinciæ ædificia jure merito computatur. Attollitur illa ſupra Gurcæ amnis ripam 7. milliaribus Labacò diſſitam: quatuor conſtat lateribus, quorum angulos totidem ſolidæ turres exornant ſimul, & muniunt; ex harum una, ſi quis per feneſtram clariorem emittat vocem, à mira confeſtim echone ea ſexies iteratur. Cæterùm quidquid ad loci amœnitatem, animíque relaxationem expeti poteſt, hìc præſtò eſt; hortus rara florum varietate oculos oblectans, & peregrinis fructibus gulam irritans: fluvius multo piſce refertus, ſylva feris, avibuſque frequentata. Recens eſt opus à Comite Georgio Sigiſmundo à Gallenberg primò excitatum, deletò ſcilicet priori domiciliò, quod Domini à Scheyr quondam erexerant, poſtquam Hermannus Cileienſis Comes veterem Ainedam in propinquo ſitam funditus evertiſſet.

AUERSBERGA.

AUersberga vulgò Germanis Aursberg Carniolis Tryackh magnifica Arx 3. milliaribus Labacò diſtans, & ex præalta, cui inſidet, rupe latiſſimo fruens per Carnioliam proſpectu, nobiliſſimæ Auersbergicorum Principum, ac Comitum proſapiæ nomen dedit. De hujus primordiis conjectans, iterum à ſcopo aberrat Lazius, dum Aurupium notam Straboni, (a) & Antonino Urbem iſtic collocat; ex allegato enim ſuperiùs itinere, quod Seniâ Siſciam hodie Siſſeghum Croatiæ locum ducit, manifeſtè apparet, eam longè ab Auersbergenſi Caſtro removeri: quapropter haud opus hìc erit Octaviani Auguſti ſua, ſuorumque militum virtute Aurupium occupantis victoriam ex Appiano memorare. Antiquiſſimam tamen illius originem indicat Schönleben, dum refert anno circiter 1060. Conradum I., Adolphum II., & Pilgrinum I. Auersbergicos fratres, cùm in veteri Auersberga, cujus rudera in demiſſiori montis latere ſuperſunt, anguſtiùs habitarent, novum Caſtrum vulgò Ober-Aursberg à fundamentis exorſos condidiſſe. Stetit illud ab omni hoſtium inſultu immune, uſque ad annum 1140., quo Otto Ortenburgicus in Carinthia Comes Henrici, & Agnetis Auersbergicæ filius, maternam prætendens dotem adversùs Pilgrinum III. avunculum ſuum infeſtis progreſſus ſignis, ſuperata montis arduitate arcem obtinuit, & vaſtavit. Vix eam Adolphus ad priſtinum reduxerat ſplendorem, cùm novum cietur bellum, quo anno 1200. acriùs fervente, Goritienſis Comes Aquileienſi Patriarchæ Volchero, & Ortenburgicis fœdere junctus, non minori, quàm Otto, clade Auersbergam affecit. Verùm rurſus inſtaurata hodiernam, quam ſpectantibus offert, majeſtatem ſenſim conſecuta eſt, & interim partâ in repellendis à ſe Turcis gloriâ, antiquum, ob quod bis victa erubuerat, dedecus fœliciùs abſterſit. Innumera per Arcis conclavia pendent Turcarum, aliorumque hoſtium ſpolia, quæ militarem Auersbergicorum Procerum virtutem, quamvis muta, deprædicant: extra Arcem verò notatu digna ſunt cryſtalli, & candidiſſimi marmoris fruſta, quibus teſte Valvaſorio ſubjecta rupes ditatur.

(a) Lib. 4.

CIRCKNICIUM.

CIrcknicium vulgò Circkniz Oppidum quinque, vel ſex milliaribus Labacò diſſitum ab anno 1522. uſque ad ejuſdem ſe-

ſeculi 6o. quatuor Turcarum inſultibus, ac direptionibus ſuccubuit: ab uno latere præaltis clauditur montibus, ab altero mirum aperitur ſpatiũ, quod nunc ager, nunc pratum fruticoſum, modò lacus triplici à natura ſibi concredito munere fungitur. Innotuit jam olim hic locus Straboni his eum verbis indicanti: (a) *A Tergeſta tranſmiſſio eſt per promontorium ad paludem nomine Lugeam.* quem textum alii ita latinè reddunt. *A Tergeſte tranſitus per Ocram ad Lugeam paludem*, vel, *Lugeum lacum*, utì nonnullis arridet, quibus mox ſubjicit Cluverius: *Lacum Circonicenſem hìc intelligi nemo hactenus dubitavit.* Altiſſimis undiquè coronatur alpium jugis, inter quæ maximè eminet, quod ab Auſtro ſurgit Javernig vulgò appellatum. Lacus ab Ortu ad Occaſum uno ex majoribus Germanicis milliaribus in longum extenditur, dimidium latitudo occupat à Borea ad Meridiem expanſa, maxima verò profunditas ultra 24. pedes non deſcendit; treſq; ſemper emergunt inſulæ, quarũ una habitatur, reliquæ non niſi arboribus implentur. Triginta circiter in eo patent cavernæ, ex quibus Septembri, vel Octobri menſe adeò veloci curſu erumpit aqua, ut intra 24. horarum intervallum, & interdum citiùs præſcriptos à natura limites aſſequatur; & quod magis mirere, ingentem vim piſcium ſecum attrahit, præſertim luciorum, qui duos ſæpe cubitos longitudine excedunt, quin imò implumes, cæcaſq; anates ſimul evehit, quæ intra 14. dies pennas, oculoſq; acquirunt. Lentiùs circa finem Junii recedere ſolet aqua per eoſdem ſubterraneos meatus, è quibus prodierat, nam 25. dies plerumque elabuntur, antequam penitus exſiccetur: aliquando autem toto anno non abit, imò etiam, ſed rariùs, duobus, tribus, quatuor, aut quinque annis in ſua ſtatione jugiter perſeverat, utì accidiſſe ferunt anno 1655: interdum econtra intra unius anni periodum ſæpius viſa eſt diſcedere, ac rurſus reverti; nunquam tamen integro anno eam abfuiſſe incolæ meminerunt: ſæviente atrociùs hyeme, ita gelu conſtringitur, ut onuſta plauſtra ſuſtentet. Dilapſis de more aquis, 24. dierum ſpatio adeò altè excreſcit gramen, ut optimum indè fœnum eo tempore ſecetur: dein milium ſeritur, metiturque, pinguis enim, opimaque illius gleba largo, celerique fœnore ſegetem offert. Peracta meſſe, multiplici ſtirpium, fruticumque germinatione ſylveſcens tellus leporibus, apris, lupiſque campum ſtabulationi aptiſſimum præbet, unde & frequens inſtituitur venatio, donec regreſſa cum piſcibus aqua ad horum capturam invitet. Hæc ex uberiori Valvaſorii deſcriptione excerpſi, qui iteratis obſervationibus longè meliùs, quàm Schönleben in pluribus aberrans, hujus lacûs naturam exploravit.

(a) Lib. 7.

CRAINBURGUM.

CRainburgum vulgò Crain, ſeu Crainburg venuſta Civitas, & Carnioliæ Marchionum olim ſedes Savo fluvio adjacet, ubi hic à Canckera amne augetur, & ab hodierna Provinciæ Metropoli 4. milliaribus abſcedit. Quinque intra Urbem numerantur Templa, Parochiale ſcilicet D. Cantiano ſacrum, duo B. Virgini devota, & totidem alia S. Sebaſtiano, & SS. Florentiano, & Valentino dicata; extra Urbis verò ambitum Venerabilis Capucinorum Ordo Templum, Cœnobiumque incolit anno 1640. exſtructum. Præter Templa memorabilis eſt Crainburgi Arx vulgò Kieſelſtein dicta, & ab Henrico II. Comite Ortenburgico, annuente Udalrico Carinthiæ Duce anno 1262. ædificata: nomen hæc à ſilice ſumpſit, ex quo non modò ipſa, ſed & univerſa Civitas conſtat. Ardente ab anno 1435. inter Auſtriacos, & Cileienſes bello Joannes Witovicius, qui his militabat, aucta à ruente è cœlo imbre nocte, Crainburgenſes nil minùs præſtolantes opprimit, Urbemque expugnat; verùm non diu illi licuit victoriâ perfrui, nam paulò poſt Friderici IV. Cæſaris copiæ occupatâ nocturno pariter tempore Civitate Cileienſes expulerunt.

DOBRAVA.

DObrava Pagus eſt uno milliari à Carnioliæ Metropoli disjunctus, quem maximè nobilitat B. Dei Genitricis miraculis claræ Sacrarium inter antiquiſſima totius Provinciæ Templa recenſitum, & plurimis accolarum ſupplicationibus frequentatum; beneficia enim, quæ Miſericordiæ Mater ſuis clientibus iſtic liberaliter elargitur, circumjacentium attrahunt populorum accurſum. Inter collatas gratias ea memorari præ reliquis meretur, quam Labacenſis Civitas huic Thaumaturgæ in acceptis refert, & ſequenti inſcriptione in hoc Templo affixa jugiter deprædicat: *Quòd hìc ſibi locum gratiæ elegerit, miraculis clareat, totamq; Carnioliæ Provinciam à peſte in quartum annum ad confinia uſque graſſante miraculosè ſalvaverit; ſe, & ſuos in perpetuum gratitudinis mnemoſynon Æmona devovet anno 1682.* Uno abhinc lapide obviat Strobl-hovienſis Arx, apud quam plures parvos achates, & jaſpides, interdum etiam ovi

magnitudinem æquantes ſe collegiſſe affirmat Valvaſorius.

GOTTSCHEVIA.

GOttſchevia vulgò Gottſchee 8. milliaribus Labacò in Euronotum recedens Urbs eſt peculiaris, & cognominis Diſtrictûs primaria, qui à nonnullis Vinidorum Marchia nuncupatur. Ingens de nominis etymo, Urbiſque exordio fervet inter authores diſceptatio; quidam enim à Germanica voce *Gott ſegen*, alii ab alia *Guet ſee*, alii verò ab antiquis Gothis illud derivari, paribus argumentis, id eſt arbitraria ubique aſſertione contendunt: ſpecioſior ſaltem eſt de origine, quàm de nomine quæſtio, cui ſingularem anſam præbuit Theutonicum idioma, quod inter nationes Slavico utentes, apud Gottſchevienſes etiamnum viget; id enim eos à Germanis ortum ducere manifeſtè prodit. Hinc Valvaſorius (a) Gothorum his terris dominantium, Lazius verò apud Merianum Svevorum reliquias in iiſdem ſupereſſe opinantur; prior ſententia in vera de Gothis iſtic olim degentibus hiſtoria, & aliquâ vocabuli affinitate, poſterior autem in obſcuro quodam Jornandis textu fundatur; ſiquidem in Gothorum geſtis juxta Auguſtanam anni 1515. editionem ita ſcriptum reliquit: *Quieſcente eadem Hunnorum gente à Gothis, Hunnimundus Svevorum Dux, dum ad prædandas Dalmatias tranſit, armenta Gothorum in campis errantia deprædavit, quia Dalmatiis Svevia vicina erat, nec à Pannoniis multùm diſtabat; præſertim ubi tunc Gothi reſidebant.* Verùm paulò pòſt longè alios Svevis fines circumſcribit, dum ait: *Regio illa Svevorum ab Oriente Bojobaros habet, ab Occidente Francos, & à Meridie Burgundiones, à Septentrione Thuringos: quibus Svevis tunc juncti Alemanni etiam aderant.* In diverſa horum textuum editione cùm Schönleben non Svevos, ſed Svavos, nec Sveviam, ſed Svaviam legeret, hallucinatum Jornandem conjecit, & Svaviam, ſeu Saviam Pannoniæ Provinciam cum Svevia confudiſſe. Cæterùm utrique opinioni adverſatur recentior Gothſchevienſium origo, quam Labacenſis Præſul Thomas Chrön in Locopolitano Archivo anno 1509., teſte Valvaſorio offendit his verbis expreſſam: *Carolus IV. Imperator, Rex Bohemiæ devictis Franconibus, & Thuringis, ad petitionem Friderici Comitis ab Ortenburg, dedit ei trecentos viros cum conjugibus, & liberis in ſervitutem, qui aliàs debebant puniri propter rebellionem, quos tranſmiſit ad ſylvas, ubi nunc Gottſevia eſt, qui proceſſu temporis exciſis arboribus ſeptem Eccleſias Parochiales erexerunt.* Huic ego libentiùs, quàm reliquis ſubſcriberem, quia difficile creditu eſt, Gothos, vel Svevos in adeò exiguo terræ ſpatio à tot aliis nationibus, & præſertim Slavis deinceps occupato, & hactenus circumdato, per 12. ſecula ita ab iis ſejunctos perſeveraſſe, ut in alienos mores, & linguam haud tandem tranſirent; at me nonnihil moratur aſſerta ibi Caroli IV. contra Francones, & Thuringos victoria, cùm tamen nuſquam aliàs hiſtoriographi tradiderint, Cæſarem hunc cum iis populis bellum aliquando geſſiſſe; quod totius relationis fidem reddit eruditis ad minimùm ſuſpectam. Interim à veritate non abeſt, ſeptem Parœcias in Gottſchevienſi Diſtrictu contineri, quarum vernacula nomina profert Valvaſorius, nempe Neſſelthal, Rieg, Möſel, Tſchermoſchniz, Oſſianiz, & Alten-Laag; ſeptimam autem D. Bartholomæo ſacram Urbs ipſa complectitur forti muro, & quatuor in totidem angulis turribus utcunque munita, cujus magnam partem implet miræ amplitudinis Arx ab Auerspergico Principe Joanne Weichardo præterito nuper ſeculo ædificata. Ortenburgicos Comites ditione hac olim potitos concedit quidem prædictus Valvaſorius, ſed Fridericum ex ea ſtirpe oriundum primò illam ab Aquileienſi Patriarcha in feudum accepiſſe ſubjicit, quod expromptum ex Locopolitano Archivo Gottſcheviæ originem rurſus labefactat. Ab Ortenburgicis poſtmodum anno 1420. ad Cileienſes Comites, & ab his ad Auſtriæ Archiduces tranſiit, qui, ſervatô ſibi altô, ùt vocant, dominiô, Turrianis primò, dein Urſinis, & Khyſeliis conceſſere, ſub quibus anno 1623. Gottſchevia novô Comitatûs titulô inſignita eſt, ac demùm ad Auerspergicam decidit familiam, cui etiamnum paret. Interea ſæpius Turcarum experta eſt feritatem, qui in eam octies irruentes, direpta ſupellectile, incenſis domibus, largéque effuſo Civium ſanguine cuncta barbarè devaſtarunt: prima hujuſmodi irruptio incidit in annum 1469., cæteræ ſequenti ſeculo evenere.

(a) Deſcrip. Carn. l. 11.

GURCKFELDA.

GUrckfelda vulgò Germanis Gurckfeld, Carniolis Kèrsko tredecim milliaribus Labacò in Orientem diſtans, à Savo fluvio alluitur, in quem poſt unum milliare fluens Gurca explicatam in eo tractu planitiem, Urbemque denominat. Huic imminet in colle Arx plùs quàm terna ætatis ſecula enumerans; reliquus verò circumjacens ager amœnitatem undique ſpirat, etiam vitibus alicubi conſitus. Quadra-

tam

tam, claram apud Antoninum Urbem iſtic ſtatuit apud Merianum Lazius, ſed ea huc minimè quadrat, ſi deſcriptas ab illo itineris diſtantias accuratè metiamur; namque 88. paſſuum millibus Æmonâ, & nonnisi 28. Siſciâ Quadratam removet; quare longè aptiùs Gurckfeldæ conveniet celebrior Civitas Noviodunum etiam à Ptolomæo in Pannonia memoratum, & ab Antonino 60. paſſuum millibus Æmonâ disjunctum, quæ cum præſenti inter Labacum, & Gurckfeldam intervallo oppidò coincidunt; ita enim ſe habet iter ab eo authore deſcriptum, cujus termini certi videntur, reliqua verò loca à Schönleben non contemnenda probabilitate divinantur: nimirum

Æmona	M P	Labacum
Prætorium Latovicorum	XXXIV.	Ratſchach
Noviodunum	XXVI.	Gurckfelda
Quadratam	XXVIII.	Zagrabia
Siſciam	XXVIII.	Siſſegk.

Certè vix alia præter Noviodunum Civitas Gurckfeldenſi ſitui meliùs aptatur, & tamen aliquam ſplendidiorem Coloniam ibi floruiſſe neceſſe eſt, cùm plurima antiquitatum veſtigia, quæ paſſim eruuntur, id luculentè demonſtrent. Inter inſcriptiones maximè ſententiam noſtram confirmat illa, quæ in proximo Pago Wiher anno 1678. inventa mediumNovioduni nomen reliqua parte longô ævô exeſa præfert, ideóque hìc erudito lectori exhibenda *C. A. P. S. T. ÆLI. ADRIANI ANTONINI AUG. PII COS. FIL. II. D. T. IIII. --- ODUNI M. III.* Nummi præterea ex auro, argento, aliove metallo conflati magno numero in hoc campo effodiuntur, ita ut ultra ſexcentos unicus Parochus paucis ab hinc annis collegerit plurium Cæſarum nominibus ſignatos, Maximini ſcilicet, Hadriani, Antonini, Aurelii Severi, Veſpaſiani, Neronis, Trajani, aliorumque; item Juliæ Mammææ Auguſtæ nomen, atque etiam Regis Slavoniæ titulus in aliquibus ſpectatur. Nec longiùs abeſt annus, quo Ruſticus quidam in altero Gurcæ amnis latere ſupra quatuor nummorum millia ollæ incluſa reperit, in quibus nil aliud, quàm *CONSTANTINUS* legebatur. Epiſcopali dignitate in Pannonia Savia emicuiſſe Noviodunum, ſeu Novidunum cenſuit Inchoffer, (a) nullum tamen illius Præſulem in medium adfert, quo aſſertum ſtabiliat. Fama inſuper eſt ſola traditione ad poſteros tranſmiſſa, Conſtantium Imperatorem Conſtantini Magni filium, dum anno 353. milites contra Magnentium ducendos in Pannonia conſcriberet, Noviodum hybernaſſe, indéque Conſtantiæ nomen huic Urbi aliquamdiu adhæſiſſe, quod quibusdam inventis nummis confirmari poſſe, nonnulli crediderunt. Huic fundamento aliam ſuperſtruit conjecturam Schönleben, dum S. Pelagium, cujus hæc habetur in Martyrologio memoria: *Conſtantiæ in Gallia S. Pelagii Martyris, qui ſub Numeriano Imperatore, & Evilaſio Judice Martyrii coronam accepit.* Dum, inquam S. Pelagium 25. annorum juvenem non Conſtantiæ ad Potamicum lacum, ubi ſacra ejus lipſana hodie coluntur, ſed Novioduni, id eſt Gurckfeldæ, glorioſum agonem confeciſſe ſuſpicatur, his ductus rationibus, quòd ille Æmonæ, ſeu Labaci natus à Vitæ ſcriptoribus unanimiter dicatur, quodque ejuſdem nominis Præſes Evilaſius eo ipſo anno, quem S. Pelagii martyrio conſignant, nempe 284., Cileiæ reſidens S. Maximilianum Epiſcopum ſimili morte ad immortalem lauream promoverit: quibus addit cum Cluverio Ciſalpinam Galliam in Japidiam uſque primis æræ Chriſtianæ ſeculis fuiſſe porrectam, unde bene dictum foret: *Conſtantiæ in Gallia.* Nec hodiernis Conſtantienſibus multùm patrocinatur ſacri corporis præſentia, cùm hoc ab illorum Epiſcopo Salomone Româ anno 918. allatum eſſe non ignoretur. Fateor ex hiſce ſpecioſis argumentis dubium aliquod ſuboriri poſſe, ſed ad rem certiùs definiendam majori adhuc pondere procul dubio egerent. Novioduno veteri à barbaris exciſo Noviodunum novum ſeu Gurckfeldam revertamur, ubi anno 1639. Venerabilis Capucinorum Ordinis Aſceterium in ſpirituale Civium ſolatium extructum eſt, cùm Parœcia Deiparæ dicata aliquo intervallo ab Urbe abſit.

(a) In app. ad ann. Hung.

HYDRIA.

HYdria vulgò Idria Oppidum mercurii fodinis celeberrimum ternis majoribus milliaribus Labacô recedens, & Goritienſis Comitatûs fines, ad quem aliàs ſpectaſſe dicitur, proximè attingens, in profundiſſima jacet valle celſis undique montibus ſepta. Prima illarum inventio ad annum 1497. cuidam Ruſtico adſcribitur, qui dum aquam ex fluente illac rivulo hauriret, materiam quandam ſibi ignotam in ſitula oſtendit, quæ aurifabris oſtenſa anſam præbuit hujuſmodi metalli ulteriùs perquirendi, quod & fœliciſſimè ceſſit, apertis jam pluribus fodinis, è quibus mercurius eruitur ad longinquas etiam Provincias tranſferendus. Quæ D. Barbaræ Patrocinium agnoſcit, 125. paſſus, ſeu integrum ſtadium ad fundum uſque numerat, atque omnium optima, & maxima fœcundi-

ditate celebratur. Hujus ingreſſus in directum aliquamdiu protenditur, ſed adeò demiſſus, ut ſtantem juſtæ altitudinis virum ægrè patiatur: indè ad lævam deflectitur, ubi patet deſcenſus ab initio quidem non præceps, ſed paulò pòſt per ſcalas ad perpendiculum erectas perficiendus, donec tandem ad infimam cavernæ partem deveniatur, ubi lapides mercurio prægnantes effodiuntur. Deſcriptam hactenus viam, ac fundum, ubi exciſi quidam viculi per montis viſcera ulteriùs penetrant, abiegna muniunt fulcra arctiſſimè, denſiſſiméque conjuncta. Subterranea aqua, quæ in foſſam confluit, ne operas à labore arceat 52. exhauritur antliis, quæ ſimul connexæ ſupra rotam à torrente per artem illuc deducto motam volvuntur, ipſaque, quæ evehitur, aqua per canales derivata diverſis aliis uſibus adaptatur. Materia effoſſa hydraulicô pariter artificiô, quod unicus homo dirigit, ab imo ſurſum attrahitur, dein eam in amne ſæpius eluunt, & interim per decem, aut duodecim ſemper arctiora cribra tranſmittunt, donec metallum eliciant. Duplicis hoc eſt generis; aliud enim virgineum dicitur, quod vel ſola dilutione acquiritur, vel jam purum ex ipſa rupe ſtillat; aliud vulgare, quod igne extorquetur.

HYPERLABACUM.

HYperlabacum vulgò Germanis Oberlaybach, Carniolis Verhnika, amplum eſt Oppidum 3. milliaribus Labaco abſens, quod Labacus fluvius præterfluit, & Parochiale S. Pauli Templum cùm alio Sanctiſſimæ Trinitati dedicato exornat. Nauportum celebrem Urbem à Tauriſcis ædificatam hìc quondam extitiſſe, certiſſimum videtur; nullum enim ampliùs dubitandi locum relinquunt, tum Itineraria ſuperiùs allegata, ubi diſtantiæ Longaticô, nunc Logatez, & Æmonâ nunc Labacô Nauportum uſque à veteribus adſcriptæ cum hodiernis ad amuſſim conciliantur, tum Strabonis deſcriptio hunc ipſum, de quo agimus, locum vivis coloribus repræſentans, ſic namque ſcribit: *Ocra humillima prorſus alpium pars eſt, ubi Carnis adjungitur, qua ex Aquileia onera plauſtris ad Nauportum* (alicubi legitur *Namportum*) *devehuntur, inde per fluvios ad Iſtrum uſque vectantur, locaque huic vicina. Nauportus enim amnis ex Illyriis* (hoc eſt Japidia Illyrico à quibusdam attributa) *navigabilis defertur. Intrat autem Savum, ut facilè in Segeſtanam oram & Pannoniam delabatur.* Et alibi (b) *Poſt Promontorium ex Aquileia conſcendentibus Nauportum ſtadia ſunt CCCCL. ad quam rhædæ perducuntur. Ea verò eſt Tauriſcorum Colonia: quamquam nonnulli D. eſſe dicant.* Hodie quoque juxta Hyperlabacum attolli incipiunt alpes, per quas lapidoſa admodum via in Forum Julii, ubi Aquileiæ rudera viſuntur, peregrinos frequenter hâc commeantes ducit; unde pariter onera plauſtris, clitellis, & bajulorum humeris hucuſque deportata, navibus committuntur Labacum, & ultra deinceps promovenda. Neque Cornelium Tacitum (c) latuit Nauportus, dum Pannonicarum Legionum tumultus poſt Auguſti Cæſaris mortem concitatos ſuis annalibus inſereret, ubi *interea*, inquit, *manipuli ante cœptam ſeditionem Nauportum miſſi, ob itinera & pontes, & alios uſus, poſtquam turbatum in caſtris accepere, vexilla convellunt: direptiſque proximis vicis, ipſoque Nauporto, quod municipii inſtar erat, retinentes Centuriones irriſu, & contumeliis, poſtremò verberibus inſectantur.*

(a) Lib. 4.

(b) Lib. 7.

(c) Anna. l. 1. n. 20.

JOCOSA VALLIS.

JOcoſa, ſeu Jucunda Vallis Germanis Freudenthal, Carniolis Biſtra celebris, antiquaque Carthuſia ad Biſtræ, ſeu Feiſtriciæ amnis fontes 3. milliaribus Labacô remota, amœniſſimo gaudet ſitu, & nomini ſuo quàm optimè reſpondente. Amplum quidem eſt ædificium, ſed rudem veterum ſimplicitatem potiùs, quàm præſentis ævi elegantiam oſtentans. Huic erigendo initium dedit anno 1255. Bernardus Carinthiæ Dux, coronidem verò impoſuit à paterna pietate minimè degener Udalricus, locuplete fundatione anno 1260. in Religioſorum alimentum aſſignata, cujus literas ab his verbis exorditur: *In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Amen. Ulricus Dei Gratia, & miſeratione Divina Dux Carinthiæ, & Dominus Carniolæ, nec non Iſtriæ, & Karſti, Prioribus Vallis Jucundæ in Wröinz, & Conventui inſtitutis, & inſtituendis perpetuam ſalutem in vero ſalutari.* Subſcripti illis ſunt hoc ordine teſtes, nempe Dietricus Venerabilis Gurcenſis Epiſcopus, Burchardus Prior Vallis S. Joannis. G. Prior de Girowe, Frater Henricus, & Frater Witigo Prædicatores, Henricus D. Ducis Capellanus, Ulricus Comes de Hevenberg, aliique plures. Lætam hanc, Jucundamque Vallem graviſſimâ affecit triſtitiâ anni 1382. incendium, quo correpta Carthuſia tota in cineres concidit. Revixit tamen ad inſtar Phœnicis, & utì veroſimile eſt, multò venuſtior, inſumptis in ejus inſtaurationem quatuor circiter luſtris, cùm anno 1402. Conradus Patriarchæ Aquileienſis Vicarius cœmeterium inibi conſecraſſe à Valvaſorio (d) feratur. Nihilominus dila-

(d) Deſcrip. Carn. l. 11.

dilata per integrum ſeculum videtur Templi, quod hodieque extat, conſecratio, nisi credere malimus, ab alio rurſus infortunio illud fuiſſe violatum; namque ex manuſcriptis Cœnobii inſtrumentis verba hæc profert præcitatus author: *Anno 1483. Sigiſmundus Epiſcopus Labacenſis conſecrat Baſilicam ſupra valvas Eccleſiæ Domus S. Mariæ in Franiz Carthuſienſium, Dominica ante feſtum SS. Primi, & Feliciani, eamq; pro die anniverſario dedicationis aſſignat, & perpetuas* 40. *dierum indulgentias concedit, dicens ſituatam in Valle Jocoſa, aliàs Franiz noſtræ Labacenſis Diœceſis.* Prævalente in Provincia Lutheranorum hæreſi, tot undique ærumnæ hanc Carthuſiam obſederant, ut parum ab interitu abfuerit; ſed illuceſcente rurſus Orthodoxæ veritatis ſole, ſereniores duxit dies, & ſuccollante Ciriani 18. annis Prioris munere functi induſtriâ, ad priſtinum ſtatum revecta non inani Jucundæ Vallis nomine appellatur.

LAASIUM.

LAaſium vulgò Laas Urbecula eſt cum deſerta in clivo Arce 6. milliaribus Labacò in Auſtrum abſcedens, quæ inter Oppida priùs computata Civitatis demum jura anno 1477. à Friderico IV. Imperatore conſecuta eſt. Propriis quondam parebat Dominis, dein Ortenburgicis, & Cileienſibus Comitibus, cum quorum Comitatu ad Auſtriæ Archiduces anno 1457. pervenit, non 1435., utì Megiſero videtur; hoc enim anno obſeſſum quidem eſt Laaſium à Friderici tunc tantùm Archiducis exercitu, ſed ejus Duce Chriſtophoro Fladnizero ab audaciore quodam Cive interfecto, cæteri obſidentes re infecta diſceſſere. Non procul hinc fluens amnis Laſera per montis cavernam paulò pòſt viam ſibi aperit, in qua tumulatur, quod & pluribus aliis fluviis in hac regione contingit. Unicum D. Petri Templum, quod in Urbe viſitur, S. Georgii Parœciæ in Pago Altenmarckt uno lapidis jactu extra muros poſitæ ſubjicitur, apud quam mediocriter ſublimis aſcendit mons binis SS. Petri, ac Martini Tempellis ſacratus, & veterum murorum rudera ſpinis, tribuliſque contegens; unde collocari cum Schönleben hìc forſan poſſet antiqua Japidiæ Urbs Terpo, ſeu Terponus, quam ab Octaviano Auguſto captam memorat Appianus Alexandrinus, qui anno 148. florebat: *Japodes*, inquit ille juxta P. Candidi verſionem anno 1472. editam, *ex inſidiis ſubitò apparuere, multoſq; affecere vulneribus, verùm major eorum pars ab his, qui ex apicibus decurrerant interfecti ſunt. Reliqui iterum ad ſylvas revertuntur, Urbem relinquentes, cui Terponus nomen fuit. Eam interceptam Cæſar minimè cremavit, ſatis arbitratus, pariter illos ſe eſſe dedituros, ut fecere.* Fundatur hæc ſententia in Metulienſis Urbis propinquitate, quæ ex Appiano colligitur, ejuſque ſitu in Pago, quem inter Laaſium, & Oblacum occurrentem Metule vulgus vocat, veroſimiliter reponendo; cùm non tam nominis ſimilitudo, quàm cæteræ circumſtantiæ Appiani deſcriptioni ad amuſſim reſpondeant; ſiquidem poſt allegata jam verba ita ſtatim progreditur Appianus: *Deinde ad aliam proceſſit Urbem; Metulium incolæ nuncupant, quæ Japodum primaria habetur Urbs, ſita eſt autem in monte nemoroſo, duobus condita tumulis, quos vallis modica interſecat.* Quæ omnia ibidem hodieque adeſſe, aſſeverat oculatus teſtis Schönleben, duos videlicet colles, quos modica dividit vallis in prædicto Pago cum S. Antonii Abbatis Sacello habitata: à collium tergo vaſta denſatur ſylva, in fronte campi planities ingens aperitur. Aliquod tamen dubium objicit mihi exigua inter eum Pagum, & Laaſium diſtantia, unico quippe Germanico milliari ab invicem ſeparantur, nec adeò veritati conſonum apparet, binas, ùt videntur, celebriores Urbes tantillo intervallo fuiſſe ea tempeſtate diſſectas. Cæterùm nullus dubito, quin Metulium, ſeu Metulum, prout eam Civitatem inter Japides in alpibus ſitos appellat Strabo, (a) per hunc Carnioliæ tractum inquirendum ſit, non autem in Styriæ limine, in Mednica ſcilicet Valle ex monte Trajanaberg, ſeu Dranberg ſe ſe demittente, ubi illud ineptiſſimè venatur Lazius (b) immemor ſe alibi Labacenſem agrum inter Mednicam, alpeſque interjacentem Pannoniæ adſcripſiſſe, unde fieri non potuit, ut ad Styriam uſque Japidia promoveretur. Sed Metulium, à quo nos longè abduxit Lazius, regreſſi celeberrimam apud Appianum hujus Urbis obſidionem ab Auguſto Cæſare anno ante Chriſtum 32. fœlici eventu terminatam contemplemur. Romani itaque, ductis circumquaque caſtris, muros crebris ictibus verberabant, ſed illos obſeſſa juventus ad trium millium numerum armis, animiſque præpollens facili negotio ab acceſſu prohibebat: extimo tamen muro interim hiante, ad alterum interiùs extructum Metulienſes ſaltu delati ad ſtrenuam rurſus defenſionem ſe ſe accingunt: deſerta mœnia adepti Romani geminos aggeres attollunt, quos quaterni pontes uſque ad ſecundum murum protenſi cum hoſtium propugnaculis jungebant: per hos Cæſar, qui in edita turri rei exitum opperiebatur, jubet

(a) Lib. 7.

(b) Com. Reip. Rom. l. 12.

jubet milites Urbis aditum tentare ; verùm uno ex Pontibus, mox altero corruente, cùm tertius in ruinam laberetur, tantus Romanos inceſſit pavor, ut ad quartum progredi, nequidquam eos increpante Cæſare, detrectarent : tum ille arreptô clypeô è turri deſiliens ad pontem properat, pauciſque comitantibus jam hoſtes provocabat, quô viſô milites rubore tandem ſuffuſi ad Cæſarem confeſtim advolant. Sed nimio onere oppreſſus pons ſecum plurimos præcipites traxit, ex quibus nonnulli periere ; alii ferme contritis membris efferebantur : Imperator crus dextrum, & utrumque brachium ſaucius, infracto tamen animo turrim repetens, protinus mandat, ut ſtrato quintùm ponte aſſultus iteretur. Invicta hæc Auguſti conſtantia adeò Metulienſes terruit, ut poſtridie Legatos de pace acturos ad eum miſerint cum quingentis obſidibus, quos idem poſtulaverat ; dein permiſſo Romanis editiori tumulo in humiliorem omnes deſcendunt, ad quorum cuſtodiam deſtinati præſidiarii milites, cùm arma deponere, quod pacti non fuerant, eos juberent ; hi mulieribus, puerisque Senatûs conclavi incluſis, & admiſsâ, utì ſpoponderant cuſtodiâ, Romanis annunciant : *Si quid inſolitum erga eos moliri audeant, ſe locum illum incenſuros, & cum deſperatione pariter Romanos invaſuros.* Quibus dictis, quaſi id exequi meditarentur, in unum coeunt ; tunc milites ultro faces Senatui admovent, quo conflagrante plurimæ matres ſe, ſuoſque filios trucidarunt, quædam etiam vivas proles flammis injiciebant ; ſicque aut igne, aut ferrô Metulium, & Metulienſes conciderunt, *ita ut nullum*, Appiani verba ſunt, *tam ingentis Urbis ſuperfuerit veſtigium.*

LANDSTRASSIUM.

LAndſtraſſium vulgò Germanis nunc Landſtraſs, olim Landſtroſt, Carniolis Koſtainavèza in Gurcæ fluminis inſula undecim milliaribus Labaco diſſita continetur. Urbecula hæc vilibus præter mediocrem Arcem habitatur ædibus, nec aliam præter Parochialem D. Jacobi Eccleſiam complectitur. Plurimos diverſæ ſtirpis Dominos recenſet, quibus jam à multis ſeculis obtemperavit ; namque poſt eos, qui indè nomen ſumpſerunt, modò Carinthiæ Ducibus, aut Ottocaro Bohemiæ Regi, modò Cileienſibus Comitibus, aut Auſtriæ Archiducibus totius Provinciæ fortunam ſecuta ſubdebatur. Turcarum bis viciniam depopulantium impetum fortiter excepit, totidemque vicibus fortiùs rejecit. Vix uno ab hac Urbe lapide recedit amplum quidem, ſed veterum more extructum ejuſdem nominis Cœnobium, aliàs quoque Frauenbrunn dictum, quod Bernardus Carinthiæ Dux, ut ob victoriam contra Bambergenſem Epiſcopum obtentam ſe Deo gratum exhiberet, ſacro Ciſtercienſium Ordini anno 1248. excitavit. Unico hinc milliari abeſt inter fertiliſſimi ſoli delicias Pletria, vulgò Pleteriach nobilis quondam Arx Sicherſtein appellata, & ab Hermanno Cileienſi Comite anno 1407. converſa in Carthuſiam, prævalente poſtea in Provincia hæreſi extinctam ; nunc autem ſuis proventibus Labacenſe Societatis Jeſu Collegium ſuſtentat.

LOCOPOLIS.

LOcopolis vulgò Germanis Biſchofflach, Carniolis Schkofialoka amœna Civitas 3. milliaribus Labacô remota, à duobus alluitur amnibus, quorum unum Pollant, ſeu Polantſchitscha, alterum Zayer, ſeu Sura vulgus appellat. Hanc Urbem ejuſque diſtrictum, qui intra decem milliarium circuitum 200. circiter Pagos complectitur, Friſingenſi in Bavaria Epiſcopatui donavit D. Henricus Imperator, utì Meriano & Valvaſorio videtur, vel jam antea Otto II., utì Schönleben, adducto donationis diplomate, cujus alibi meminimus, ad annum 973. ſuadere conatur. Tribus abhinc ſeculis adhuc inter Oppida habebatur, ſed à Bertholdo Friſingenſi Præſule ſub id tempus muris hodieque extantibus munita, evaſit digna, quæ Civitatibus accenſeretur. Adjacet ei lenis clivus, ſupra quem eminet Arx Præfecti Friſingenſis Sedes. Intra Urbem ſpectatur ſacrarum Deo Virginum Monaſterium, quod olim ſupra quinquaginta alebat Sanctimoniales ; nunc verò pauciſſimas enumerat, bellorum, & hæreſis injuriis graviter attritum. Ejus conditor hodie latet longa jam oblivione ſepultus ; nonnulli tamen concordibus Auſtriacorum Principum, Friſingenſium Antiſtitum, & Dominorum à Purgſtall ſubſidiis nobile hoc antiquæ pietatis veſtigium divinando adſcribunt. Templum recentis ævi opus eſt anno 1669. à Labacenſi Epiſcopo primò conſecratum. Parœcia D. Georgii patrocinio tradita modico ſpatio ab Urbe abeſt : ad hanc 18. aliæ referuntur Eccleſiæ, inter quas clariſſima eſt ad S. Mariam in Ehrengrub crebris accolarum ſupplicationibus frequentata. Paulò plùs Locopoli abſcedit ſumptuoſiſſimum Palatium vulgò Ehrenau dictum inter hortorum delicias à Franciſco Andrea Barone à Lampfrizham Locopolitanæ ditionis Præfecto non ante multa luſtra excitatum

tum, in eo videlicet tractu, ad quem anno 1283. Ericho Frisingensis Præsul ex Tyrolensi Valle Pusterthal colonias traduxit, constitutis ibi binis Pagis Feuchting, & Zeyrn, ubi adhuc hodie Germanicam linguam callent coloni, tametsi depravatam.

LYTHOPOLIS.

LYthopolim, seu Steinam vulgò Stein Germanis, Carniolis Kamnèk Urbem à lapidum acervis, quorum in hac regione ingens suppetit copia, suum nomen juxta Valvasorium adeptam, amœna trium milliarium planities à Provinciæ Metropoli divellit; ac Feistricius amnis irrigat, qui per binos editos montes à Septentrione delabitur. Florebat illa olim nobilium ædibus ornata, qui ut à Turcarum in Carnioliam sæpe desævientium acinace jugulum subtraherent, huc affluere consveverant; nec minùs vigebat commercium ea de causa plurimùm promotum; sed hæc unà cum barbarorum metu hodie defecerunt. In tria tamen adhuc populus effunditur Suburbia, in quorum uno vulgò Schütt nuncupato Parochiale surgit Templum Beatissimæ Dei Genitrici D. Elisabetham visitanti devotum: nulla autem intra muros clauditur Parœcia; non omni tamen sacra Æde Civitas destituitur, cùm præstò sit D. Jacobi Ecclesia SS. Primi, & Feliciani reliquiis ex Werdensi Carinthiæ lacu, ùt Schönleben putat, advectis decorata, cui Turriani, & Hochenwartii Comites unà cum aliis nobilibus Minorum Conventualium Cœnobium sub finem decimi quinti seculi addidere; sed imminentibus aliquando Turcis, Religiosi aliò remissi sunt, ut Parochia in Suburbio minùs tuta ibidem collocaretur, Cœnobii redditibus cuidam Nosocomio applicatis. Anno tamen 1627. illi reditum obtinuere, Parochiâ pristinæ stationi restitutâ. De Urbis insignibus, quæ mulieris formam in anguem desinentis præseferunt, lepida vulgatur fabella apud prædictum Valvasorium cum cæteris ad scopum nostrum minimè facientibus reperienda.

METLINGA.

METlinga vulgò Germanis Mötling, Carniolis Metlika Urbs est Arce instructa 11. milliaribus Labacò remota, & ad Colapim fluvium proximè accedens, ideoque in antiqua Vinidorum Marchia olim recensita; hanc enim geographi inter Gurcam, Savum, & Colapim fluvios, atque alpes post Gottscheviam se se attollentes circumscribere consveverunt. A Goritiensibus Comitibus ad Austriæ Archiduces transiit Metlinga sub annum 1374., privatis deinceps Dominis ab iis in feudum concessa. Parœciam D. Nicolao sacram administrat Pastor Præpositi titulò insignis; præter hanc adest etiam Theutonicorum Equitum Commenda, à quibus originem ducunt ternæ illæ Ecclesiæ in conspectu Urbis erectæ, & SS. Martino, Rocho, & Catharinæ consecratæ. Turcæ ter decimò quintò seculò, & quater ab anno 1500. Metlingensem districtum, aut Civitatem ipsam diripuerunt, sed anno 1578., quo postrema accidit eorum irruptio, fortiores experti sunt Civium animos, virosque, utpote ab illius obsidione gravi clade repulsi.

MICHELSTETTA.

MIchelstetta vulgò Michelstetten, Carniolis Velesalo nobile sacrarum Virginum D. Dominici leges sectantium Monasterium, aliàs etiam Frauen-, aut Marienthal vocatum, quatuor milliaribus Labacò abscedit. Illius exordium ex MSS. Martini Bautschneri annalibus in suos transtulit Valvasorius, ubi ex ipsiusmet Parthenonis documentis haberi dicitur, qua ratione sub annum 1300. Sacerdos quidam secus Michelstettensem Arcem venationi vacans, claram ex contiguo saltu vocem percepit, quam subsecutus ad sylvestrem pervenit pinum, unde illa oriebatur; tanti prodigii causa ut meliùs exploraretur, excisa arbor cubitalem Beatissimæ Virginis puerulum Jesum gestantis statuam obtulit, quæ auro postmodum illita, Templique aræ hodieque insistens accolarum patet venerationi, & patratis sæpe miraculis inclaruit. Ea de causa erecta ibidem est Deiparæ Ædes, ad quam Virgines quædam sensim accedentes collata simul dote religiosam vivendi normam amplexæ sunt. Huic origini aliam paulùm diversam subnectit Valvasorius ex fide dignissimis monumentis, ut ipse affirmat, excerptam; narrat igitur anno 1257. quendam S. Margarethæ Parochum, dum animi relaxandi gratiâ per nemora erraret, hoc monitum audivisse: *Hìc debet extrui Monasterium Dominicanarum*, post cujus sonum pergens (ter quippe repetebatur) in proceram incidit arborem, supra quam prædicta Dei Genitricis icon cum Jesulo prominebat, idque eo penitùs loco, quo nunc summa Templi ara spectatur. Hujus rei fama ab eodem Parocho divulgata Aquileiensem Patriarcham, Ottonem Austriæ Principem, & Albertum Oberburgensem Abbatem fertur permovisse, ut communi ære illius Ordinis Sanctimonialibus Parthenonem fun-

darent; at hæc manifesti arguuntur sphalmatis, cùm nullus tunc Otto Austriæ imperaret, sed deleta jam Babenbergicorum Austriæ Principum stirpe ea Provincia ab Ottocaro Rege prætenso anno obtineretur, nisi quis dicere mallet, tunc quidem miraculum accidisse, Monasterium verò altero primùm seculo ab Ottone Austriæ Archiduce anno 1339. vitâ functo fuisse exstructum; sed mirum videri posset, tot scriptores, qui piam hujus Ottonis in aliis sacris fundationibus liberalitatem celebrarunt, Michelstettensis Cœnobii nusquam meminisse. Tertia demum opinio ex vetustissimo, utì Valvasorius loquitur, codice eruta parum abfuit, quin has S. Dominici Religiosas Virgines ipso Prædicatorum Ordine ab Innocentio III. Papa anno 1215. primùm confirmatô fecerit antiquiores; siquidem ad annum 1221. earum primordia collocavit. Quare id unum certi ex his confici potest, admodum antiquam scilicet esse hujus Monasterii originem, cùm ea ita lateat tot discordibus documentis involuta. Extra illius limen assurgit rupes, cui incumbit Arx Frauenstein dicta consvetum sacrarum Virginum eò ascendentium asylum, quoties Turcicus furor per has oras grassabatur.

MINCHENDORFFIUM.

MInchendorffium vulgò Germanis Minchendorff, Carniolis Mekyne amplissimum D. Claræ Monasterium, & reliquorum omnium in Carniolia extantium pulcherrimum 3. milliaribus Labacô abest, & Lythopolitanæ Urbi proximè accedit. Hujus ortum, ac magnificos progressus ab accurata inscriptione discemus nigro marmori super hospitum conclave affixo ibidem insculpta, quæ simul nobilissimæ Gallenbergicæ Prosapiæ heroës nobis ob oculos ponet. Sic ergo ibi legitur: *Monasterium S. Claræ in Münchendorff, quod olim D. Sigefridus Nobilis de Gallenberg, Ottonis ex Gutta de Weissenecк filius; Wilhelmi ex Anna de Sumereck nepos; Sigismundi ex uxore, cujus nomen etsi vera neglexerit historia virtutem loquitur, pronepos; Sigefridi ex Bertha de Funkenberg abnepos; Schiegii ex uxore incomperta, & Ottonis ex conjuge Anna ab Ehrnfels, demum Ottolphi de Scherffenberg, qui circa annum M. primus condidit Arcem Gallenberg, trinepos, quadrinepos, & ultra; anno salutis MCCC. VII. Idus Octobris, die SS. Dionysii, Rustici, & Eleutherii MM. primus fundavit: hoc Georgius Sigismundus S R I Comes, & D. de Gallenberg S. C. M. Camerarius, Ducatus Carniolia Judiciorum Provincialium Præses, & supremi Capitaneatûs Locumtenens cum germano suo Joanne Friderico, hæreditarii advocati in Münchendorff, Fundatoris per XIII. generationes seri nepotes, vetustate jam cadens pene à fundamentis repararunt anno MDCLXXXII.* Adfert præterea Valvasorius tum fundationis literas, tum alias, quibus Sigefridus, Fridericus, & Otto Sigefridi fundatoris filii novis muneribus patris opus cumularunt. Huic Cœnobio prima omnium præfuit Clara Gallenbergica fundatoris pariter filia anno 1301. ei officio admota, cui aliæ 35. hactenus succesſere.

RATMANSDORFFIUM.

RAtmansdorffium vulgò Germanis Ratmansdorff, Carniolis Radovelza Urbs est cum speciosa Arce lævo Savi fluvii littori sex supra Labacum milliaribus insidens, atque in mediocri colle, quem profundâ fossâ undique natura circumdedit, elevata. Per Henrici tertii Cæsaris beneficium ex Oppido in Civitatem transiisse narrat Valvasorius, sed Merianus Lazium secutus Friderici IV. Imperatoris ætate inter Oppida Ratmansdorffium recenset, negatque modò patere, quandonam consveta Urbium jura impetraverit. Post Udalrici Cileiensis Comitis necem memoratus Fridericus cum exercitu Carnioliam subiens, etiam in hanc Urbem infesta convertit arma, quam paulò pòst obsessam cœpit, & à Witovicio Cileiensis viduæ Belliduce receptam, repetita obsidione sibi secundò subjugavit.

RUDOLPHIWERTA.

RUdolphiwerta, seu Neostadium vulgò Germanis Rudolphswert, seu Neustädtlein, Carniolis Novomesto Urbs peramœna in leni assurgit clivo, unde præterfluentem Gurcam despectat. Authorem sui colit Rudolphum IV. Austriæ Archiducem, qui eam & ædibus instruxit, & Civitatum privilegiis auxit dato anno 1365. diplomate confirmatis. His Maximilianus I. Imperator Collegiatam, ùt vocant, Ecclesiam D. Nicolao Episcopo devotam anno 1509. cum divite adjecit dote, qua undecim Canonici præter Præpositum, & Decanum in communi alebantur; at repetita sæpiùs infortunia ad quatuor tantùm Canonicos præter duas dignitates priorem numerum coarctarunt. Huic reliquo Canonicorum Collegio quatuor alia subsunt in Urbe Templa SS. Antonio Abbati, Georgio, Martino, & Catharinæ consecrata. Sextâ intra muros Ecclesiâ D. Leonardo sacrâ potitur Minorum S. Francisci Cœnobium

bium ab Eliſabethâ â Tſchernembl anno 1462. fundatum. In conſpectu autem Urbis ſtat Venerabilis Capucinorum Ordinis Aſceterium, anno 1660. condi cœptum; ſed poſt 12. annos cum Templo à Joanne Scnoglyanovich Senienſi, & Modruſenſi Epiſcopo D. Joſephi honoribus erecto tandem conſummatum. Excellebat quidem olim tum populi frequentiâ, tum mercium abundantiâ Rudolphiwerta; verùm quinquies à Turcis territa, & circumjacentibus bonis ſpoliata, dein ter ab epidemica lue, ſæpiùs à flammis ad extremam hominum, rerumque inopiam redacta, priſtinum vigorem nunquam recuperavit.

SITTICIUM.

SIttcium vulgò Germanis Sittich, Carniolis Sitizena vetuſtum, & percelebre Ciſtercienſis Ordinis Monaſterium 4. milliaribus Labacò in Orientem recedens anno 1135. erexit Peregrinus Aquileienſis Patriarcha, eique alterò annò præeſſe juſſit Vincentium ab ipſo S. Bernardo ex Gallia ſubmiſſum; fundationis tamen literæ non niſi anno 1156. datæ apud Valvaſorium leguntur. Ejus dotem additis latifundiis deinceps ampliarunt Marchiones Iſtriæ, Goritienſes Comites, Auſtriæ Archiduces, aliique complures à citato authore recenſiti, præſertim Viridis, ſeu Virida Barnabovii Mediolanenſis Principis filia, & Leopoldi Probi Archiducis in Helvetia cæſi vidua, unà cum pluribus Iſtriæ Marchionibus, & Agnete Udalrici Carinthiæ Ducis conjuge in hujus Cœnobii Templo tumulata. A Vincentio primo Abbate quadraginta ſex hactenus eo munere functi ſunt, quorum vigeſimus octavus Oſwaldus nomine anno 1482. gubernaculo admotus incenſum à Turcis Cœnobium è cineribus rurſum excitavit, haud diſpari calamitate anno ſequentis ſeculi 29. opprimendum: Reinprectus verò trigeſimus nonus anno 1604. in Abbatem electus amplum, quod hodie viſitur, ædificium à fundamentis evexit.

VIPACUM.

VIpacum vulgò Germanis Wipach, Carniolis Vipava Oppidum frequens olim, & amplum, modò exile ad Carniolíam quidem hodie refertur, ſed in Italia tamen jacet, utpote ad Auſtralem alpium radicem ſitum; harum quippe ſummitas, vel ipſo Schönleben annuente, Italiæ initium eſt. Illius tenuitatem illuſtrat magnificum Comitis Lanthieri Palatium recenter ibidem excitatum. Propriis quondam ſuberat Dominis, ſeu cognomen ſuum ab illo loco mutuantibus, indè ad Oſterwicios Carinthiæ Proceres devenit, ab his verò ad Herberſteinios, ex quibus Leonardus fertur anno 1487. à Friderico IV. Cæſare hoc Oppidum dono accepiſſe; ſequentis verò ſeculi annus 57. conſignatur à Bautſchnero Nicolai Comitis Turriani funere, quem ob multas legationes in Italia, Hiſpania, & Belgio pro Cæſare obitas Vipacenſi Caſtro ab eo donatum ſubjungit. Horrida, aſperaque alpium juga Turcarum impetum frangere nequivere, quò minùs anno 1478. hucuſque progreſſi totam viciniam expilarent; poſt ſex indè luſtra alteri patuit hoſti, Venetis ſcilicet, qui anno 1508. inopino aſſultu Vipacum occuparunt. Longa hinc extenditur ora generoſo amœnoque vinò, quod ibi legitur, celebrata. Præterea ſcaturit ex propinqua rupe Vipacus fluvius in eo alpium latere, quod Nauporti aliàs deſcripti fontibus opponitur, eſtque procul dubio famoſus ille veteribus fluvius, qui quondam Frigidus audiebat; id enim clarè demonſtrat Peutingeriana Mappa cum præſenti locorum ſitu comparata: illius iter huc pertinens in Labacenſi deſcriptione jam expoſuimus, quod nimirum Aquileiâ ducebatur ad Pontem Sontii, ad Fluvium Frigidum, ad alpem Juliam, Longaticum, Nauportum, Æmonam; hodie autem, ſi quis Aquileiâ diſcedens, poſt 14. paſſuum millia in veteri Mappa adſcripta Sontium, ſeu Liſontium trajiciat, ad alpes, quæ ante Nauportum occurrunt, profecturus, in nullum alium certè incidet fluvium, quàm Vipacum, cujus in eodem pariter loco meminit Antonini Itinerarium. Inclaruit maximè hic fluvius ob celeberrimam victoriam à Theodoſio Imperatore anno 394. de Eugenio tyranno prodigioſè partam: dilaudant illam ex veteribus Jornandes (a), Ruffinus (b), Theodoritus (c), Oroſius (d), Socrates (e), Sozomenus (f), aliique plures, ex quibus locum clarè deſignant partim Sozomenus, dum ait: *Eugenius maximum paravit exercitum, & portas Italiæ, quas Romani alpes Julias vocant, præoccupatas communit.* Et poſtmodum ita de Theodoſio ſcribit: *Oratione facta movet in Italiam, & cùm alpes conſecutus eſſet, primas cuſtodias occupat, deinde ſuperato tranſitûs vertice, cùm jam deſcendendum eſſet, campum plenum equitibus, ac peditibus videt.* Partim Socrates dum hæc narrat. *Fit itaque conflictus ad fluvium, quem Frigidum vocant.* Hìc ergò Theodoſius collecto militarium virium robore, certus obtinendæ victoriæ, quam Joannes Anachoretha prædixerat, in Eugenium cum Arbogaſte, Flaviano, & ingenti armatorum cater-

(a) De reb. Get c. 28.
(b) Lib. 2. c. 33.
(c) Lib. 5. c. 24.
(d) Lib. 7. c. 35.
(e) Lib. 6. c. 25.
(f) Lib. 7. c. 22. & 24.

terva adventantem prævio crucis signo in labaro, militumque armis renidente, exercitum movit, & quidem nonis Septembris Gothos præire jusserat, qui ab hostibus oppressi infœlicem totius rei exitum ominabantur; at Cæsar SS. Apostolorum Joannis, & Philippi aspectu, verbisque per noctem confortatus, universis postridie copiis prælium redintegrat, quo maximis utrinque animis exardescente, ubi Romani Romanis congrediebantur, æqualis erat pugna, ubi verò Gothi, cæterique Barbari pro Theodosio dimicabant, ibi vincebant Eugeniani; quod ille intuitus, super editam rupem, unde ab omnibus spectaretur, in terram procumbit, Divinamque opem ferventissimè invocat, nec suo voto frustratur; nam Bacurius eximiæ pietatis, virtutisque Tribunus cum primis Ducibus illuc suppetias ferens, ubi hostes superabant, rupta eorum acie, in fugam omnes convertit. Validissimus interim exortus ventus missa ab Eugenianis jacula in eosdem retorquebat, & quæ jaciebant Cæsarei, vehementiùs in hostes ferebantur, in quorum etiam ora elatus pulvis oculorum usum præpediverat. Hac ratione Theodosius victoriâ potitus Aquileiam perrexit. Jure igitur Claudianus, postquam cuncta hæc eleganti carmine ceciniſſet, ita exclamavit. (a)

(a) De III. Consul. Honо.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt in classica venti:
Alpinæ rubuere nives, & *FRIGIDUS* amnis
Mutatis fumavit aquis, turbâque cadentum
Staret, ni rapidus juvisset flumina sanguis.

WEICHSELBURGUM.

WEichselburgum vulgò Germanis Weichselburg, Carniolis Vischnagora Urbecula est infra Weichselbergam Arcem sita, & 4. milliaribus Labacò absens, quam Joannes Thomasich apud Schönleben 552. ante Christi nativitatem annis ædificatam tradit, aut fingit; cùm enim nulla antiquorum adferat documenta, nec priscum illius nomen prodat, meritò suspicionem ingerit, vixque ab eruditis assensum extorquebit. Magnianam inter Pannoniæ Superioris Urbes à Ptolomæo relatam dictum olim fuisse Weichselburgum divinat Schönleben, sumptò indè argumentò, quòd is author inter Æmonam, & Prætorium eam recenseat, sed observandum est Ptolomæum Urbium ordinem non juxta situm, sed dignitatem, aut libitum contexuisse. Hujus Civitatis Parœcia Sitticensi Cœnobio subjecta D. Ægidium ùt Patronum suum veneratur. Cæterùm illam splendidiùs quondam viguisse ferunt, at modò dirutis, aut mox ruituris ædibus inflictas sibi à bello, & igne plagas incolis, exterisque monstrat etiamnum obducendas.

COMITATUS GORITIENSIS.

FOrum Julium, seu Forum Julii, aut Forojulium Italiæ Regio intra alpes Carnicas, sinum Adriaticum, & reliquam Venetorum ditionem extensa à Carnis olim tenebatur, qui ex alpibus antiquissima eorum sede in hanc oram ad mare usque descendentes etiam Carniæ nomen illi indiderunt, & quidem multò ante susceptam in Noricum migrationem, quam in Carinthiæ descriptione suprà explanavimus. (b) Hujus asserti testis est Plinius anno Christi 80. vitâ functus, qui in Venetia, decima per eum Italiæ Regione, postquam Concordiam, & Aquileiam Urbes, Tilavemptum, Natisonem, & Turrum fluvios, aliaque Fori Julii loca recensuit, illico addit: *Carnorum hæc Regio*: testis Strabo circa annum 25. florens, qui Tergestum usque Carniam producit, cùm illud Pagum Carnicum appellet: testis demum Ptolomæus (c) anno 147. è vivis sublatus, qui in sexta Europæ Tabula ita scriptum reliquit. (d) *Civitates Carnorum mediterraneæ Forum Julium Colonia, Concordia Colonia, Aquileia.* Ex quarum Urbium prima Provinciam totam nomen suum sumpsisse, ulteriori demonstratione non eget. Hac potitus est anno 569. Alboinus Longobardorum Rex, qui Herulorum, Gothorumque secutus vestigia, è Pannonia in Italiam desolandam potiùs, quàm occupandam advolaverat, Italicis allectus fructibus à Narsete Eunucho Justiniani Cæsaris Archistratego dono missis, ut Barbaro Rege ad eos propiùs decerpendos invitato, objecta sibi à Sophia Imperatrice scommata ulcisceretur; cúmque ille animum intenderet, utì Paulus Diaconus narrat, quem Forojuliana Civitati, totique Regioni præficeret, Sisulphum, seu Gisulphum, ùt fertur, nepotem suum virum per omnia idoneum tandem elegit, in Cisalpinam Calliam mox progressurus. Gisulpho dein succedere alii ex Longobardica gente Duces, ex quibus Rachisius anno 744. ad totius Regni solium evectus, elapsò sexenniò in Cassinense Cœnobium concessit, ut vitam suam religiosis virtutibus satiùs, quàm cervicem auro coronaret. Verùm excisò paulò pòst à Carolo Magno Longobardorum Regnò,

(b) Lib. 3. c. 18.

(c) Lib. 7.

(d) Lib. 3. c. 1.

Foro-

Forojulienſes Duces ab Imperatoribus deinceps ſtatuebantur, quibus Carinthiæ, & Carnioliæ cura videtur aliquando demandata. Ex his Baldricus, cùm Magiſtratum ſegniter adminiſtraſſet, Bulgaris ſuperiorem Pannoniam impunè deprædantibus, anno 828. officio motus, quatuor Marchionibus, ſeu Comitibus, in quos tota Forojulienſis Marchia tunc diſſecta fuit, locum, dignitatemque ceſſit.

Eximiæ, ac peramœnæ hujus Provinciæ non infima portio Comitatus Goritienſis Auſtriaca ſceptra à longo jam tempore veneratur, reliquo illius tractu Venetis obtemperante, ſi Gradiſcam, & Aquileiæ buſtum excipias Eggenbergicæ proſapiæ cum adnexis Oppidis ſubjecta. Adeò procul â noſtra ætate abeſt inſignis hujus Comitatûs fons, & origo, ut vix ulla ſpes ampliùs affulgeat ad eam inoffenſo pede perveniendi, & fluentem indè Comitum ſeriem recto tramite derivandi. Megiſerus (a) antiquiora evolvere diffidens eorum ſyllabum ab Alberto I. auſpicatur, quem ab Ezelino Iſtriæ Marchione ex Andechſinis Comitibus oriundo, ac Mechtilde Ottonis III. Cæſaris filia progenitum autumat, & ab Henrico IV. Imperatore primum Goritiæ Comitem ſub finem ſeculi undecimi creatum. Verùm plures alios ea dignitate conſpicuos ſuggerunt paſſim ante prædictum tempus annales, cujuſmodi fuere circa annum 926. Meinardus, ejuſque filius, vel ex fratre nepos Marquardus; item Otwinus Beatorum Albo inſcriptus, & circa annum milleſimum è terris ad cœlos evocatus. Qua de cauſa non vanè ſuſpicor, Goritienſem Comitatum ab inſinuata paulò ante Fori Julii in 4. Comites diviſione oriri; primos enim poſt ſingulorum obitum ex Cæſaris arbitrio fuiſſe ad id munus promotos facilè concederem; ſed hæreditariæ poſtea ſucceſſionis jura obtinuiſſe; quod & alibi itidem factum animadverti. Inter poſteriores Comites apud hiſtoricos celebratur Joannes, qui Udalrici Cileienſis Comitis in Hungaria interfecti ditionem ſibi deberi prætendens, quamvis nullis ſubſidiariis ſtipatus copiis, ſuiſque tantùm viribus fretus, anno 1460. ipſi Imperatori Friderico IV. bellum indicere non formidavit; jamque aliquot Urbeculas, & Oppida in Carinthia invaſerat; ſed miſſus à Cæſare exercitus inconſultum Joannis animum ita repreſſit, ut non modò occupata deſerere, Cileienſi hæreditati valedicere, ſed & proprium Comitatum tanquam feudum ab Auſtriæ Archiducibus dependens agnoſcere ſit coactus. Poſt octo indè luſtra, Leonardò poſtremò Goritiæ Comite abſque liberis extinctò, Maximilianus I. Imperator ex veteri pacto gentilitio vacuum dominium adiit, & ſpecioſam hanc gemmam Auſtriaco diademati inſeruit. Paulò poſt Ericum Brunſvicenſem Principem idem Cæſar Goritienſi ditione remuneratus eſt, jure tamen ad poſteros minimè tranſmittendo; ſed excitato inter Maximilianum, & Venetos bello, Livianus Reipublicæ Bellidux victis ad Cadurium Germanis, captoque Liſontii ponte anno 1508. Goritiam obſidione cingit, & crebris tormentorum ictibus muros quatiens, Cives ad deditionem compellit. Arcis autem Præfectus Andreas Liechtenſteinius miſſis ad Ericum nunciis, quo res loco forent aperuerat, ſed lentè eum cum ſubſidio adventare cernens, cum hoſte paciſcitur, Arcemque cum Urbe dedit. Vix annum tamen integrum Venetis licuit de hac victoria triumphum agere; altero enim vere Feltriò, & Belluno ab Erico occupatis & evulgatâ de Maximiliani, validique exercitûs adventûs famâ, in Cæſaris fidem ſponte rediit Goritienſis Civitas, de qua modò ſingulariter agemus.

(a) Chron. Car. li. 6. c. 12.

Goritia vulgò Germanis Görz peramœna Urbs, & deſcripti hactenus Comitatûs caput, à Liſontii fluminis aquis pene alluitur, & Labacò Carnioliæ Metropoli 12. milliaribus abſcedit. Hujus originem quidam nimis altè petentes, Noreiam Civitatem veteribus notiſſimam, primùm in Noritiam, demum in Goritiam tranſmigraſſe crediderunt; at nullus præſtò eſt ſcriptor, qui eam unquam Noritiam dixerit, nullum indicium, quod ſententiam comprobet, præterquam levis vocabuli affinitas conſvetus Lazii Achilles; quem alii parvi pendentes non Goritiæ, ſed in propinquo Salcanenſi Vico Noreiam collocant, nonnullis, quæ ibi hodie ſpectari dicuntur, ædificiorum ruderibus ad id aſſerendum inducti; plura tamen contra hanc quoque opinionem militant, quàm ei faveant deſumpta ex veteri authoritate argumenta, quæ veritatis indagandæ gratia libeat modò curſim trutinare. Agmen ducat Strabonis textus ita ſonans: (b) *Extra Venetiæ quidem fines Aquileia eſt, quæ flumine ab alpibus deſcendente diſterminatur, per quod ſurſum navigatur ſtadiis mille, & ad Urbem uſque Noreiam, ubi Cn. Carbo collatis adverſus Cimbros ſignis re infecta diſceſſit. Locus autem eſt ad purgandum, aurum naturâ idoneus, nec minùs ad ferri fabricas.* Amnis ergo Noreiam præterfluens, Aquileiam Urbem, vel Aquileienſem Diſtrictum à Venetia dirimebat, unde Occiduam illius plagam neceſſariò irrigaſſet; atqui Liſontius, cujus ripæ modò Salcanum inſidet, per Orientale Aquileiæ latus

(b) Lib. 5.

in mare decurrit : minùs adhuc favet Strabonis distantia, quæ 37. communia milliaria germanica conficeret, cùm Salcanum, & Lisontii ostia nec media ejusmodi intercapedo disjungat. Quapropter & Strabo in indicando fluvii situ, & vel ipse, vel Amanuenses in stadiorum numero erasse dicendi sunt, ut Noreia Salcani subsistat: verùm si Strabo toties nos fallere creditur, unde ostendetur, Noreiensia rudera ibidem supereſſe? secundum sphalma faciliùs tolerari quidem potest, frequens enim est in veterum operibus per tot secula sæpiùs transcriptis; & sanè Cluverius (a) apud Schönleben (b) in quibusdam Strabonis exemplaribus non nisi quingenta reperit stadia, seu sexaginta duo millia, & quingentos passus, quos Aquileiâ usque ad Venzonum Oppidum metitur, unde navigabilis jam fluere incipit Tilavemptus, & ad Occidentalem Aquileiæ partem in sinum Adriaticum effunditur, aptus proinde ad terminos inter Venetiam, & Aquileiam definiendos. Interim ego in alio Cluverii (c) opere toto Cœlo diversam ejus mentem deprehendo; ita enim ibi Strabonem ex Græco codice vertit: *Ad Aquileiam navigatur adverso Natisone à mari plurimùm LX. stadia; - - - sita autem est extra fines Venetorum, qui dirimuntur amne ab alpibus profluente, qui subvectionem habet per CIↃCC. stadia ad Noreiam Urbem.* Natiso post Gradiscam cum Lisontio confluit, videturque ea tempestate nomen suum usque ad mare conservasse, putatque Cluverius de eo Strabonem loqui, dum paulò pòst Venetorum fines distinguit; unde cùm totus Natiso à fonte usque ad mare longe paucioribus fluat stadiis, sic textum corrigit. *Dirimuntur amne, qui ab alpibus profluens, subvectionem habet ducentùm stadiorum in Tauriscos ad Urbem Noreiam.* Quàm bene, non discutio; sed veluti certum concludo, aut perperam à Strabone Noreiæ situm adumbrari, quod probabiliùs videtur, aut si ei fidimus, Noreiam in Australi alpium descensu, uti apparet, describenti, binas hujus nominis Urbes admittendas esse, cùm in Tauriscis, seu Norico non in Carnia veteres alii scriptores Noreiam disertè statuant. Julius Cæsar in belli Gallici commentario, *Bojos*, inquit, *qui trans Rhenum incoluerant, & in Agrum Noricum transierant, Noreiamq; oppugnarant, receptos ad se socios sibi adsciscunt.* Clariùs adhuc Plinius (d) *In hoc situ interiere ex Venetis Atina, & Cælina, Carnis Segeste, & Ocra, Tauriscis Noreia.* Restitutam tamen fuisse eam Urbem oportet; nam omnium clarissimè Antoniniani Itinerarii author Plinio recentior Noreiæ locum, in Superiori nempe Styria, designavit, cùm Oviliâ, id est, Welsiô Cileiam peregrinantibus 27. MP. ante Virunum apud illum ea Civitas occurrat. Cùm ergò Salcani incassum hactenus Noreiam quæsiverimus, Goritiam tandem revertamur.

(a) Ital. ant. l. 1. c. 20.
(b) Carn. ap. ant. c. 5. §. 5.
(c) Vin. & Nor. c. 2.
(d) Lib. 3. c. 19.

Sanè non opus est Goritiam à Noreia derivare, cùm luculenta illius etymologia in promptu sit, ex Slavico nimirum idiomate in hac vicinia usurpato desumenda, namque Gora montem, Goriza monticulum apud Slavos denotat, qualis omnino ille est, quem occupat Goritiensis Arx Cæsarei Capitanei, ùt vocant, sedes, & vetus Civitas utcunque munita; nova autem posterioris ævi opus nullis coërcita muris per subjectam planitiem temerè dilatatur. Hinc etiam clarè elucet Goritiæ ortum ad Slavorum tempora referendum esse, non ad annum 456., quo Gaudentius Hilarinus ex quibusdam subleſtæ fidei documentis apud Schönleben tradit, unum è Palatinis Carinthiæ castra Attilæ secutum, ab eo partem agri prope Aquileiam dono accepisse, & latè per Carsum, & Poykam, constructis tribus Palatiis Rosacensi, Fiumicellensi & Goritiensi, dominatum. Multò minoris ponderis patet esse Megiseri sententiam, qui ad annum 451. de hac Urbe tanquam jam tunc existenti loquitur, dum ex suppositiis planè annalibus refert, Alanum de Goritia sub Foresto Estensi Principe contra Attilam militasse. Sed de antiquitate satis. Hodie Goritiam exornant Parochiale Templum, cui Archidiaconus præest Infulâ insignis, Minorum Conventualium Cœnobium, sacrarum D. Ursulæ, ac D. Claræ Virginum Ædes, Venerabilis Capucinorum Ordinis Asceterium, & Societatis Jesu Collegium à Ferdinando II. Cæsare fundatum unà cum nobili gymnasio, in quo non modò humaniores in 6. classibus literæ, sed etiam Moralis Theologia, & Aristotelis placita explanantur. Quibus accedit in propinquo, & nemoroso colle Discalceatorum, ùt vocant, Carmelus prodigiosa Deiparæ effigie celebratus.

COMITATUS MITTERBURGENSIS.

ISTria, seu Histria amœna Italiæ Provincia inter Flanaticum, & Tergestinum sinum peninsulæ formam referens, à Septentrione alpibus cingitur, quibus à Carniolia separatur. His adhæret magna Istriæ pars, quam Mitterburgensis Comita-

tatus à primaria Urbe vulgò Germanis Mitterburg, Italis Piſino ſic dictus complectitur, Aquileienſi Patriarchæ, Leopoldo Probo Auſtriæ Archiduci, & Goritienſibus Comitibus aliquando ſubjectus. Sed horum ſtirpe anno 1500., utì diximus, extinctâ ad Auſtriam ſub Maximiliano I. Cæſare reverſus eidem hactenus obtemperavit. Interea tamen Ferdinandus III. Imperator anno 1644. Comiti Antonio Flangino Patritio Veneto ditionem hanc in pignus tradidit, à quo ad Portianos, dein Auerspergicos Principes devolutam Græcenſis Camera noviſſimè redemit. Comitatûs centrum 17. Germanicis milliaribus Labacò diſſitum occupat Mitterburgenſis Urbs undique aperta, Arcemque amplam quidem, ſed vetuſtam in celſa rupe ſuſpectans, in cujus ſpecum præterfluens amnis præcipitat nunquam exiturus. Præcipuam S. Nicolai Eccleſiam anno 1266. erectam Præpoſitus gubernat, præter quam adeſt & Minorum S. Franciſci Cœnobium ſub Sixto IV., qui ab anno 1471. ad ejuſdem ſeculi 84. ſummum Pontificatum geſſit, excitatum.

Poſt primariam Piſinenſis Comitatûs Urbem memorari exigit Epiſcopali dignitate fulgens Petina, ſeu Pedena vulgò Germanis Biben, Carniolis Pitſchem 16. milliaribus Labacò remota, atque in edito ſurgens monte, quem ſolum vini, oleique feraciſſimum circumdat. Epiſcopatum à Conſtantino Magno Imperatore anno 324. fundatum teſtatur Valvaſorius, (a) refellitque Franciſci Glaunichi opinionem, qui eum antiquiorem prætendit; cùm tamen ante illud tempus, ne unum quidem hujus Eccleſiæ Antiſtitem ipſemet valeat aſſignare. Tota Diœceſis binas Civitates cum undecim pagis continet, in quibus 14. Parœciæ, & viginti circiter animarum millia numerantur. Inter Epiſcopos S. Nicephorum celebriorem fecerunt mira prodigia à Manzolio deſcripta, quibus ante, & poſt mortem inclaruit.

(a) Deſcrip. Carn. lib. 8. Sect. 3.

Cæteræ Comitatûs Urbes hæ ſunt; Antignana in monte ſita, fortique muro cincta, ad quam per unicam januam ingreſſus patet: magna hæc quidem eſt, ſed magnitudini populus minimè reſpondet: præter Parochiale SS. Simonis, & Judæ Templum terna alia recenſet B. Dei Matri, Sanctiſque Antonio, & Joanni Baptiſtæ conſecrata. Galigniana venuſta Urbecula ſaxoſo colli inſiſtens, & uno milliari Mitterburgò diſtans. Berſchezium parva quidem, ſed populo referta Urbs in clivo mari imminente elevata, nobilique vino celebris, cujus Templum ſacræ D. Aurelii M. exuviæ condecorant. Laurana mari quoque adjacens, quæ unà cum Berſchezio genuinæ Iſtriæ adſcribenda non eſt, cùm ab Arſia fluvio vero illius ad Orientem limite excludantur.

Bina etiam Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Monaſteria in hoc eodem Comitatu ſpectantur, quorum vetuſtius B. Mariæ Virgini ſacrum, fertili gaudet ſolo, cui amœnitatem addit propinquus Zepicenſis lacus, flumenque Arſia indè exoriens: illius originem ſcrutatus Bautſchnerus, ita in ſuis MSS. annalibus expreſſam reliquit: *Anno 1396. Cœnobium S. Pauli primi Eremitæ in Iſtria ad lacum conditur, à duobus fratribus Nicolao, & Hermanno Guttenegker filiis quondam Philippi Guttenegker nuncupati de Caſtello Wachſenſtein, vulgò Kosliak in Iſtria, cui aſſignantur proventus, & bona, Eccleſiaq; B. Virginis de Lepitſch nuncupata juxta lacum ſub præfato Caſtro ſita.* Alterum SS. Apoſtolis Petro, & Paulo dicatum, vulgò S. Peter am Walde, fundaverat quidem jam anno 1255. ſacræ, ùt opinor, Benedictinorum Familiæ Mainardus Goritienſis Comes; at ab iis, neſcio qua de cauſa, deſertum Fridericus IV. Imperator anno 1459., annuente Pio II. Papa Eremitis S. Pauli ad Lacum dono dedit, qui ſuorum Religioſorum Coloniam illuc ſubmiſerunt.

TERRITORIUM FLUMINENSE.

MAritima ora, quæ ab Arſia fluvio verſùs Dalmatiam flectitur, ab antiquiſſimis ſcriptoribus Japidiæ inſerebatur, utì diſertè liquet ex allegato aliàs Plinii textu, in quo ait nonnullos in Flanaticum ſinum Japidiam à tergo Iſtriæ promoviſſe: ex his fuit Plinio vetuſtior Strabo (b) ita ſcribens. *Tota Iſtriæ navigationis latitudo M., ac CCC. producitur ſtadiis. Dehinc Curſus Japodicus ſtad. M. continetur --- ſecundùm Japodes in Liburnos eſt navigatio.* Pliniò autem poſterior Ptolomœus (c) Iſtriæ Liburniam expreſsè jungens, *Poſt Hiſtriam*, inquit, *Italiæ ſequitur ora Liburniæ, aut Illyridis.* Ergo ad Iſtriam uſque extenſa jam Ptolomæi tempore videtur Liburnia, ſeu Dalmatia, cui eam fuiſſe incluſam certiores nos facit Flavius Vegetius, qui anno 370. floruit, his verbis: *Liburnia Dalmatiæ pars eſt Jadertinæ ſubjacens Civitati, cujus exemplo naves bellicæ fabricantur, & appellantur Liburnicæ.*

(b) Lib. 7.

(c) Lib. 2. c. 17.

In hac itaque regione antiquitus Japidia, poſtea Liburnia appellata jacet Flumen S. Viti vulgò Germanis S. Veit am pflaum, Italis Fiume, Dalmatis Reka, frequens Urbs, penes quam fluvius optimas alens trutas, mare Adriaticum ſubit, & navibus portum pandit. Promonam hìc quidam collocant, quam ab Octaviano Auguſto expugnatam Appianus memorat, cui ſententiæ favere quidem videtur cùm hujus authoris deſcriptio de Dalmatarum à Cæſare deficientium Duce ita loquentis: *Promonam Liburnorum Urbem denuo invadens, vallò, foſsáque munierat, aliaq; ex natura locorum munitiſſima occuparat. Nam regio omnis montuoſa, collibus undique acutis pinarum in modum erectis prominet*: tum ea, quæ paulò pòſt ſubjungit: *Cæſar Urbem, duoſq; aſſiſtentes colles, qui ab hoſtibus tenebantur adhuc, per quadraginta ſtadia muro ſepſit.* Vetuſtiſſimi enim muri rudera in proximo monte ſparſa illud Auguſti opus ibi extitiſſe ferè perſuadent. Verùm faceſſit negotium omiſſa maris mentio, quod paucis paſſibus ab Urbe abeſt; unde minùs propriè accipienda forent, quæ de collibus *undique* acutis, & muro, quo Promonam, colleſque Cæſar *ſepſit*, Appianus enarrat. Illius etiam reliquus contextus procul hinc eam Civitatem removere nonnullis viſus eſt; inter quos Joannes Lucius apud Schönleben inter Titium, & Tilurum amnes eandem reponit, ubi Promina mons antiquæ Promonæ nomen pene retinuit. Neque muri veſtigia multùm Fluminenſibus patrocinantur; nam creditu difficile eſt, tumultuario, prout in obſidionibus fieri ſolet, opere murum adeò ſolidum excitari potuiſſe, qualem tunc fuiſſe rudera indicant, & ſuperata tot ſeculorum intercapedo confirmat. Quinimo oculatus teſtis Valvaſorius à maris littore plurima in longum milliaria prædicti muri rudera protendi aſſeverat; quare ad diuturnam potiùs Provinciarum diviſionem, utì in Brittannia quoque factum legimus, quàm ad Civitatem aliquam brevi obſidionis tempore includendam eum extructum pronunciarem. Maximè autem à veritate declinat imperitum vulgus, quod vaſtiſſimam fingens Urbem, ab eo muro quondam fuiſſe vallatam inaniter jactat. Vetuſtum tamen Flumen eſſe non inficior, ſed ſuos illud natales Terſaticæ Civibus acceptos referre ſuſpicor. Stabat enim Terſatica celebris olim, notaque Ptolomæo Civitas in adnexo trans fluvium monte, in quo Arx, Paguſque idem fere nomen hactenus ſervat, nec à vero abludit, eos loci arduitatem pertæſos ad ſubjectum fluvium deſcendiſſe, ibique ſenſim domos excitaſſe, quò major ſitûs commoditas, & facilius ad mare commercium alliciebat. Hinc non aliud Urbi nomen, quàm Flumen, ſeu Dalmaticè Reka. Sed ad certiora veniamus.

Antequam Auſtriæ Archiducibus ſubderetur Civitas, Comitibus de Valſa parebat. Hodie tota murô clauditur, quem bina versùs portùm firmant propugnacula, totidemque univerſim aperiunt portæ. Quà ad montes accedit, paulò altiùs aſcendit Cæſarei Capitanei Ædes, quam Arcem vocant, ſolidioribus mœnibus externè munita. Inter ſacra ædificia recenſeri poſcunt Eccleſia Collegiata, quam Archipresbyter cum ſeptem Canonicis adminiſtrat, & venerandum D. Atarcilliani corpus illuſtrat; S. Hieronymi Templum cum Eremitarum S. Auguſtini Cœnobio à Comitibus de Valſa aliquot abhinc ſeculis fundato; Sanctimonialium ex Ordine D. Benedicti Monaſterium à Franciſco Chneſich anno 1662. erectum; & marmoreum S. Viti Urbis Patroni Templum cum Societatis Jesu anno 1627. Flumen ingreſſæ Collegio, quod Comes Urſula à Thonhauſin liberaliter dotavit, ſubjectâ illi Caſtuâ Urbe forti muro, turribuſque cincta, & uno milliari Flumine remotâ, cujus diſtrictus, ſi Veprinizam, & Moſchenizam Oppida junxeris, ſupra 8. Germanica milliaria teſte Valvaſorio in circuitu numerabit. In ſumma illius Templi ara piâ totius Urbis veneratione colitur Chriſti è cruce pendentis effigies, in quam trecentis circiter abhinc annis in platea publicè appenſam, quidam cognomine Lonzarich ob adverſam lusûs fortunam excandeſcens, ſacrilego auſu lapidem vibravit, ſanguine miraculosè ex vulnere emanante, quod ſuperſtites hodieque lapis, cruoriſque guttæ teſtantur. Extra Fluminenſem verò Urbem Capucinorum Cœnobium mari adjacet ad ejuſdem territorium pertinens, quod anguſtis conſtrictum terminis à Terſatano monte diſſecat memoratus fluvius à nonnullis Titius ineptè vocatus; ſiquidem hic Dalmatiam à Liburnia diſcriminabat, quæ ſecus Adriaticum mare longiùs in Euronotum porrigebatur, cùm Senia, Jadera, & Scardona Urbes à Ptolomæo Liburniæ inſerantur.

Terſatanæ Arci, quæ ad Comites Frangepanes quondam ſpectabat, idem modò præeſt Capitaneus, qui Fluminenſi: ejus viciniam maximè condecoravit Nazarethana Beatiſſimæ Virginis Domus, quæ Angelorum miniſterio anno 1291. ex Palæſtina huc advecta, & poſt triennium, anno ſcilicet illius ſeculi 94., ab iiſdem ſublata in Picenum Italiæ Provinciam migra-

gravit. Ad perpetuam tamen hujus beneficii memoriam Comes Nicolaus de Frangepambus Sacellum ibidem excitavit, cui Seraphici Ordinis Monasterium illius filius Martinus anno 1453. unà cum ampliori Templo adjecit; sed hoc, cùm anno 1644. vetustate fatisceret, multò elegantiùs instauratum Petrus Marianus Senensis, & Modrusensis Episcopus solenni pompa consecravit.

TERRITORIUM TERGESTINUM.

TErgestum olim Tergeste, vel Tergesta, vulgò Italis Trieste, Germanis Trieſt pervetusta ad mare Adriaticum Urbs, proprioque sinui nomen imponens, ab antiquis scriptoribus modò Carniæ, modò Japidiæ, vel Illyrico, modò Istriæ adjudicatur. Strabo (a) ait: *Post Timavum Istrorum usque Polam littus est: In medio Tergeste castellum est ab Aquileia CLXXX. distans stadiis*, & alibi (b) *à Tergeste Pago Carnico transmissio est per Promontorium, &c.* Vicum quoque, seu Pagum Artemidorus, qui 64. ante Christum annis floruit eam appellat; sic enim de illo scribit Stephanus Byzantius apud Schönleben. *Tergesta neutro genere, Oppidum Illyrici circa Aquileiam, Artemidorus verò in Epitoma undecim librorum Tergestrum id vocat, vicumq; agnoscit.* At Dionysius Periegeticus ab Octaviano Augusto in Armeniam moturo ad describendam eam regionem præmissus Urbem nominat: *ubi trahitur*, inquit, *Adriaticum mare in solum finitimum Aquileiense: ubi condita est Urbs Tergestræorum intimis in finibus maris.* Romanis Aquilis primùm se subjeciſſe videtur Tergestum sub annum ante Virginis partum 128., quando Appiano (c) teste, Japides Sempronius Tuditanus, & Tiberius Pandusius pugnâ superarunt; licèt tunc illos non omnimodè subjugaverint: id clariùs expressit Plinius, dum inquit: *Tuditanus qui domuit Istros in statua sua, ibi inscripsit ab Aquileia ad Titium flumen stad. CC.* Coloniam tamen eò deductam non arbitror ante annum Christi trigesimum, cùm, ùt hactenus vidimus, ab antiquioribus authoribus Urbs, vel Vicus duntaxat nuncupetur; primus enim Tergestinæ Coloniæ meminit Plinius, (d) à quo in Japidum regione hæc enumerantur: *amnis Timavus, Castellum nobile vino Pucinum, Tergestinus sinus, Tergeste Colonia XXIII. M. P. ab Aquileia, ultra, quàm sex millia passuum Formio amnis ab Ravenna CLXXXIX. M. P. antiquus auctæ Italiæ terminus, nunc vero Istriæ.* Unde fallitur Schönleben, (e) dum Coloniæ nomen Tergesto primùm ab Appiano datum commemorat; is enim author post Plinium vixit ad annum scilicet 148., cùm alicubi asserat Romam 900. annis perdurasse. Eodem quoque titulo hanc Urbem honorat Ptolomæus (f) Appiano coævus ita scribens: *Istriæ similiter post flexum intimum Adriatici sinus Tergestum Colonia.*

(a) Lib. 5.
(b) Lib. 7
(c) Lib. 6. seu in Illyrico.
(d) Lib. 3. c. 18.
(e) Annal. Carn. part. 1.
(f) Lib. 3. c. 1.

Largo Martyrum sanguine rubuit Tergestinum solum, quamdiu Ethnicorum Cæsarum jugo premebatur. Ex his glorioſi certaminis famam ad nostra usque secula transmisere SS. Virgines Euphemia, & Thecla sorores, matre Epiphania, patre Demetrio nobiliſſimis progenitoribus natæ, quæ ab Alexandro, cui nubere prima renuerat, Sextilio Præsidi detectæ, post varia tormenta anno 256. amissum in terris caput, immortali in cœlis laurea coronandum reperere. Has æmulatus est S. Servulus nobili pariter genere ortus, qui duodecimum annum agens eremiticæ vitæ normam in propinquo Urbi antro amplexus, & anno 283. à Junilio Præside in vincula conjectus, equuleo tortus, aliisque cruciatibus affectus, tandem jugulatus de Idolorum superstitione triumphavit. Annum 287. martyrii palma exornarunt S. Justina 14. annorum Virgo, & S. Zeno visô Justinæ miraculô ad Christum conversus, ambo à Fabritio Præside post tormentorum sævitiam capite plexæ. Biennio pòst passus est S. Justus Urbis patronus, à Manatio Judice morti addictus, & appensô ad collum plumbo in mare deturbatus, sed solutis vinculis decidit ad fundum pondus, & sacrum corpus sub Occasum solis ad littus adnatans, Sebastianus Sacerdos, forsan Urbis Episcopus, à S. Martyre per noctem monitus terræ mandavit. Præcesserant hos omnes SS. Primus Presbyter, & Marcus ejus Diaconus sub Hadriano Imperatore martyrii palmam in hac Urbe consecuti, quorum sacras exuvias hodie Veronenses colunt. Hos paulò pòst comitati sunt anno 151. S. Lazarus Diaconus sub Pompejo Judice, & altero anno S. Apollinaris Diaconus sub Lucidio Præside fuso pro Christo sanguine æternùm glorioſi.

Tantus hic Catholicæ religionis amor primis Eccleſiæ seculis in Tergestinorum animis flagrans probabilem reddit Bucelini (g) opinionem, qua primùm hujus Civitatis Episcopum ab ipso D. Hermagora Aquileiensi Præsule initiatum refert, quamvis illius nomen interciderit; continuam nihilominus Antistitum seriem à Taurino solùm inchoat, quem Berengarius Rex fertur ad annum 911. multis muneribus ditasse,

(g) Germ. sac. p. 1.

ſe. Poſt Taurinum quinquaginta, & ampliùs Epiſcopi Tergeſtinæ Diœceſi præfuere, inter quos eminet Æneas Sylvius ad ſummi Pontificatûs apicem anno 1458. evectus, & Pii II. nomine inſignitus. Ab hoc jus præſentandi pro illa Eccleſia Epiſcopi Auſtriæ Archiducibus collatum addit Bucelinus, cùm antea ejuſdem electio Canonicorum ſuffragiis committeretur. Maximis interim beneficiis Tergeſtinam Sedem à nonullis fertur proſecutus Lotharius Imperator Ludovici Pii filius; ſiquidem hic ipſam Tergeſtinam Urbem cum territorio ad tria milliaria extenſo Joanni illius Præſuli ſubjecit, juſque ſignandæ monetæ inſuper conceſſit, dato anno 848. Papiæ diplomate quo ea donatio confirmabatur. Unde originem quoque ſumpſiſſe arbitror Tergeſtini Comitis titulum, quem Epiſcopi hodieque uſurpant. Id autem uno ſeculo tardiùs ponit apud Schönleben Ughellus, ac Lothario Italiæ Regi Hugonis Arelatenſis filio adſcribit, annum 948. in eo diplomate exaratum aſſerens. Verùm prioris ſententiæ patronis minùs conſentaneum videtur, Epiſcopum poſt ſex menſes Cæſareum hoc donum alienaſſe, cùm conſtet, Joannem, ùt illi numerant, II. Tergeſtinum Præſulem, ad diſſolvendum æs alienum, tutandoſque fines contra Hungarorum incurſionem, qui vicina loca depopulabantur, ſervato monetæ jure, Urbis dominium Civibus vendidiſſe, qui opportunos inter ſe partiti magiſtratus Rempublicam inſtituerunt. Sed cùm hanc adversùs Venetorum potentiam, à quibus ſæpe opprimebantur, ægrè tuerentur, Auſtriacorum Archiducum patrocinium invocantes, iis ſe protegendos, regendosque demum tradiderunt.

Ex maris littore, ubi portus minoribus navigiis aperitur, per acclivem montem, cujus verticem obtinet Arx admodum munita Cæſarei Capitanei Sedes, aſcendunt Urbis ædificia, quorum ſpectabiliora de more ſubnectam. Præeat itaque Cathedralis Baſilica, in qua duodecim Canonici divina peragunt, & cujus conſecrationem exponit membrana ab Antonio Marentio Epiſcopo, dum ara maxima inſtauraretur, año 1653. reperta, in qua ita legebatur: *Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione VII., die verò IV. menſis Novembris dedicatum fuit altare hoc cum Eccleſia Deiparæ Virgini ſine macula conceptæ, à Venerabili Patre Domino Arlongo Dei gratia Epiſcopo, & Comite Tergeſtino cum quatuor aliis Epiſcopis, & fuerunt in eo reconditæ multæ & infinitæ reliquiæ Sanctorum.* Hodie autem cum ſacra D. Juſti lipſana iſtic colantur, D. Juſti Templum apud populum audit. De hac Eccleſia loquens apud Irenæum de Cruce Ughellus, ſic eam deprædicat. *Sunt in ea plurimæ imagines, texellis fabrè compoſitis, ita expreſſæ, ut nihil penè Italia habeat pretioſius, ſi imagines, abſolutiùs, ſi artem ſpectes.* Servatur hìc inſuper haſta quædam, qua, ùt fert incolarum traditio, S. Sergius Nobilis Romanus Tribuni munere Tergeſti functus in bello utebatur: hanc autem ex aëre prodigiosè in Urbem delapſam credunt, eâ penitus horâ, qua memoratus Sanctus in Provincia Auguſta Euphrateſia anno 289. martyriò afficiebatur. Spoponderat enim ille, cùm Tergeſto diſcederet, ſe ſignum aliquod Tergeſtinis daturum, ſi pro Chriſti nomine ſanguinem aliquando funderet. Templi hujus turris pervetuſti arcûs ruinis incumbit, quem Conſtantino Magno Imperatori hac tranſeunti Cives erexere, eſtque etiamnum ſuperſtes inſcriptio marmori inciſa, quæ ita ſe habet. *IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO P. T. AUG. R. P. TERG. D. N. P. F.* Cœnobium, Eccleſiaque Minorum Conventualium inter antiquiſſimas Seraphici Ordinis Sedes haberi poteſt, cùm S. Antonius Patavinus anno 1231. ad Beatorum Sedem translatus eorum fundamenta poſuiſſe dicatur. Urſino de Berthis in Epiſcopali Cathedra ſedente, novæ Religioſorum coloniæ Tergeſtum appulerunt, anno nimirum 1618. ſacra Capucinorum Familia, ſequenti verò Societas Jesu, cui Collegium dotavit Udalrici Principis Eggenbergici munificentia, binis nunc Templis inſtructum, ex quibus majus Parthenio cultui devotum tam amplitudine ſua, quàm Architectonica ſymmetria illuſtre, non tantùm Collegio, ſed & Urbi toti eſt ornamento; alterum minus D. Sylveſtro quidem dicatum, ſed cùm à Civium ſodalitate ſub Deiparæ ſinè labe conceptæ patrocinio frequentetur, etiam indè nomen trahit. Hujus vetuſtatem, & Cathedralis dignitatis decus ex ſequenti inſcriptione foribus præfixa colligi fas eſt: *SS. EUPHEMIÆ, ET THECLÆ NOBIL. VIRG. ET MM. TERGESTIN. DOMICILIUM, PRIMUM TEMPLUM ET CATHEDRALE, IMMACULATÆ VIRGINIS ORATORIUM RESTAURATUM M. DC. LXXII.* Adeſt præterea intra Urbem Sanctimonialium D. Benedicti legibus adſtrictarum Monaſterium, exteriùs verò Religioſorum S. Joannis Dei, ſeu Fratrum Miſericordiæ Cœnobium.

Penes Tergeſtum plurimæ extenduntur areolæ, in quas immiſſa maris aqua à ſolis radiis in ſalem excoquitur: ab Urbe autem ſecus Adriaticum littus ad Timavum fluvium proficiſcenti, obviat Proſſecum nobiliſſimo vino famoſum, quod ex ſitu Pucinum videtur à Plinio (a) his verbis celebratum: *Julia Auguſta 82. annos vitæ Pucino retulit acceptos, vino non aliò uſa. Gignitur in ſinu Adriatici maris non procul à Timavo fonte ſaxeo colle, maritimo afflatu paucas coquente amphoras, nec aliud aptius medicamentis putatur. Hoc eſſe crediderim, quod Græci celebrantes miris laudibus Pyctanon appellaverunt ex Adriatico ſinu.* Demum Tergeſto in Septentrionem montoſa protenditur regio, quam Karſtiam vocant, ubi in loco, cui Lippiza nomen, Cæſareum ſpectatur equile ſelectiſſimis ex tota Europa equis ad propaginem ibi congregatis refertum.

(a) Lib. IV. c. 6.

TOPO-

Comitatus TYROLIS Tabula.

Studiô et operâ cujusdam Geographi S.I.

Pfeffel et Engelbrecht sc. et excud. Vien.



TOPOGRAPHIA COMITATUS TYROLIS.

TYrolenſis Comitatus pluribus Ducatibus tum amplitudine, tum opibus par, pluribus etiam ſuperior, à Teriolis, hodie Tyrol, tenui ad Atheſim Caſtro nomen mutuans, partim Rhæticis, partim Noricis veterum alpibus incumbit, per quæ non in Germaniam tantùm, ſed & in Italiam propagatur. A Septentrione habet Bavariam, ab Oriente Salisburgenſem Diœceſim, & Carinthiam, à Meridie ditionem Venetam, & ab Occidente hodiernos Rhætos, ſeu Griſones. Regio eſt multis à natura donis locupletata; è montium enim viſceribus eruuntur metallorum theſauri; cacumina vaſtis teguntur ſylvis, in quibus varii generis feræ ſtabulantur: colles & clivi frugibus, ac vineis; valles fluminum, ac fontium aquis irriguæ armentis, & pecoribus abundant. Unde non immeritò Maximilianus I Imperator, utì ex Vinando Pighio refert Lambecius, Provinciam hanc conſveverat rudem, & agreſtem tunicam appellare, multis quidem plicis, & rugis horridam, valde nihilominus bonam, calidam ac percommodam; & Carolus V. illius nepos Tyrolim rugoſo pallio, quod ſemper majus eſt, quàm appareat, Blavio teſte, comparabat.

Præter enumeratas hactenus Tyrolis divitias contemnenda quoque non eſt gemmarum copia, quas Michaël Staudakerus à peritis hujuſmodì rerum indagatoribus ibidem colligi Kirchero perſcripſit, jaſpides nimirum, achates, chalcedonios, rubinos, non quidem ardentes, & ſanguineos ad inſtar orientalium, ſed dilutiori tamen venuſtos purpura, ita ut apud quorundam oculos aliis palmam præripere fortaſſis poſſint. His paulò pòſt ſubnectit alios non minùs pretioſos lapides in eadem regione ſæpiùs repertos, utì ſunt amethiſti, ſmaragdi, corneoli, turcheſiæ, granati, & adamantes parvi quidem, ſed tantæ duritiei, ut alios adamantes ſcindant, nec ipſi ſciſſuram admittant. Demum addit Tyrolenſes chalcedonios orientalibus præſtare; adamantes naſci, ubi cryſtallus generatur; hanc eſſe hexagonam; amethiſtos verò quatuor angulis, granatos duodecim, ac decem circiter circumſcribi.

Prædictarum alpium vertex exeſis, acutiſque rupibus adeò latè coronatur, ut ejus diameter ad ſex germanica milliaria ſe extendat. Groſs Ferner dicitur, perenniſque riget gelu, quod tamen ſubtus in triginta ferme indè erumpentia flumina liquatur, & quæ ad Aquilonem defluunt, Oenus excipit, quæ verò ad Meridiem, Atheſis. Ille in Superiori Engadina natus à Ponte-alto ad fauces uſque Kueffenſteinianas totam Tyrolis longitudinem irrigat; indè Bavariam penetrans perpetuum aquarum vectigal Danubio pendit. Atheſis autem vulgò Etſch, qui majorem partem Tyrolenſis latitudinis fœcundat ex deſcripto etiam ſcaturit monte, & longo primùm flexu per Vennonum Vallem, nunc Venuſtam, dictam Sigiſmundi Coronam, vulgò Sigmundcron, mox verſo in Auſtrum curſu Tridentum excurrit. Indè per Lacherinam Vallem Roveretum præterfluit, & relictis paulò pòſt Tyrolis finibus per Venetos in Adriæ ſinum effunditur.

Norici, Rhætiæque partem à Tyrolenſi Comitatu hodie obtineri, luce meridiana clariùs patebit, ſi veterum ſcriptorum eas Provincias definientium teſtimonia in medium attulero. Strabo (a) à Guarino latinè redditus ita Rhætiam deſcribit, vinumque dilaudat: *Univerſa deinceps montana pars in Orientem, & in Auſtrum vergens, à Rhætis, Vindelicisq; tenetur, Bojis, Helvetiisq; confinibus, nam eorum campis imminent, cæterùm Rhæti ad Italiam uſque pertinent, quæ ſupra Comum, & Veronam eſt. Vinum Rhæticum inter Italica egregiè commendata non ſanè inferius in Montanis illorum radicibus naſcitur.* Veronam, Comumque omnes noſcimus, & alpes, quæ ſuper eas Urbes præſertim Veronam attolluntur, à Tyrolenſibus inſideri, neminem latet; Rhætos verò fuiſſe Noricis conterminos, idem alibi (b) Cluverio interprete non obſcurè indicat. *Rhæti*, inquit, *& Norici ad alpium uſque ſumma adſurgunt, verſuſq; Italiam vergunt: illi Inſubribus, hi Carnis contermini.* Sed audiamus Plinium id apertiſſimè docentem, dum ait: (c) *Juxta Carnos quondam Tauriſci appellati, nunc Norici. His contermini Rhæti, & Vindelici, omnes in mul-*

(a) Lib. 4.

(b) Lib. 5.

(c) Lib. 3. c. 20.

tas Civitates divisi. Tertiò demum prodeat Ptolomæus, (a) singulos Rhætiæ fines his verbis circumscribens : *Rhætiæ occidentale latus terminatur monte Adula, & linea, quæ est inter capita amnium Rheni, & Danubii. Latus Septentrionale terminatur parte Danubii, quæ est à fontibus usque ad Æni fluvii scissionem. Orientale latus ipso Æno terminatur, cujus Australior finis est long. 34., lat. 45. ¼. Meridionale alpium montibus supra Italiam extensis.* & postea : *Noricum terminos habet ab occasu Ænum fluvium.* Ubi tamen integer Oenus accipi non videtur, ab ostio nimirum, usque ad fontes, aliàs maxima Tyrolis pars, & quidem quæ supra Veronam ascendit, Norico contra Strabonem insereretur : neque id Ptolomæum voluisse apparet, cùm non fluvii originem, sed alium Australem finem additis gradibus designet, ex quibus tamen, utpote erroneis, is colligi nequit: exploratum quippe est, majorem geographicam latitudinem ipsis Oeni fontibus deberi. Rhætos Tuscorum propaginem esse consentiunt quidem Livius, Plinius, & Justinus, sed non eadem omnibus de transmigrationis modo, aut tempore sententia: Justinus (b) à Gallis, qui Româ potiti Capitolium obsederunt, Tuscos pulsos se ad alpes contulisse scriptum reliquit ; cùm igitur Roma à Gallis succensa anno ante Christi ortum 390. conflagraverit, efficeretur, Rhætorum gentem ea ætate non multò esse antiquiorem. Plinius (c) quoque Gallorum Tuscos expellentium meminit; attamen haud patet, num posteriores hos intelligat, an priores alios, qui Italiam ducentis annis priùs, Tarquinio Prisco regnante, invaserunt; unde totidem etiam annis Rhætorum vetustati adjicerentur. Verùm Livius (d) adhuc altiores hujus populi radices ostendit ; Tuscos enim nulla vi coactos, florente eorum imperio Rhætis originem dedisse his verbis declarat : *Tuscorum ante Romanum Imperium latè terra, mariq; opes patuere, mari superô, inferóque, quibus Italia insulæ modô cingitur, quantùm patuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum ab Adria Tuscorum Colonia vocavere Italicæ gentes : ii in utrumque mare vergentes - - - quæ post Padum omnia loca excepto Venetorum angulo usque ad alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubiè origo est, maximè Rhætis, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo præter sonum linguæ, nec eum incorruptum retinerent.* Nec minùs certa apud veteres nominis, quàm gentis origo, omnemque operam sanè perdunt ii recentiores, qui eam à Rheno fluvio, vel à cimbrica voce Rheten, nescio, quas rimas aquarum vi excavatas significante, aut à Rhæteio Troadis Urbe imperitè derivant; siquidem in promptu est Plinius præcitatus, qui Tuscos Duce Rhæto alpes superasse disertè testatur ; quod etiam clarissimè ita scriptum reliquit præcitatus Justinus. *Tusci quoque Duce Rhæto, avitis sedibus amissis, alpes occupavere, & ex nomine Ducis gentes Rhætorum condiderunt.*

(a) Lib. 2. c. 12.

(b) Lib. 20. c. 5.

(c) Lib. 3. c. 20.

(d) Lib. 5.

Immanem Rhætorum feritatem, qua Gallos, Italosque infestabant, ea produnt, quæ Dio Cassius, & Strabo suos in Commentarios retulere : eos scilicet, Pago, aut Urbe obtenta non modò puberes omnes jugulasse, at ne infantibus quidem masculis peperciisse ; imò ne hìc quidem substitit sævities, sed gravidas etiam mulieres confodiebant, quas virilem fœtum utero ferre à suis vatibus didicerant. Eapropter Octavianus Augustus principio Drusum contra illos cum exercitu misit, qui Rhætos apud alpes Tridentinas sibi obviam factos haud magno certamine fudit, ejusque victoriæ ergò Prætorios honores adeptus est. Deinde cùm ab Italia rejecti Rhæti nihilominus Galliam urgerent, Tiberium quoque in eosdem movere jussit. Quare Drusus, ac Tiberius simul, multis locis in Rhætiam Legatorum operâ irrumpentes, eaque de causa exterritos hostes aggressi, facili negotio dispersas eorum copias prostrarunt, reliquosque exinde inferiores, & animis collapsos in suam potestatem redegerunt. Binas de hac victoria odas cecinit Horatius, in quibus est illud ad fortitudinis commendationem insigne, quod Rhætos draconibus Romanæ aquilæ reluctantibus comparet, alios mox versus addens, non modò Romanorum, sed & Rhætorum gentem illustrantes.

(e) Videre Rhæti bella sub alpibus
Drusum gerentem, & Vindelici, quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli:
Nec scire fas est omnia. Sed diu
Lateque victrices catervæ
Consiliis juvenis revictæ.
Sensere, &c.

(e) Lib. 4. Od. 4.

Alibi (f) verò nunc : *Devota morti pectora liberæ*, nunc *agmina ferrata* Rhætos vocitans palam fecit, quàm latè excelluerit Martia eorum virtus, cùm vel ab hostibus præconia extorqueret. Ovidius certè abjectæ aliàs adulationis poëta, Augusti pavorem ex Rhætico bello conceptum haudquaquam dissimulans ait,

(f) Lib. 4. Od. 14.

(g) Rhætica nunc præbent, Thraciaque arma metum.

(g) Trist. Lib. 2.

Hoc quidem Rhætis laudi fuit, illud autem vituperio, ad quod alpinos hosce populos

à ni-

à nimio libertatis, patriæque amore adactos retulit Florus. (a) *Quæ fuerit*, inquit, *callidarum gentium feritas, facilè vel mulieres oſtendêre, quæ deficientibus telis, infantes ipſos afflictos humô, in ora militum adverſa miſêre.* Debellata demum Rhætia eſt anno ante Chriſti ortum 15., & in Provinciæ formam à Romanis redacta; in hunc enim modum ſcripſit de Auguſto Paterculus, *Rhætiam autem, & Vindelicos ac Noricos, Pannoniamq́, & Scordiſcos, novas Imperio noſtro ſubjecit Provincias.*

(a) Lib. 4. c. 12.

Romanis, Græcisve Imperatoribus uſque ad ſeculi ſexti dimidium videtur Tyrolis cum Rhætia obediviſſe, at languente tunc eorum robore, & Theodone II. Bojorum Duce ad alpium verticem ditionis ſuæ terminos promovente, maxima Tyrolenſis agri pars in Bojariam tranſiit, & reliqua ad Meridiem vergens Longobardis ceſſit, ab anno 571., quo Alboinus eorum Rex Papiam cepit, latè in Italia dominantibus. Ab eâ tempeſtate iiſdem, quibus Bojaria, ſeu Bavaria, Principibus etiam Tyrolis ſubjacebat, eademque illi aut læta arriſit, aut adverſa obfuit fortuna. Anno autem 1180. Fridericus I. cognomento Oenobarbus, proſcripto Henrico Leone Bavariæ, & Saxoniæ Duce, amplum ejus dominium in plura minora diſſecuit. Weſtphalia, & Angria Philippo Colonienſi, Saxonia reliqua Bernardo Anhaldino attributa; Bavaria Ottoni Wittelſpachio conceſſa. Hac occaſione Cæſar Præfectos limitaneos, ſeu Marchiones, qui Bavariæ Ducibus obnoxii cum quanta iis viſum eſſet poteſtate in Provincias mittebantur, eorum arbitrio revocandi, Cæſarum poſthac, non Ducum beneficiarios eſſe voluit, & tranſiturum ad hæredes imperium iiſdem tranſcripſit. Inter hos Berchtoldus ex Andechia ſtirpe oriundus, & Berchtoldi Iſtriæ Marchionis filius Tyrolenſi regioni à Bavaria avulſæ ſub Meraniæ Ducis titulo præeſſe juſſus novum ibi, ac ſingularem erexit Principatum. Goritienſes item, & Tyrolenſis, ſeu Teriolenſis Arcis Comites Meranienſi Duci conterminos multò quàm antea ampliore, liberioreque jure uti Fridericus permiſit.

Berchtoldi pronepos Otto II. anno 1248. abſque prole maſcula extinctus diſputandam reliquit hæreditatem quam tandem adiit Albertus Tyrolenſis Arcis Comes Guthæ Andechiæ conjux, neglectoque Meranienſis Ducis titulô, una Tyrolenſis Comitatûs voce Regionem univerſam complexus eſt. Elapsô ſexenniô & ipſe fatô conceſſit, poſtquam duas tantùm genuiſſet filias, neque Adelheidam Henrico primùm Romanorum Regi, dein Meinhardo II. Goritienſi Comiti nuptam, & Eliſabetham Gebhardi Hirsbergenſis Comitis conſortem; unde diſciſſo inter earum maritos Comitatu, Gebhardo Oenana Vallis, Meinhardo autem reliqua cum Tyrolenſis Comitis titulo Provincia obvenit: cujus poſt quatuor indè annos defuncti filii Meinhardus & Albertus diu quidem utriuſque Comitatus, Tyrolenſis ſcilicet, & Goritienſis proventibus indiſcriminatim fruebantur; verùm anno 1272. inſtituta diviſione Albertus Goritiam, Meinhardus Tyrolim occupavit. Hic autem decennio pòſt Carinthiæ Ducatu, & opibus auctus, Oenana Valle quatuor argenti marcharum millibus redempta, diſciſſam antea Tyrolenſem ditionem anno 1284. rurſus conjunxit. Meinhardi demum ex Henrico filio neptis Margaretha Maultaſchia amiſſô filiô unicô Meinhardô, quem ex Ludovico Bavaro Brandeburgi Marchione ſuſceperat, anno 1363. diploma confecit à Gerardo de Roo contra eos, qui Margaretham Rudolpho Auſtriaco nupſiſſe, & ea ratione Tyrolim ad Auſtriacos deveniſſe putant, allegatum, in quo ad Rudolphum, Albertum, & Leopoldum Auſtriacos fratres, tanquam proximos aliunde hæredes, utpotè conſobrinos, cunctas ſuas Provincias tranſtulit per donationem inter vivos factam, & à Carolo IV. Cæſare confirmatam. Hinc Tyrolenſis Comitatus immortali Auſtriæ Archiducum proſapiæ jugiter ſubjectus proprios ex ea Principes ſæpiùs obtinuit, quorum præſentiâ bearetur. Verùm poſt Sigiſmundi Franciſci Oenipontani Archiducis ſinè prole mortui fatum, quod anno 1665. 7. cal. Junii contigerat, beatiorem eum reddidit Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus, cui paulò pòſt Oenipontum profecto Provinciæ Ordines inter ſplendidos apparatus eodem anno 13. cal. Novembris homagium præſtitere, publico poſt eam ſolennitatem convivio, cui ipſa S. C. Majeſtas in eminente quodam pegmate ſeorſim epulans interfuit, multis à ſe invicem diſtinctis, & lautiſſimè inſtructis menſis recreati, ubi Lambecius Cæſareæ Bibliothecæ Præfectus non ſine voluptate ſpectavit, *quantam ex admirando tanti Principis conſpectu hirſuta illa Ruſticorum Rhæticorum pectora, poſtquam incaluere mero fiduciam fauſti ominis, & lætitiam verè genuinam percepêrint.* Nunc autem aſſumptus rerum ordo poſtulat, ut lætantem adhuc ſub Clementiſſimo ejuſdem Cæſaris Imperio Tyrolis Metropolim more noſtro inviſamus.

OENIPONTUM.

OEnipontum, ſeu Oenipons vulgò Inſpruck elegans, nobiliſque Urbs longo plu-

plurium dierum itinere ab Auſtriæ Metropoli diſſita ſecus Oenum fluvium, qui eam ab amplo Suburbio disjungit, explicatur. Meminit quidem etiam in ſuo Itinerario Antoninus cujuſdam Pontis Oeni, quem Bedajo, & Iſiniſcæ interjicit, ſed eum locum cum hac Civitate minimè confundendum eſſe, demonſtrat illius ſitus Juvaviæ, ſeu Salisburgo multò, quàm Oenipontum, propinquior. Non magni nominis Oppidum hoc olim erat Wildenenſi Cœnobio ſubjectum, quod Otto I. Meraniæ Dux promiſsô pretiô à Meinhardo II. Tyrolenſi Comite primùm perſolutô ad ſe attractum murô vallavit, & conſvetis Civitatum privilegiis donatum ad altiorem ordinem evexit, prout ſequentes verſus in vetuſta inſcriptione exarati fidem faciunt.

Otto Meraniæ Princeps, cognomine Magnus
Inſpruck circumdat muris, & mœnia fundat,
Triceſimo quarto poſt annos mille ducentos.

Magnis augmentis ampliabatur indies Oenipontum, ſed anno 1292., cùm Albertus Auſtriæ Archidux, poſtea Imperator, illuc profectus cum Meinhardo ſocero ſuo conſilia conferret de Styriæ Ducatu adversùs Ottonem Bavarum, & Salisburgenſem Præſulem propugnando, exortus de nocte dolo, aut caſu ignis creſcentem Civitatem non parum moratus eſt. Revixit tamen ſuis è cineribus illuſtrior, ita, ut Provinciæ totius primatum promerita, Auſtriacos Principes, quibus ante, vel poſt Maximilianum I. Cæſarem ſpeciali jure Tyrolis obtigerat, ad figendam inibi Aulam, ſuâ elegantiâ, locique amœnitate permoverit. Hinc plures admirata eſt nuptiarum pompas, quæ magnificentiâ tantis Principibus dignâ ibidem celebrabantur. Hujuſmodi fuere anno 1494. inter prædictum Maximilianum, & Blancam Mariam Galeatii Mariæ Sfortiæ Mediolanenſis Ducis filiam; anno 1622. inter Ferdinandum II. Imperatorem, & Eleonoram Mantuanam; anno ejuſdem ſeculi 26. inter Archiducem Leopoldum, & Claudiam de Medicis Magni Florentiæ Ducis filiam, & tandem anno 46. inter Archiducem Ferdinandum Carolum, & Annam ejuſdem Medicææ ſtirpis Principem. Hodie verò, etſi præſenti ſuorum Principum aſpectu huic Civitati frui minimè licet, dignitatis tamen ſuæ jacturam feciſſe dicenda non eſt, cùm in ea etiamnũ reſideant ſuprema Exterioris Auſtriæ, ùt vocant, Tribunalia, quæ Cæſaris vices ſupplent, & Provincias moderantur.

Celebriora Urbis ædificia obituris occurrit primò inſignis Aula, cui propinquum aſſurgit memorabile PP. Franciſcanorum Templum ab Imperatore Ferdinando I. è quadrato lapide magnis impenſis conſtructum, & S. Crucis honoribus dicatum, ubi anno 1655. Chriſtina Sveciæ Regina abjuratâ publicè hæreſi, Orthodoxam, Romanamque fidem profeſſa eſt. Hìc præter ſplendidum Ferdinandi Archiducis ſarcophagum in meditullio eminet Maximiliani I. Cæſaris monumentum tam materiæ pretiô, quàm operis elegantiâ eximium, veréque auguſtum. Ex pretioſo marmore tota conſtat moles, utì & 24. ſcuta circa inferiorem ejus ambitum diſpoſita, quibus excellenti ſcalpro inciſa glorioſa tanti Imperatoris geſta intuentium oculos recreant, & erudiunt. Mirum his decus addunt per intercolumnia diſtributa 28. æneæ ſtatuæ humanâ ſtaturâ majores, habitumque, & armaturam juxta cujuſvis ſeculi morem rarô artificiô ad vivum repræſentantes, quarum ſyllabum, ſeu heroum ab iis expreſſorum nomina unà cum anno, quo quiſque deceſſit, ex Lambecio huc placuit, prout ſequuntur, transferre. Clodoveus I. Francorum Rex 510.; Theodoricus Veronenſis Oſtrogothorum in Italia Rex 526.; Arthurus Britanniæ Rex 542.; Theodebertus Auſtraſiæ Rex 613. Godefredus Bullionius Lotharingiæ Dux, & Terræ Sanctæ Rex 1100.; Rudolphus I. ex Comite Habsburgico Imperator 1291. Albertus I. Rudolphi I. filius ex Auſtriæ Archiduce Imperator 1308.; Albertus Sapiens Alberti I. Cęſaris filius Archidux Auſtrię 1358.; Margaretha cognomine Maultaſchia Henrici Ducis Carinthię, & Comitis Tyrolenſis filia 1366.; Leopoldus Probus Archidux Auſtriæ 1386.; Erneſtus Ferreus Leopoldi Probi filius Archidux Auſtrię 1424. Cimburga Erneſti Ferrei conjux 1429.; Fridericus Leopoldi Probi filius Archidux Auſtrię 1439.; Albertus II. ex Archiduce Auſtrię Hungarię, & Bohemię Rex, ac tandem Imperator 1439.; Eliſabetha Sigiſmundi Cęſaris filia Regnorum Hungarię, & Bohemię unica hęres, atque Alberti II. uxor 1443.; Philippus Bonus Joannis Valeſii Regis Francię Pronepos, Burgundię Dux, & Equeſtris aurei velleris Ordinis primus fundator 1467.; Carolus Pugnax Philippi Boni filius Burgundię Dux 1477.; Maria Caroli Pugnacis filia Ducatus Burgundię, & ſeptendecim Belgicarum Provinciarum unica hęres Maximiliani I. Archiducis Auſtrię, poſtea Imperatoris conjux 1482.; Fridericus IV. Erneſti Ferrei filius ex Archiduce Auſtrię Imperator 1493. Sigiſmundus Opulentus Archidux Auſtrię 1496.; Philippus Maximiliani I. filius Archidux Auſtrię, Belgii Princeps, atque per

uxo-

uxorem Joañam primus ex Auſtriacis vocatus Hiſpanię Rex 1506.; Blanca Maria Ducis Mediolanenſis filia, & ſecunda Maximiliani I. conjux 1511.; Ferdinandus Catholicus Hiſpaniarum, Neapolis, & Sicilię Rex 1516.; Cunegundis Friderici IV. Imperatoris filia, & Alberti IV. Bavariæ Ducis conjux 1520.; Margarita Maximiliani I. Cæſaris filia, Caroli VIII. Franciæ Regis ſponſa, dein Joanni Hiſpaniæ Infanti primò nupta, ſecundò verò Philiberto Sabaudiæ Duci, tandem Belgii Gubernatrix 1550.; Joanna Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum Regis filia, & Philippi Auſtriaci Belgarum Principis uxor 1555.; Carolus V. Philippi filius glorioſiſſimus Imperator 1558.; Ferdinandus I. Cæſar Caroli V. frater 1564. De quibuſdam tamen, ac præſertim de poſtremis duabus ſtatuis valde ambiguum eſt, an eæ prout circumfertur, memoratos Principes exhibeant, cùm ex ſubſcriptionibus aut nunquam affixis, aut longo abhinc tempore obliteratis id nequeat ſicut in cæteris comprobari. Ipſius autem Cæſaris Maximiliani I. coloſſus ex ære pariter conflatus ſupremo monumenti apici incumbit, ubi Cæſareo nitens paludamento genua flectit ſummam Templi aram reſpiciens. Tanti operis authorem profert epitaphium his verbis contextum.

IMPERATORI CÆSARI MAXIMILIANO PIO, FELICI, AUGUSTO PRINCIPI TUM PACIS, TUM BELLI ARTIBUS OMNIUM SUÆ ÆTATIS REGUM LONGE CLARISSIMO: SUB CUJUS FELICI IMPERIO INCLYTA GERMANIA, DULCISSIMA ILLIUS PATRIA TAM ARMIS, QUAM LITERARUM STUDIIS, PLUSQUAM ANTEHAC FLORERE, CAPUTQUE SUPER ALIAS NATIONES EXTOLLERE COEPIT: CUJUS INSIGNIA FACTA TABELLIS INFERIORIBUS, QUAMVIS SUB COMPENDIO EXPRESSA CONSPICIUNTUR: IMPERATOR, CÆSAR FERDINANDUS, PIUS, FELIX, AUGUSTUS, AVO PATERNO PERQUAM COLENDO, AC BENEMERITO, PIETATIS, ATQUE GRATITUDINIS ERGO POSUIT. NATUS EST XXII MARTII ANNO DOMINI MCCCCLIX.; OBIIT ANNO DOMINI MDXIX. XII. MENSIS JANUARII.

Monendum hìc lectorem cenſeo, glorioſos hujus Imperatoris cineres non Oeniponti, ſed Neoſtadii in Auſtria quieſcere, ſimulque rogandum, ut benevolè errorem corrigat, in quem me de ea Urbe ſuperiùs agentem impulit Fuggerus(a); hic enim in Norimbergenſi añi 1668. editione poſtquam enarraſſet Maximiliani I. cadaver Neoſtadium in S. Georgii Sacellùm fuiſſe illatum, paulò pòſt prædicti monumenti deſcriptionem ſubjunxit, nulla facta in hiſtoriæ contextu Oeniponti mentione; unde nemini ſanè prudens dubium injicere poterat, quò minùs de præcedente Neoſtadienſi Urbe loqueretur.

(a) Spec. ho. lib. 6. c. 20.

Peractô candidi ſcriptoris officio, antequam ab immortali ejuſdem Cæſaris memoria digrediamur, contemplandus eſt famoſiſſimus ille S. Martini paries vulgò die Martinswand in ſiniſtra Oeni ripa trium circiter horarum itinere ſupra Oenipontum à natura erectus; altiſſima quippe, & admiranda rupes eo nomine indicatur inter abruptiſſimos alios, & in cœlum elatos ſcopulos prope quandam D. Martini Eccleſiam, & Cirellum Pagum ſita, per quam Maximilianus in primo juventæ flore nimio venandi ſtudio abreptus, uſque adeò rupicapras inſectatus eſt, ut nec ulteriùs progredi, nec referre pedem potuerit nisì in præcipitium. Stabant conferti inferiùs Aulici Principem ſuum non ſinè lacrymis ſuſpectantes; namque conſilii prorſus inopes, qua ratione ei opitulari poſſent, minimè cernebant, cùm à tergo, & lateribus indomabiles petræ omnem viarum acceſſum occluderent, deſuper verò nivoſa cacumina, & ſaxorum ingentes minæ capiti impenderent. Jamque altera labebatur dies, cùm pius Princeps deſperata in terris ſalute, cœpit ad cœleſtem curas omnes convertere; magna proinde voce ad ſuos inclamat, jubetque Venerabile Dominici Corporis Sacramentum adferri, & quàm proximè fieri poſſet, ſibi oſtendi, ut eô eminus adoratô, animum ſaltem ſuum ad tam diram mortem fortiter ferendam hoc religionis actu roboraret, quando eodem propiùs refici non daretur. Satisfactum quantocyus ardenti in Sacroſanctam Euchariſtiam affectui, quo Maximilianus ab avita pietate nihil recedens æſtuabat, atque interim circumlatus per Provinciam univerſam illius diſcriminis rumor ad divinam clementiam ferventibus ſuſpiriis implorandam perculſos tam acerbo nuncio populos acciverat. Neque irrita fuere vota; Princeps enim, dum divinis contemplationibus unicè vacaret, à propinquo ſtrepitu avocatus, ignotum quendam juvenem intuetur ruſtica amictum veſte per teſqua adrepere, & disjectis lapidum obicibus ſemitam explanare; porrectæ itaque ab eo dextræ innixus ad patentiorem viam incolumis deſcendit, ubi inter adgratulantium turbam ſoſpitatorem ſuum amiſit, nunquam ampliùs, licèt adhibitâ in eo perquirendo diligentiâ, repertum. In perpetuam porrò rei memoriam Maximilianus, aperto per

lapicidas calle, in eodem periculi ſui loco in quadrum exciſo (non autem infra illum, ſicut totius rei geſtæ ſchema apud Fuggerum perperam exhibet) ligneam Chriſti è cruce pendentis iconem inter Deiparæ, & S. Joannis Evangeliſtæ ſtatuas erigi juſſit 40. circiter pedes altam, licèt ab imo aſpicientibus bipedalis tantummodo videatur. Sed tandem Oenipontum regreſſi cætera, præſertim ſacra Urbis ædificia percurramus.

Paræciæ Templum D. Jacobo ſacrum in quintum jam ſeculum perdurat, utpote anno 1286. excitatum, quod maximè condecorat B. V. auxiliatricis icon crebris prodigiis famoſa à Leopoldo Archiduce Ferdinandi II. Cæſaris fratre Dreſdæ in Georgii Saxoniæ Electoris theſauro ex elegantioribus aliis, ſed profanis pictorum, aut ſculptorum laboribus, atque ex pretioſiſſimis cimeliis, inter quæ oblata illi fuerat optio, unicè electa, piéque culta, ac tandem poſt Leopoldi obitum à Ferdinando filio ſolenni pompa ad hoc Templum translata: eſtque hæc illa imago, ex qua Paſſavienſe ectypon non minùs miraculis celebre Marquardus de Schwendi ejus Eccleſiæ Canonicus deſumpſit. Parochiali ætate cedit Xenodochii Eccleſia anno 1329. primùm erecta. Succeſſere poſtmodum his reliquæ ſacræ Ædes, nimirum anno 1549. Capucinorum Aſceterium, cui adhæret ſpecioſa eremus ab Archiduce Maximiliano anno 1618. defuncto, & in Parochia condito ædificata, atque anno 1624. Sanctimonialium, ac Servorum B. V. Cœnobia, quibus duobus tamen præivit Societatis Jesu Templum Sanctiſſimæ Trinitati devotum, & pretioſis D. Pyrminii Epiſcopi exuviis illuſtre anno 1606. cum adnexo Collegio conſtructum, quamvis huic à Ferdinando I. Cæſare fundato jam ſub annum 1561. aliquod exordium factum ſit, utì Sacchinus ait, qui ita deinde progreditur: (a) *Oenipontanos Cives ob egregiam in retinenda fide conſtantiam præcipuè dignos auxilio Canisius deprædicabat; eos pariter, ac Bavaros tribui Judæ, & Benjamin, quæ ſolæ non reliquerunt Dominum, ſolitus comparare. Et Cæſar, ac Reginæ (quinque erant Cæſaris filiæ Virgines) vehementer inſtabant, ut quamprimùm Collegii incolæ mitterentur. Minor erat Sociorum cohors, quam ut in præſidia carpi tam multa poſſet. Interim miſſus Viennâ Carolus Grim, dum ſedulò domum, & cætera maturando operi neceſſaria curat, ipſummet inter prima ſubſtructionum decora eſſe Deo placuit.* Hujus Collegii Lyceum conſvetis omnium Univerſitatum juribus, ac privilegiis anno 1669. donavit maximus literarum fautor, & Mecœnas Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus I. Præter Templa peculiariter hìc quoque reniet Cancellariæ Aulicæ tectum denſò aurò obductum, in quod ducenta aureorum millia anno 1425. Fridericus Archidux profudit, ut palam Orbi faceret, ſe non nisì contumeliâ affici, cùm ab inimicis *Fridericus cum vacuo Marſupio* cognominaretur; etiamſi ab Imperatore Sigiſmundo proſcriptus foret, & cùm à diverſis aliis, tum præſertim ab Helvetis maxima ditionum ſuarum parte ſpoliatus. Addendum ultimò ſupereſt armamentarium, quod in Oeni inſula, ſeu Suburbio Mülbach omni armorum genere refertum, & ad triginta hominum millia quandocunque inſtruenda idoneum deſcribit Merianus. Hæc de Oeniponto: nunc verò alphabeticum reliquarum Civitatum, aliorumque memorabilium locorum ordinem exordiamur.

(a) Hiſt. S. J. p. 2. l. 5.

AMBRASIA.

AMbraſia vulgò Ambras celebratiſſima Arx, quam Ameras, vel Umbras nonnulli vocarunt, ſtat in peramœno quodam clivo, qui in dextra Oeni ripa ad ſecundum ab Urbe Oenipontana lapidem attollitur, & ab altiſſimis alpium jugis ad Meridiem inumbratur, qua parte amnis Sylla ex Pyrenæo monte vulgò der Prenner defluens aureiſque arenulis dives in Oenum illabitur. Magnifica eſt prorſus hujus ædificii ſtructura, plurium Archiducum ſumptibus ad delicias, & majeſtatem ſummò artificiò comparata: ad longum intus ſpatium excurrunt conclavia ſumptuoſis aulæis, pictiſque tabulis undique coruſcantia; foris amplis cingitur latifundiis, vineis, ſylvis, piſcinis, ferarumque vivariis: hinc exculti recreant horti, indè implexi fallunt labyrinthi: alibi jucunda patent ſpelæa, alibi perennes ſubſiliunt fontes, quorum ſcaturigines magno rivulorum ex vicinis montibus per ſubterraneos tubos ductorum multitudo affatim ſuppeditat. Sed hæc aliis ſæpe communia: illud hìc ſingulare, ſpatioſiſſimum ſcilicet armamentarium vulgò die Rüſtkammer eximia omnigeni apparatûs bellici copiâ ſcatens, ubi admirandum præbet ſpectaculum incredibilis numerus veterum armorum ex omnibus ferè Orbis terrarum Provinciis magno ſtudio, & ſumptu conquiſitorum, quibus diverſi olim Imperatores, Reges, aliique Principes, & clari Belliduces tam proſperâ, quàm adverſâ fortunâ ingentia militaris artis, roboriſque ſpecimina exhibuere. Inter hæc ſervatur Franciſci I. Franciæ Regis armatura, quam Papienſis Francorum clades, ejuſque captivitas reddidit famoſiorem. Arma item Ruperti, Caroli V., Maximiliani I. & II. Imperatorum, Caroli IX. Fran-

Franciæ, Stephani Poloniæ, Ferdinandi, & Philippi Hiſpaniæ Regum: denique quotquot ferè bellici heroes in Germania, Italia, Francia, Belgio, aut Hungaria à tribus ſeculis inclaruerunt, ad vivum effigiati longo iſtic ordine pendent, propriâ, qua olim utebantur loricâ, caſſide, cæteroque Martiali cultu ſingulis affixo. Ex armamentario patet tranſitus ad gazophylacium vulgò Kunſtkammer, ubi innumera illic conſervata naturæ, & artis miracula obſtupentes advenas diutiſſimè morantur: magni ibi inter reliqua admiranda momenti ſunt multa veterum numiſmatum millia à Romanis, Græcis, & Barbaris ſignata, atque ad illuſtrandas omnium pene gentium antiquitates mirè conducentia. Demum ne quid ad abſolutiſſimam ingeniorum culturam deſideraretur, eximia ibidem Bibliotheca 5880. typis edita volumina anno 1665. continebat, quo Lambecius annuente Auguſtiſſimo Cæſare 1489. ſelectiora, unà cum 569. manuſcriptis in Viennenſem Aulam indè aſportavit.

BOCENUM.

BOcenum, quod Gerardus de Roo Piſonum, veteres Bauzanum, Germani Bozen, Itali Bolzano nuncupant, ad Atagin, ſeu Eiſacum amnem, paulò pòſt in Atheſim fluentem ſitum, aperta quidem eſt, ſed ampla, populoque frequens Urbs, quem tertio quovis menſe adaugent nundinæ magnâ tum ex Italia, tum ex Germania mercatorum affluentiâ celeberrimæ. Eam à multis jam ſeculis floruiſſe comprobat octavi ſeculi author Paulus Diaconus, dum hæc enarrat: *Alachis, cùm Dux eſſet in Tridentina Civitate, cum Comite Bajoariorum, quem illi Gravionem dicunt, qui Bauzanum, & reliqua Caſtella regebat, conflixit, eumq; mirificè ſuperavit.* Ejuſdem quoque mentio extat in Theodoſiano codice, ubi lex III. de Palatinis ſacr. largitionum data dicitur Bauxare, quem locum Jacobum Gothofredum antiquitatum peritiſſimum Bauxanum interpretari, teſtis eſt Cellarius, (a) quamvis hic aberret Bocenum, ſeu Bauzanum ſub Atheſis, & Atagis confluente collocans, Endidas autem notam Antonino Urbem Boceni loco ſubſtituens. Civitatem hanc ſub Tridentina ditione antiquitus comprehenſam Meinhardus Carinthiæ Dux, & Tyrolis Comes armorum vi ſibi vendicavit, atque ſublatô amica conventione diſſidiô impoſterum retinuit. Non tantùm Mars, ſed bina etiam elementa Boceno nocuerunt, aqua ſcilicet anno 1042. quo Eiſacus fluvius ripas egreſſus magnas illi clades intulit, vitibus paſſim eluvionem ſecutis, ædificiis quoque poſt abluta fundamenta ſubſidentibus: quater verò ignis in Urbem deſæviit, ſed præſertim anno 1223., quo præter omnes ædes centum quinquaginta inſuper homines in cineres abierunt. Honeſtis tamen hodie ornatur ædificiis, inter quæ eminet magnificum Paræciæ Templum ab anno 1181. uſque ad ſequentis ſeculi 70. unà cum prealta turri magnis ſumptibus extructum, & prodigioſa Dei Genitricis effigie nobilitatum. Huic proximè tempore, ac mole accedunt SS. Dominici, & Franciſci Ordinum Eccleſiæ, ac Cœnobia anno 1272. erigi cœpta, quibus Comes Engelhartus à Wolckenſtein anno 1600. Capucinorum Domicilium adjecit. Prope Bocenum trans Talferum amnem, qui penes Urbem Eiſacum ſubit, degunt Canonici Regulares S. Auguſtini, quibus anno 1167. Arnoldus Comes de Margreit cùm uxore ſua Mechtilde in Atheſina ripa, quæ nunc Keyſeraw vulgò dicitur, annuente Salomone Tridentino Præſule, Collegium ſub Henrico primo Præpoſito fundaverat. Verùm cùm anno 1417. intumeſcens fluvius illud pene totum inundaſſet, in locum, quem modò occupant, & Grieſs appellant, tranſmigrarunt, converſa in Collegium Arce, quam undecim annis priùs Leopoldus Archidux eiſdem liberaliter contulerat.

(a) Geogra. ant. l. 2. c. 7.

BRAUNECKIUM.

BRauneckium, ſive Brunecca, utì Gerardus de Roo ſcribit, vulgò Brauneck Urbs Rienzæ amni adjacens à Brunone Brixinenſi Epiſcopo ex Conrado Comite à Bullenſtetten & Kirchberg, atque ex Bertha Meinhardi Goritiæ, & Tyrolis Comitis filia nato, nomen accepit; poſtquam ille anno 1288. hunc locum primò extruxiſſet, aut ſaltem novis ædificiis ampliaſſet. Quare non admodùm ſuffragatur nominis affinitas Gulero, qui apud Brandiſium opinatur, antiquam hanc fuiſſe Breonum, ſeu Breunorum Sedem: hos enim in alpium aditu habitare ex Venantio Fortunato quidem diſcimus; at certam illis ſtationem Brauneckii aſſignare arbitrii fuit, nulla ratione, vel authoritate ſuffulti; quinimò Oeni fluvio eos magis admovere videtur ipſe Venantius dum canit:

Pergis ad Auguſtam, qúam Virdo, Lycuſque fluentat,
Si vacat ire viam, neque Boioarius obſtat;
Qua vicina ſedent Breonum loca, perge per alpem
Ingrediens, rapido qua gurgite vertitur Ænus.

Imò disertè sententiãm nostram idem Poëta confirmat in Epistola ad Gregorium Turonensem libro primo carminum præfixa, ita suum in Galliam iter describens: *De Ravenna progrediens, Padum, Athesim, Brintam, Plavem, Liquentiam, Tiliamentumq; transiens per alpem Juliam pendulus montanis anfractibus, Dravum Norico, Oenum Breonio &c. transiens.* Hos Breones Paulus Diaconus Briones vocat, dum mirum hunc eventum de eorum regione profert: *Fuit tunc hyems frigida nimis, qualem vix aliquis priùs recolebat fuisse. In regione quoque Brionum sanguis de nubibus fluxit, & intra Rheni fluvii aquas rivulus cruoris emanavit.* Sed Brauneckium redeamus. Brixinensibus Episcopis ab eo tempore hæc Civitas subest, qui eam Parochiali Templo, & Nosocomio anno 1381. consecrato instruxerunt: præter hæc & sacri Capucinorum Ordinis Ecclesiam, bina alia sat magnifica assurgunt Templa, quorum unum D. Catharinæ dicatum est, alterum vulgò die Neukirche appellatur. Imminet Urbi in colle posita eorundem Præsulum Arx; nec adeò procul abest Suneburgense Sanctimonialium D. Benedicti Monasterium, quod anno 1018. Volcaldus B. Otwini Goritiensis Comitis filius larga dote fundavit, flagitante id sorore Berchtunda Langseensis in Carinthia Cœnobii Antistita. Suneburgensibus autem Virginibus Abbatissæ, ùt vocant, munere præesse cœpit Wilpurgis ex Goritiæ Comitibus oriunda, quam hactenus quadraginta circiter subsecutæ sunt ab Henrico II. Imperatore, ùt quidam tradunt, Principis titulô insignitæ.

BRIXINUM.

BRixinum, seu Brixina (utrumque enim à diversis usurpatur) vulgò Germanis Brixen, Italis Bressanone venusta Urbs à præterfluente Eisaco Rienzæ aquis aucto alluitur, & à præcelsis montium verticibus coronatur: ubi veteres Rhætiæ populos à Plinio Brixentes, & à Ptolomæo Brixantas vocatos etiamnum superesse, non vanè conjicit Cellarius. (a) Primarium hujus Urbis decus, Episcopalem nempe sedem, Sabionâ translatum esse longè certiùs, quàm translationis author, tempusve innotuit: Bucelinus (b) id Hartvico adscribit anno 1039. Sabionensi Cathedræ impositô; Raderus, Hundius, aliique plures S. Albini, seu Albuini auspiciis, qui Hartvicum duobus interjectis præcesserat, peractum contendunt; verùm testatur Brunnerus, (c) Richpertum, qui S. Albino Mitram reliquit, ab Ottone II. Imperatore Brixinensem Episcopum in literis Brixinæ datis appellari, nullâ Sabionæ memoriâ. Illud interim probabilius videtur, Herbardum Episcopum cœpisse Brixinam muris cingere, quos successori suo Hartvico perficiendos transcripsit. Sabiona autem, seu Sabio, vel Savio, quam Sublavionis nomine Antoninus suis itineribus inseruit, decem passuum millibus Brixinâ recedens, & vulgò nunc Säben dicta primum obtinuit Præsulem S. Cassianum à Fortunato Aquileiensi Patriarcha anno circiter 360. initiatum, qui ab Ethnicis ejectus, & Imolam, seu Forum Cornelii se conferens ludum literarium aperuit, ac tandem puerorum graphiis in fidei Orthodoxæ odium enecari jussus, Martyrii lauream sub Juliano Apostata adeptus est, prout fert constans Imolensis, ac Brixinensis Ecclesiarum traditio, & Prudentius Calaguritanus anno 384. adhuc florens memoriæ commendavit. Nullus ab eo Episcopus ibi sedisse legitur usque ad S. Lucanum anno 424. clarum, qui infestos patiens adversarios, ut ab illorum furore se subduceret, in Vallem Agordiam sibi cedendum putavit, ubi voluntario exuli Avatia religiosa fœmina victum ministrabat; mortui verò corpus Bellunum, cui Vallis illa subest, migrare noluit, nisi capite pignoris loco Agordiæ relicto. Altero post S. Lucanum seculo Sabionæ adhuc sedit S. Ingenuinus, seu Genuinus, qui Gradensi Synodo anno 581. vel sequenti ab Elia Aquileiensi Patriarcha convocatæ sub nomine Ingenui Episcopi secundæ Rhætię subscriptus reperitur juxta MS. Barberinum apud Schönlebnn excusum; in alio enim actorum synodalium exemplari aliter legitur, nempe: *Martianus Episcop. locum faciens viri Beatissimi Ingenuini Episcopi S. Ecclesiæ Sedereſtiæ*, id est secundæ Rhæthiæ. Sabionensem autem Antistitem, seu *Ingenuinum de Sabione* eundem expresè vocat Paulus Diaconus (d) trium capitulorum contra Romani Pontificis sententiam propugnatores in Marianensi Pseudosynodo sub annum 588. congregatos recensens, de qua re differens Bollandus (e) multis argumentis ostendit, quàm veritati consonum sit, hunc Sanctum Episcopum à commisso sibi errore resipuisse. Præter hactenus adductos Sabionensem Ecclesiam sanctitatis famâ illustravit D. Constantinus; reliquorum enim nuda tantùm nomina, atque ea sæpe incerta, teste Velsero, supersunt. Unde ad Brixinenses Hartvici successores transilienti primus occurrit Poppo mox ad Aquileiensem Cathedram, dein anno 1048. ad summi Pontificatûs apicem evectus, & Damasus II. appellatus, post quem Brixinensem Sedem triginta & ampliùs annis occupavit

Altu-

(a) Geog. ant. lib. 2. c. 7.

(b) Geom. sacr. par. 1.

(c) Annal. Boic. lib. 9.

(d) De gestis Lang. l. 3. c. 25.

(e) Acta SS. ad diem 5. Febr.

Altuvinus, ſi juxta Brunneri chronologiam verum eſt, ſub illius regimine coaluiſſe teterrimum illud conciliabulum ab Henrico IV. Imperatore anno 1080. Brixinæ coactum, in quo à paucis Schiſmaticis Epiſcopis eximiæ Sanctitatis Vir Gregorius VII. Summus Pontifex in Cœlitum album poſtea translatus, tanquam Pſeudomonachus, totius veſaniæ peſtifer Princeps, Romanæ Sedis invaſor, Eccleſiaſtici Ordinis ſubverſor, inter fratres ſcandala, & inter conjuges divortia ſeminans, ſacrilegia, ac incendia prædicans, perjuria, & homicidia defendens, Catholicam Fidem de corpore, & ſanguine Domini in quæſtionem ponens, divinationum, & ſomniorum cultor, manifeſtus necromanticus, pythonico ſpiritu laborans, & idcirco à vera fide exorbitans impudentiſſimo auſu condemnatus eſt. Porrò Guibertum hominem ſceleratiſſimum in illius locum intrudere præſumunt, ſed adversùs hunc pro Gregorio apologiam edidit doctiſſimus æquè ac Sanctiſſimus Epiſcopus Anſelmus, cujus notiſſima virtus ab ipſo Abbate Urspergenſi Henrici fautore encomium elicuit; hic quippe poſtquam præmiſſa ſcommata enumeravit, & Anſelmi epiſtolam ad Guibertum datam paucis contraxit, ſic ſtatim pergit: *Hæc priori ſententia valde contraria ſcripſit Anſelmus, vir literis apprimè eruditus, ingeniô acutiſſimus, facundiâ præcipuus, & quod omnibus majus eſt, in Dei timore, & ſancta converſatione nominatiſſimus.* Interim optimæ inſtar apologiæ fuerat toti Orbi clara Gregorii ſanctimonia, ipſumque conciliabuli decretum non alio atramento, quam ſchiſmaticæ in Romanam Sedem rabiei ſpuma conſcriptum, quam pleno ore hodierni hauriunt Hæretici, & pudor eſt, à quibuſdam minùs cautis in pervolvenda hiſtoria Catholicis interdum cum guſtu lambi. Inter reliquos poſt Altuvinum Præſules S. Hartmannus omnigena virtute illuſtris, priùs Clauſtroneoburgenſis in Auſtria Præpoſitus anno 1164. terris ereptus, atque inſuper bini Archiduces Auſtriæ, & quinque Cardinalitiâ purpurâ micantes referuntur. Cæterùm quamvis Brixinenſis Eccleſiæ Antiſtites pari modo, ac Tridentini de quibus infra, ob jus advocatiæ, atque alias quaſdam rationes Tyrolis Principem reſpiciant, ſymbola ſua in ærarium Provinciæ conferant, nihilominus tamen Principibus Imperii accenſentur, regalia ab Imperatoribus accipiunt, ſeſſionemque, ac ſuffragium in Imperialibus Comitiis obtinent. Præterea glorioſiſſimum quid de hoc Epiſcopatu refert Brandiſius, potentiſſimos nempe Principes Brixinenſi Antiſtiti quondam ſerviviſſe, namque hæreditario Mareſchalli munere Dux Bavariæ, Camerarii Dux Carinthiæ, Pincernæ Dux Meraniæ, & Dapiferi Dux Sveviæ fungebatur. Alios hujuſmodi Miniſtros adfert Bucelinus; ait enim Dynaſtas de Rodneck Camerarium, de Schoneck Mareſchallum, de Caſtelruto Dapiferum, & de Seben Pincernam egiſſe. Hodie autem hæreditarii hujus Epiſcopi Mareſchalli ſunt Barones à Welsberg, Camerarii Barones à Vels, Pincernæ Comites de Thun, & Dapiferi Comites de Wolckenſtein. Præter magnificum Epiſcopium exornat Brixinenſem Civitatem Cathedrale Templum, in quo novendecim Canonicorum Capitulum divina peragit, anno 1234. poſt diri incendii damna reſtauratum; Parochialis S. Michaëlis Eccleſia ab Hartvico prælaudato Epiſcopo erecta, Sacrarum D. Claræ Virginum Monaſterium anno 1235. vivente adhuc fundatrice ex collectis eleemoſynis conſtructum; Capucinorum Cœnobium, & ſex inſuper Templa B. Dei Genitrici, Omnibus Sanctis, D. Joanni, D. Barbaræ, D. Erhardo, & Spiritui Sancto apud Noſocomium conſecrata.

CLAUSTRUM.

CLauſtrum vulgò Italis Cavolo, Germanis Kofel percelebris mons eſt ad Venetæ ditionis fines, & quà Africum reſpicit, ad inſtar erecti muri per 50. & ampliùs orgias aſcendens. In hujus lateris medio vaſta hiat caverna, in qua erecta Arx, & copioſâ ſemper annonâ, perenniſque fonte inſtructa, licèt à quatuordecim tantùm militibus cum ſuo Duce inhabitata, frequentem tamen infra ſe paſſum egregiè tuetur; anguſtus enim eſt, & binos juxta ſe poſitos currus ægerrimè admittens; cùm hinc obſtet rupes, indè terreat dehiſcens ad præterlabentem Medoacum, ſeu Brentam præcipitium: ubi verò prædictæ Arci tranſitus ſubjacet, forti clauditur munimento, ex quo ad eam homines per funes attrahuntur, aut indè demittuntur; nulla quippe alia ad ſpecum via, aut acceſſus patet.

CLUSIUM.

CLuſium, ſeu Cluſam vulgò Clauſen exiguam Urbem inter Brixinam, & Bocenum Eiſacus amnis præterfluit, in qua Hildebrandus Lopius apud Brandiſium abſque ullo fidei juſſore aſſeverat, quendam Oroſtogem Bojorum, & Svevorum Ducem anno Chriſti 220. reſediſſe. In proximis rupibus binæ ſtant Arces, quarum inferior Pranzol, ſuperior Säben vulgò dicitur, ubi antiquæ Sabionæ rudera, quam

ab Attila Hunnorum Rege eversam, S. Ingenuinus Episcopus Theodonis III. Bavariæ Ducis beneficentiâ restauravit. Templa duo Sabionæ Deiparæ, & S. Cruci sacra, totidem Clusii, nempè Parochiale D. Andreæ, & aliud SS. Apostolis dedicatum.

GEORGII MONS.

GEorgii Mons vulgò Jergenberg inter Oenum fluvium, & expansum inibi lacum paucis infra Oenipontum milliaribus attollitur, cui anno 1112., utì Bruñerus notat, potiùs quàm anno 1000., ùt Brandisius mavult, sanctitatem intulit Ratholdus vir nobilis, & Aiblingæ perveteris ad Mangualdam flumen Oppidi Dominus sacris initiatus, sociosque nactus nec sanguine, nec virtute impares, ex quibus Freundsbergeri, Selneri, & ii, præsertim, qui de Sliters cognomentum gerunt, hodieque memorantur: hi enim in hanc prærealtam, & undique absciſſam rupem à duabus columbis divinitus, ùt fama fert, invitati, ac rudibus primùm mapalibus, vel antris veriùs abditi, ædem illic D. Georgio moliri cœperunt, cui paulò pòst, id est anno 1138. cultum, & opes, instituto juxta D. Benedicti leges Cœnobio, Reginbertus ex S. Petri apud Salisburgenses Abbate Episcopus Brixinensis adjecit, idemque Eberhardum loco præfecit, & B. Rhomedii Dynastæ Taurensis capite illuc deportato, Oenanæ Valli Civem suum imò Dominum post septuagesimum ab illius obitu annum reddidit rarum pignus, & prioribus seculis majori, quam modò religione, frequentique votorum nuncupatione cultum, præter quod maximum sacrarum reliquiarum thesaurum ibidem recondi Bucelinus testatur. Ex vetustis cellis per montem sparsis unica B. Virgini dicata, & S. Georgii Sacello pene coæva etiamnum perstat, ab adsita tilia nomen habens, in qua Virginis statua filium genibus exceptum lugens cùm antiquitate, tum miraculis celebratur. Addit hìc Brunnerus in eadem Oeni ora, eademque ferè tempestate Cœnobium aliud D. Petri honori in vertice Matronæ montis ab Andechiensibus Toparchis positum, sed bellorum postea injuriis oppressum solo Templo superstite interiisse.

HALA.

HAla vulgò Haal clara, amœnaque Urbs ad Oenum fluvium parum infra Oenipontum sita propriis olim obtemperabat Dominis, ex quibus Barbundus anno 1010. mundi pompis valedixit in religiosa claustra recedens. Hunc æmulatus anno 1168. Gebhardus ejusdem territorii Dynasta in flore ævi, medio propitiæ fortunæ cursu rectà à Babenbergensibus Comitiis, quibus inter reliquos Imperii Proceres adfuit, in Reichersbergense se abdidit Cœnobium, Hedwige matre in ejusdem loci Parthenonem, cui binas paulò ante filias consecraverat, concedente. Civitatum jura, & privilegia obtinuit Hala anno 1102. ab Ottone I. Meraniæ Duce, magnaque fecit incrementa, postquam ibi salis invaluit commercium ante tria, & ampliùs secula inchoatum; unum enim ab Urbe milliare absunt salisfodinæ, ubi conscenso altissimo monte, in alpium viscera inter saxorum, & salis fossilis permixtos parietes, arte, ac industriâ humanâ fabrefactos penetratur. In harum fodinarum ad hoc effossas foveas immittitur certis temporibus aqua dulcis, quæ cùm aliquot mensium spatio justam attraxit salsedinem, ex monte per ligneos canales supra Urbem derivatur in ferreas incredibilis magnitudinis sartagines, in quibus adminiculò ignis, & follium aquariâ rotâ motorum inflammatis excoquitur; unde exsiccata materia, atque in niveum candorem redacta in oblongis, & acuminatis vasis in conum constipatur. Adeò fœliciter hoc opus processit, ut anno 1448. detractis proventibus, qui in 800. operas impendebantur, 150. florenorum millia in Archiducis Sigismundi ærarium intulerit. Sacra Halæ ædificia quatuor numerantur, Parochiale scilicet Templum ab anno 1352. condi cœptum, Minorum S. Francisci Cœnobium, Societatis Jesu Collegium à ternis Ferdinandi I. Cæsaris filiabus Magdalena, Margarita, & Helena anno 1569. fundatum, & regium sacrarum Virginum Monasterium ab iisdem superiori anno in illud ingressis erectum, & religiosarum virtutum radiis præsertim Reginæ Magdalenæ, quæ prima ibi Sanctimonialibus præfuit, illustratum. Notabilis præterea in hac Urbe habetur monetaria fabrica, in qua aureis, argenteis, æreisque nummis non alio labore, quàm machinæ ferreæ rotâ per aquam motâ circumactæ impetu debiti singulis characteres magnò temporis lucrò expeditissimè imprimuntur. Funestis Halæ memoriis insertus est ingens anni 1572. terræ motus, quem præcesserat fames, subsecuta lues; cœptus hìc pridie nonas Januarias ad secundam noctis horam, jam ante Solis ortum Urbem, cunctamque viciniam magno omnium pavore quadragies concusserat; neque tunc desiit, sed ad quadraginta dies, interjectis subinde modicis intervallis vim suam protraxit.

INNI-

INNICHIUM.

INnichium vulgò Innichen Urbeculam ad Dravum fluvium non procul ab ejus fontibus ſitam, veteris Aguntiruderibus inſidere, Lambecius cum pluribus autumat, licèt Cluverius in Oppido Doblaco unius horæ itinere hinc diſſito Aguntum ſtatuat, quorum opinionibus indicia ſuggeſſit ſequens Antonini iter:

Aquileia	M. P.
Ad Triceſimum	XXX.
Julium Carnicum	XXX.
Loncium	XXII.
Aguntum	XVIII.
Littamum	XXIII.
Sebatum	XXIII.
Vipitenum	XXXIII.
Veldidenam	XXXVI.

Et ſanè cùm ſub Veldidenæ nomine Wildenenſis Monaſterii ſitum latere, ſolidis nixi rationibus infrà explicandis plerique arbitrentur, & Loncium ipſam eſſe Urbem, quæ nunc Lientz dicitur, ex itineris ductu omnino pateat, nullus dubitandi locus ſupereſt, quin circa Innichium, aut Doblacum floruerit Aguntum: Lambecio tamen contra Cluverium libentiùs adſtipulor; namque ex Paulo Diacono, & Fortunato apertè colligitur, prope Dravi fluenta hanc Urbem ſtetiſſe, quod Doblaco minimè convenit: primus quippe ita ait: (a) *Per alpem Julium, perq; Aguntum Caſtrum, Dravumq;, & Byrrum fluvios.* Alter verò in metrica S. Martini Vita ſic clariùs ad rem noſtram canit.

(a) De geſt. Lang. l. 2. c. 13.

Per Dravum itur iter, quà ſe caſtella ſupinant.
Heic montana ſedens in colle ſuperbit Aguntus.

Unde longè à ſcopo declinant, qui Styram uſque Auſtriæ Urbem Aguntum promoverunt: cúmque hoc à Plinio (b), & Ptolomæo (c) Noricis adjudicetur, manifeſtiùs elucent, quæ de Tyrolenſi regione, Rhætiæ, & Norici partem occupante alibi diſſeruimus. Demum Aguntum Aulam ſuam Carinthiæ Duces, & nominatim Chotimerum ante mille circiter annos poſuiſſe, ſcribit Megiſerus. Innichii noſtra adhuc ætate ſupereſt Collegiata Eccleſia ad 4. Canonicos redacta, licèt quondam viginti complecteretur, quando eam Deiparæ, & S. Candidi Archiepiſcopi, ac Martyris iſtic ſepulti honoribus excitavit Otto I. Imperator, conſentiente Leone VI. Summo Pontifice, quod in annum 925. incidiſſe tradit Brandiſius, ſed ei adverſatur recta chronologiæ ratio, cùm anno 936. Germaniæ Regnum poſt Henrici Aucupis parentis mortem primò adiverit Otto, & Leo VI. non niſi 6. menſibus anni 929. D. Petri Cathedram obtinuerit.

(b) Lib. 3. c. 24.
(c) Lib. 2. c. 14.

KUEFFSTEINIUM.

KUeffſteinium, vulgò Kueffſtein parva, ſed fortis amœnaque Urbs ad Oeni ripam in Tyrolis, & Bavariæ finibus poſita ſuperimminentem habet ex ſolida rupe exciſam Arcem, Geroltzeggum vocant, præterquam unico calle undique inacceſſam, nec minùs arte, quàm naturâ communitam. Hanc anno 1504. cum præſidiò tenebat ſub Ruperti Palatini auſpiciis Penzenauerus militari virtute clarus, qui etiam poſt illatam à Maximiliano Cæſare ſuo Principi cladem, loci arduitate fretus contemptâ victoris potentiâ arroganter ſe gerebat. Quare irritatus Cæſar Arcis oppugnationem magnò animò aggreſſus, majori quoque conſtantia urgere decrevit. Interim adverſum quendam montem obſervat obſeſſorum ſitum non nihil excedentem, & collocandis machinis idoneum: in hunc igitur locum tormenta aliquot majora magno ſudore attrahi curat, quorum ictibus non modò mœnia, & excubantes in illis milites, ſed etiam intimi Arcis receſſus patebant. Perculſus hoc malo Præfectus deditionem fecit, veniamque cum Phrygibus petiit, incautam ſuam audaciam capite luens. Cæſar Arcem cum Urbe Tyrolenſi Comitatui addixit, illumque montis verticem, ex quo illius muros, domoſque verberaverat, ita decuti juſſit, ut nulla inde labes Arci deinceps timeretur.

LONCIUM.

LOncium vulgò Lienz, vel Luenz Urbs cum Arce ad Dravi, Iſolæque confluxum ſita, grandæva ſua ætate meritò gloriatur; Antoninus enim in itinere Aquileia Veldidenam directo poſt 82. paſſuum millia illud expreſsè collocavit. Goritienſibus olim Comitibus ſuberat unà cum tota Valle, quam Pyruſtarum Aventinus, Puſterthal vulgus appellat, ſed Leonardo eorum poſtremo vita functo, ad Maximilianum I. Cæſarem, Auſtriæque Archiducem univerſa ditio devoluta Tyrolenſes fines latiùs produxit. Sanctimonialium Cœnobium D. Dominici regulis obſtrictum anno 1286. exortum eſt, cui poſtea Euphemia Goritiæ Comes virorum Carmelum addidit in hac quoque Urbe excitatum.

MARIÆ MONS.

MAriæ Mons, vulgò Marienberg elegans in Valle Venuſta Ordinis S. Be-

nedicti Cœnobium in edito ſtat monte inter Oenum, & Atheſim, ubi hi maximè ad invicem accedunt, eminente, quod Comites Amatiæ vulgò Matſch liberaliter dotatum excitarunt; Albertus primus Abbas uſque ad annum 1152. rexit; S. Algotus Curienſis Epiſcopus largis muneribus ditavit, & tandem Matthias Langius trigeſimus quintus Abbas anno 1640. è vivis ſublatus magnis ſumptibus à fundamentis reſtituit.

MERANIA.

MErania vulgò Meran Urbs olim Ducalis, & totius regionis caput in rara per Tyrolim planitie ad Paſſeram amnem mox Atheſi illabentem jacet, à pluribus Arcibus in proximis clivis erectis coronata. Ejus nomen à neſcio quo antiquiſſimo Germanorum Rege Mers dicto, vel potiùs ab Hebræa voce Marach derivatum prætendit Brandiſius; ſed argumenta, quibus id probet, expecto. Interim reliqua notatu digniora perſtringam. Anno 1406. Leopoldus Archidux Auſtriæ, & ſecundus hujus nominis Tyrolis Comes muros circa Urbem duxit, quibus ſex includuntur Templa, Parochiale nimirum ad S. Nicolaum, terna alia minora S. Barbaræ, S. Catharinæ, & S. Leonardo dicata, Venerabile Capucinorum Aſceterium, & Sacrarum D. Claræ Virginum Cœnobium ab Euphemia Comitis Ottonis vidua anno 1300. fundatum & paulò pòſt ab Henrico Ottonis fratre peculiari patrocinio protectum, edito ea de re diplomate, cujus hoc initium: *Nos Henricus Dei gratiâ, Bohemiæ, & Poloniæ Rex, Marchio Moraviæ, Dux Carinthiæ, Comes Tyrolis, & Goritiæ, & Eccleſiarum Aquileienſis, Trid. & Brix. advocatus profitemur, & univerſis præſentium inſpectoribus declaramus. Quòd dum Fr. noſter chariſſimus quondam Otto Illuſtris Dux Carinthiæ pia devotione, ac ſincero affectu fundationi, & ſtructuræ novæ Clauſtri Sanctimonialium Ordinis S. Claræ in Merano perdilectam ſororem noſtram Ofmiam Duciſſam Carinthiæ relictam dicti noſtri Germani inchoatæ, & fundatæ ſuum conſenſum voluntarium præbuerit, &c.* finis verò erat hujuſmodi: *Actum & datum in Gries anno Domini milleſimo, trecenteſimo, undecimo, Kal. Martii, indictione nona.* Anno 1342. ſpectavit Merania ſolennem nuptiarum pompam, quæ inter Ludovicum Marchionem Brandeburgicum, & Margaritham Carinthiæ Ducis filiam coram Ludovico Bavaro Imperatore ſponſi Parente, & frequenti Principum conventu habebantur: ſed non tantum indè hauſerat lætitiæ, quantum mœroris ſenſit anno 1419. ferale intuens ſpectaculum, quod fluvius Paſſera Urbem inundans in 400. Civium cadaveribus eidem objecit. Inter circumſitas Arces vetuſtate præſtat, quæ nunc vulgò Tyrol dicitur, totique Comitatui nomen dedit, olim verò Terioli in plurali numero vocabatur; In antiqua enim Imperii Occidentalis Notitia ſub Duce Rhætiarum fuiſſe legitur; *Præfectus Legionis tertiæ Italicæ træsvectioni ſpecierum deputatæ Teriolis, & mox Tribunus Gentis per Rhætias deputatæ Teriolis.*

NOVA CELLA.

NOva Cella vulgò Neuſtifft Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium non procul Brixinâ remotum, fundatorem ſuum agnoſcit Rambertum Sabionenſem Dynaſtam, ejuſque conjugem Chriſtinam, qui hortante S. Hartmanno Brixinenſi Antiſtite pio huic operi anno 1141. animum applicuere; primum verò Præpoſitum Henricum, qui anno 1164. comuni mortalium ſorti ſuccubuit. Ex hujus ſucceſſoribus Conradus Rodneckiana ortus ſtirpe, & Berchtoldus Friderici Archiducis antea Cancellarius ad Brixinenſem Cathedram gradum fecerunt, poſt quos vigeſimus ſecundus Præpoſitus Nicolaus Scheuber anno 1449. geſtandæ Infulæ prærogativam à Nicolao V. Papa ſibi, ac poſteris impetravit. Collegii ædificium bis Vulcani crudelitatem paſſum, tandem anno 1477. non modò reparatum, ſed in magnificentiorem quoque formam evectum eſt.

RATENBERGA.

RAtenberga, ſeu Ratenburgum, vulgò Ratenberg Urbs eſt cum Arce ad Oenum fluvium Kueffſteinio, & Schwacio interjecta, quam Rotenberg potiùs dicendam exiſtimat apud Brandiſium Bruſchius, eò quòd circumſiti montes copioſo fœti cupro quondam rubuerint; unde apertis ſub Friderico, & Sigiſmundo Archiducibus frequenti operarum labore fodinis, erutum indè metallum non modò per Germaniam, & Italiam, ſed per Galliam, & Hiſpaniam diſtrahebatur. Hæc Urbs modò Tyrolenſi Comiti, modò Bavariæ Duci quondam parebat; ſed anno 1505. à Maximiliano Cæſare unà cum Kueffſteinio recuperata Tyroli deinceps adhæſit.

RIPA.

RIpa, vulgò Italis Riva, Germanis Reiff amœniſſimo gaudet ſolo, cui partim Benacus lacus, vulgò di Garda appellatus, par-

partim citreæ, aureæque mali in littoreis clivis perpetuò virentes copioſas inſtruunt delicias. Adnexa illi Arx, quam Rocca Itali vocant anno 1124. à Civibus excitata, ingentibus diſſidiis anſam, & fomentum præbuit. Hanc enim primò Scaligeri Dynaſtæ occuparunt, quibus expulſis Meinhardus Tyrolenſis Comes Tridentinæ Eccleſiæ, ad quam jam pridem Civitas ſpectabat, anno 1290. ſubjecit. Sed alterò ſeculò, anno nimirum 1352. Mediolanenſes Principes, poſt hos rurſus Scaligeri, tandem Veneti potiti ſunt, inter quos, & Sigiſmundum Archiducem anno 1488. propter limitum controverſiam inter Arcuanos Proceres, & Ripenſes incolas exortam acre efferbuit bellum, his Republicâ, illis verò Archiduce patrocinante: ſopita tamen eſt eodem anno flamma, intercedentibus Summi Pontificis, & Imperatoris Legatis, ſed anno 1506. atrociùs eruptura; & quamvis poſt biennium Ripam conveniſſent Cæſaris Maximiliani nomine Tridentinus Præſul, & Cyprianus Serentinus ab epiſtolis, ex Reipublicæ autem parte Zacharias Contarenus, quibus acceſſerant Jacobus Triultius, & Carolus Jufredus Mediolanenſis Senatûs Princeps, ibique inducias pepigiſſent; inito tamen mox Cameraci celeberrimo illo fœdere, in quo Summus Pontifex, Imperator, Galliæ, & Hiſpaniæ Reges in Venetos conſpiraverant, ſequenti anno ejus ſeculi nono Cæſareus miles Ripam expugnavit non ampliùs amittendam. Speciosum in hac Urbe Templum tum forma, ac magnitudine præcellit, tum auro, & picturis renidet, cujus erigendi occaſionem Cardinali Madrucio præbuit B. Dei Genitricis effigies, in columna, quæ inter marmoreos aræ ſummæ ornatus hodieque ſpectatur, expreſſa; namque anno 1603., cùm penes hanc in publica via ſtantem, plauſtrum frumento grave duceret quidam Joannes Bruſaferrus nomine, impacta in offendiculum rota octennem filiolum antrorſum excuſſit, jacentemque ſupergreſſa ad mortem obtrivit. Perculſus tam deplorando ſpectaculo parens, dumque oculos quaquaverſum circumfert, prædictæ Deiparæ iconem intuitus, in genua prolabitur, & fuſis inter lacrymas precibus, filii incolumitatem à benigniſſima gratiarum Matre vix antea imploravit, quàm exoravit. Subjectum examini miraculum, ritèque approbatum majorem columnæ honorem ab accurrentibus populis, & pretioſum, de quo diximus, Templum à memorato Cardinali extorſit, D. Hieronymi Religioſis poſtea conceſſum.

ROBORETUM.

ROboretum vulgò Italis Rovaredo, Germanis Rofreit, amplum, ac venuſtum Oppidum ab Atheſi fluvio paucis infra Tridentum milliaribus alluitur, ab antiqua quercuum ſylva nomen ſumens, per quam anno 1445. Proceres de Caſtelbarco anguſtum antea locum ampliarunt. Dum prædictum inter Archiducem Sigiſmundum Tyrolis Comitem, & Venetos bellum anno 1488. ferveret, Auſtriaci Oppidum, Arcemque in ſuam poteſtatem redegere, paulò poſt tamen à Venetis recuperata. Rurſus Tyroli junxit Roboretum Maximilianus I. Imperator, cui Noviodunenſe fœdus anno 1516. in perpetuum adjudicavit. Nonnulli apud Bollandum (a) opinantur in hujus Oppidi ſitu olim floruiſſe Verrucam, illud nempe Caſtrum, quod Theodoricus Gothorum Rex apud Caſſiodorum (b) ita dilaudat: *Eſt in mediis campis tumulus ſaxeus in rotunditate conſurgens - - - totus mons, quaſi una turris efficitur, cujus ima graciliora ſunt, quàm cacumina, & in molliſſimi fungi modo ſuperiùs extenditur, cùm inferiori parte tenuetur - - - hunc Atheſis inter fluvios honorus, amœni gurgitis puritate præterfluit, cauſam præſtans muniminis, & decoris. Caſtrum pene in Mundo ſingulare tenens clauſtra Provinciæ; quod ideo probatur magis eſſe præcipuum, quia feris gentibus conſtat objectum. Hoc opinabile munimen, mirabilem ſecuritatem, cui deſiderium non ſit habitare, quam vel externos delectat inviſere?* Alii Atheſinam Cluſam interpretantur, quam inter Roboretum idem fluvius prætergreditur; at cum neutrum *mediis in campis* conſurgat, cenſet Cluverius id eſſe, quod à ſitu Caſtello della pietra appellatum Cæſareò præſidiò propè ditionis fines cautè cuſtoditur. Interim Verrucam ipſum eſſe Caſtrum Ferruge, quod Paulus Diaconus (c) per S. Ingenuinum Sabionenſem, & Agnellum Tridentinum Præſulem ab excidio liberatum memorat, partim nominis ſimilitudo, partim Tridentini Territorii ſitus abundè declarant. *Nomina*, inquit, *Caſtrorum, quæ diruerunt in Territorio Tridentino iſta ſunt: Teſana, Maletum, Semiana, Appianum, Fagitanum, Cumbra, Vicianum, Brentonicum, Volanes, Ennemaſe, & duo in Alſuca, & unum in Verona. Hæc omnia Caſtra cùm diruta eſſent à Francis, Cives univerſi ab eis ducti ſunt captivi. Pro Ferruge verò Caſtro intercedentibus Epiſcopis Ingenuino de Savione, & Agnello de Tridento data eſt redemptio per caput uniuscujuſque viri ſolidus unus uſque ad ſolidos ſexcentos.*

(a) Act. SS. ad diem 5. Feb.

(b) Lib. 4. Ep. 48.

(c) De geſt. Long. l. 3. c. 30.

SALURNUM.

SAlurnum Oppidum inter Tridentum, & Bocenum ſecus Atheſim fluvium interjacet, apud quod celeberrimam de Cimbris victoriam à C. Mario Romanorum Conſule anno ante Virginis partum 101. obtentam autumat Brandiſius, quando ſcilicet nebuloſo die Romani Cimbros inopinantes oppreſſere, pòſt ubi purior lux nebulam diſcuſſit, Marius acie in orientem converſa, totum ſcutis, galeiſque excepit ſolem, cujus repercuſſu perſtricti Cimbrorum oculi ſunt, totumque iis ardere cœlum viſum eſt, & exortus ſimul ventus concitati pulveris nubem in adverſa Cimbrorum ora propellebat. Verùm graviter Brandiſium falli oſtendunt Plutarchus, & Florus, qui illius prælii meminere; ille enim ſub Trajano florens apud Vercellas ſubalpinam Urbem utrumque exercitum concurriſſe docet; hic verò paulò recentior in planis Venetiæ campis conſertas ab iis manus enarrat, cujus verba utpote Tyrolim etiam non parum attingentia ſubjungere libuit. Sic igitur de Mario loquitur: *Sublatis funditus Theutonis in Cimbros convertitur. Hi jam (quis crederet?) per hyemem, quæ altiùs alpes levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruinâ deſcenderant. Atheſim flumen non ponte, nec navibus, ſed quadam ſtoliditate barbarica primùm corporibus aggreſſi, poſtquam retinere amnem manibus, & clypeis fruſtra tentaverant, ingeſtâ obrutum ſylvâ tranſiluere - - - ſed in Venetia, quo ferè tractu Italia molliſſima eſt ipsâ ſoli, cœliq; clementiâ robur elanguit. Ad hoc panis uſu, carniſq; coctæ, & dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggreſſus eſt - - - in patentiſſimo, quem Raudium vocant, campo procurrêre. Millia inde ad ſexaginta cecidêrunt.* Certiùs Salurnum inclaruit ob aliam victoriam ab Euino Longobardo Tridenti Duce ſub annum 576. adversùs Francos partam, quod à mox addendis Pauli Diaconi (a) verbis diſertè exprimitur, unde etiam de hujus Oppidi vetuſtate ſolidum judicium ferri poteſt; ſic enim ille ſcribit: *Dux Francorum Crannichis non multum poſt tempus Tridentum veniens, devaſtabat. Quem ſubſequens Euin Tridentinus Dux, in loco, qui Salurnis dicitur, ſuis cum ſociis interfecit, prædamq; omnem, quam ceperat, excuſſit, expulſisq; Francis Tridentinum Territorium recepit.* Salurnenſem Parœciam Ludovicus Tyrolis Comes, conſentiente Innocentio IV. Summo Pontifice, anno 1360. contulit Regularibus S. Auguſtini Canonicis, in propinquo D. Michaëlis Collegio, quod Welſch Michaël apud Germanos audit, anno 1145. ab Udalrico, & Henrico Comitibus ab Eppan liberaliter fundato.

(a) De Geſt. Lang. l. 3. c. 9.

STAMBSENSE COENOBIUM.

STambſenſi Ciſtercienſis Ordinis Cœnobio vulgò Stambs dicto, & ad Oeni fluvii ripam quaternis ſupra Oenipontum milliaribus magnificè aſſurgenti, initium dedit anno 1272. Meinhardus Carinthiæ Dux & Tyrolis Comes, Henrico ab Honſtetten primi Abbatis muneri admoto; amplioribus autem donis illud cumularunt Auſtriæ Archiduces, ita ut inter præclara hujus eximiæ Religionis Domicilia meritò celebretur. In inſigni ſacrarum reliquiarum, quæ hìc coluntur, gazophylacio maximi æſtimatur Caput S. Zachariæ Patris S. Joannis Baptiſtæ, quod anno 1360. ab Orientis Imperatore Joanne Palæologo tranſmiſſum fertur. Solenne hìc præterea fuit, veteres Tyrolis Principes in adornata à Meinhardo crypta recondere, in quam etiam Fridericum Auſtriæ Archiducem anno 1439., & ejuſdem ſeculi 96. illius filium Sigiſmundum intulere.

STERCINGUM.

STercingum, ſeu Stiriacium vulgò Sterzingen parva, ſed commoda Urbs ad Utium amnem, quam alii Ulz, alii Brennerbach vulgò vocant, Oenipontò 7. milliaribus Brixinam versùs recedit. Circumſitæ regionis vulgare nomen Wipthal anſam præbuit Cluverio, antiquum Vipitenum in Antonini Itinerarii fragmento ſuperiùs memoratum, iſtic agnoſcendi, cui non tam vocabuli affinitas, quàm itineris ibi deſcripti ratio ſuffragatur. Proſtratos hìc aliquando ab hoſtibus Romanos nonnullis argumento fuit lapis cum hac inſcriptione: *OSSA LEGIONIS DECIMÆ* in Parochialis Templi fundamentis effoſſus, quæ anno 1494. jacìebantur.

SCHWACIUM.

SChwacium vulgò Schwaz trium horarum itinere infra Halam ſecus Oenum deſcendit, Oppidum ditiſſimis metallorum fodinis celeberrimum, nec ſolùm propter amplitudinem, ſed ob formam viarum, ac ædificiorum pulchritudinem, populique frequentiam conſpicuis quibuſque Urbibus meritò annumerandum. In hoc Lambecius Lazium ſecutus, vetus ſtatuit Sebatum, quod in allegato jam alibi Itinerarii fragmento Aquileiâ Veldidenam euntibus ante Vipitenum obviabat; verùm cuivis Tabulas

las conſulenti patebit, nimis diſtortè, & per inutiles flexus ſic inſtitui iter, etiamſi, prout ſuſpicatur Lambecius, per Amanuenſium lapſum Sebatum Vipiteno præponeretur, cui poſtponi debuiſſet; quare ſatiùs fuerit cum Cluverio fateri, certa Sebati veſtigia evanuiſſe, cùm ſolis milliarium numeris fidendum non ſit, quos iterata toties deſcriptio non parum vitiavit. Interim nos invitant Schwacienſes theſauri in indicatis paulò antè fodinis reconditi. Detectæ hæ ſunt anno 1448. ſub Sigiſmundo Archiduce, cui Opulenti cognomen idcirco adhæſit, tantaque ibi multiplicis metalli, auri ſcilicet, argenti, æris, ſtanni, plumbique aliquando erat ubertas, ut anno 1560. triginta fermè operarum millia in iis laboribus occuparentur. Pereleganti deſcriptum ſtylo totum hoc metallicum opus ob oculos ponit Stephanus Vinandus Pighius, qui anno 1574. Carolum Fridericum Cliviæ, Juliæ, & Montium Ducem per illuſtriores Europæ Provincias comitatus, illud curiosè perluſtravit. Unde à prolixiori ejuſdem relatione hanc ſynopſim excerpam. In præruptis itaque, ac præcelſis circa Oppidum montibus permulta hiant fodinarum antra, è quibus quidquid metallici exſcindunt, carris evehunt, ſuperfluaque in tumulos egerunt, & veluti montes montibus imponunt: nec procul indè abſunt officinæ, ubi rivi ingentes per tubos in diverſas partes deducti non modò folles elevant, flammaſque in fornacibus excitant, ſed plura alia ſimul miniſteria promptiſſimi peragunt. Antequam tamen metallica materia per has fornaces excoquatur, confleturque, diverſimodè paranda eſt; purarum enim venarum fragmina in capſulas conjiciunt, atque præferratis piſtillis tundunt ab aquaria rota verſatis, ac tenui mox cribro tranſmeantem pulverem ſecernunt, non tranſmeantem rurſus piſtillis ſubjiciunt, atque ampliùs tundunt. Lapides verò quibus metalla ſunt mixta, primùm malleis minui tradit, dein in lacunulis lavari, paliſque in alveo agitari, ac demum per cribrum tranſmitti. Sed ut aliquid etiam de fodinarum ſtructura dicamus, ante earum oſtium teſte eodem Vinando, exſpectabant operarii plures truſilia habentes vehicula, in quatuor ferreis rotulis currentia, quibus ſingulos advenas excipiunt, atque prælucentibus tædis per montis trabibus ſuſpenſi cavernas, & cuniculos vehunt, ad tria ferè millia paſſuum, priuſquam perveniant ad puteos, & ad aquarias machinas; ubi interim ſtrepitus ingens aquarum ſub fulcris per obſcuros meatus labentium horrorem ſæpiùs incutit. Poſt cæcam hanc viam patent profundiſſimi putei, ad quadringentas interdum orgyas excavati, è quibus metallica ſaxa lapicidæ malleis acutis exſcindunt, omnemque materiam hauſtoriis vaſis è machina tractoria, quam duo volvunt, pendentibus extrahunt, truſilibuſque vehiculis per cuniculum evehunt. In puteorum fundum per funes deſcenditur, in quos etiam recens aura follibus, ac ventilabris adhoc paratis immitti debet, ne impuro aëre oppreſſa lumina extinguantur, aut metallici ſuffocentur. Magno econtra labore evehenda eſt aquarum vis per montium fiſſuras in fodinas, puteoſque influens, quod per mirandi artificii machinas à Vinando fuſiùs deſcriptas bini duntaxat operarii perficiunt. Non tantùm ſub Sigiſmundo Archiduce, ſed & ſub Ferdinando I. Cæſare ingentes divitiæ ex inexhauſto hoc theſauro eruebantur; docent enim rationum codices ab anno 1525., uſque ad ejuſdem ſeculi 64., ſolius puri, ac liquati argenti 2328500. marchas prodiiſſe; ab illius autem obitu defecit plurimùm metalli affluentia, ita ut eo ipſo anno 1564., non niſi 17518. marchæ, nec ullo deinceps anno ultra 20000. ad ærarium pervenerint. Cupri copiam indè conjicere licet, quod quamvis argenti marcham quadraginta ad minimum cupri pondo comitentur.

TRIDENTUM.

TRidentum, vulgò Italis Trento, Germanis Trient, ſpecioſa Urbs in plano fertilique ſolo, propinquis tamen alpium cacuminibus inumbrato, ad Atheſim fluvium jacet, nomenque ſuum apud vetuſtos geographos percelebre, quod à trium torrentium confluxu, vel à Neptuni hìc præcipuè culti tridente ortum creditur, etiamnum ſervat. Mentionem illius faciunt Strabo, Plinius, Ptolomæus, Antonini Itinerarium, & Peutingeriana Tabula, ſed originem nemo attingit. Conjiciunt nihilominus aliqui à Brenno Gallorum Duce eam initium ſumpſiſſe; alii jam à Tuſcis ſub Rhæto huc commigrantibus inceptam malunt, & à Gallis poſtmodùm ampliatam. Poſt Romani Imperii ruinam, Oſtrogothorum primò, dein Longobardorum jugum ſubivit, qui ſingularem iſtic Ducatum ab Evino primo Duce obtentum erexere. Qua autem ratione temporale quoque, ùt vocant, Urbis dominium Epiſcopo collatum ſit, nunc aperiemus: Eccleſiæ Tridentinæ initium in primum Chriſtianæ æræ ſeculum, in annum nempe ſeptuageſimum octavum refert Brandiſius, narrans ea tempeſtate S. Hermagoram S. Marci Evangeliſtæ diſcipulum primæ hiſce

in oris Ædi vèro Deo ſacratæ Jovinum præfeciſſe, poſt quem ſubnectit Abundantium, Claudianum, Magorianum, alioſque, donec anno 383. S. Vigilius familiâ Equeſtri Romanâ ortus, Theodoſii, & Maxentiæ filius, cùm ſub Damaſo Papa patriâ relictâ cum binis fratribus in montana hæc loca ſeceſſiſſet, ab Abundantio Aquileienſi Patriarcha demandatam ſibi Epiſcopalem Tridentinorum curam ſuſcepit. Perperam tamen Honorio imperante id factum additur, utpote anno 384. primùm nato. Tantô interim ſtudiô, ac zelô munus ſuum adminiſtravit Vigilius, ut brevi temporis ſpatio viciniam ab Idolorum cultu expurgatam ad Chriſtum adduxerit: tandem verò cùm Fanum Saturni in Valle Rendena evertere attentaret, ab Ethnicorum rabie lapidibus obrutus triumphantem animam reddidit Creatori. Crevit ſucceſſu temporis Epiſcopatus munificentiâ Imperatorum, ac Principum, inter quos Theodoſius Legerinam, & Urſicinam Vallem, Carolus Magnus Ripenſem Urbem donavit, & demum Conradus II. ipſum Ducatum, Vallemq; unà cum Bocenenſi ditione adjecit: atque licèt crebras ſub Bojorum dominatu hæc Eccleſia ſuſtulerit calamitates, quibus illius potentia atterebatur, Auſtriaci tamen Principes Tyrolenſi Comitatu potiti priſtino ſtatui cuncta reſtituerunt. Hinc Albertus Epiſcopus ex Ortenburgicis Comitibus prognatus Albertum, & Leopoldum Archiduces Auſtriæ, & Tyrolis Comites, literis anno 1365. datis hæreditariæ ſuæ Diœceſeos Advocatos agnovit, & ſuam viciſſim opem eiſdem detulit: quæ mutuæ defenſionis pacta ſub Friderico, Maximiliano, & Ferdinando Imperatoribus repetita deinceps ſunt, ſed ſalvo jure immedietatis, utì loquitur illorum teſtis Wilhelmus Im Hoff, nec non ſeſſionis, ac ſuffragii in Imperialibus Comitiis, quæ Tridenti Præſules tanquam Imperii Principes ſemper obtinuerant. Conſtitutum præterea ab eodem fertur anno 1511., ut Epiſcopus Tyrolenſis Provinciæ Conventibus interſit, de pace publica, ſalute ac defenſione patriæ conſilium conferat, ſuam æris partem ſecundùm exigentiam pendat, econtra verò Tyrolis Comes, ea quæ Diœceſis Imperio debet, exceptis tantùm impenſis Cameralibus perſolvat: Officiales hæreditarii hujus Epiſcopatûs ſunt, Pincernæ Comites de Thun, Mareſchalli Barones de Firmian. Ab Epiſcopali dignitate ad reliqua Tridenti decora converſi ſpectabimus præter ſublimem, ſplendidamque Principis aulam non pauca Templa, inter quæ excellit Cathedralis Baſilica à S. Vigilio Epiſcopo, & Martyre primùm erecta, & DD. Gervaſii, & Protaſii MM. cultui dicata, in quam cùm illatum fuiſſet ſacrum ipſius conditoris corpus, S. Vigilii Templum dici cœpit, ad magnificum, quo hodie nitet, ſplendorem per piam Urbis liberalitatem poſtea evectum. Ternæ inſuper adſunt Parœciæ, quarum Templa ſunt S. Mariæ Magdalenæ, S. Mariæ Majoris albo, rubroque relucens marmore, ac peculiaris artificii organo celebratum, atque D. Petri, in quo celeberrimum S. Simonis Mauſolæum è candido marmore ſuper altare aſſurgit, aſcenſum à tergo habens, per quem à ſolo ſubvectus ſpectator per inauratos clathros contemplari poſſit monumentum Judaicæ crudelitatis, incorruptum ſcilicet ſeſquianniculi infantis corpus, in genu, tibiaque dextris evulſa carne anno 1475. miſerè laceratum, totaque cute acubus diſpunctum. Religioſorum Monaſteria præter Societatis Jeſu Collegium bina S. Auguſtino, & S. Marco ſacra Urbi includuntur, quinque verò foris eandem circumdant. Verùm maximam Tridento famam, gloriamque peperit Oecumenicum Concilium à Paulo III. Summo Pontifice ibi anno 1545. convocatum, cui initium datum eſt idibus Decembris, ex Sanctiſſimæ Triadis Parthenone ad S. Vigilii Baſilicam inſtituta ſupplicatione procedentibus tribus S. R. E. Cardinalibus Legatis, Cardinali Madrucio Epiſcopo Tridentino, quatuor Archiepiſcopis, viginti Epiſcopis, quinque Religioſorum Ordinum Præſidibus, & Ferdinandi Romanorum Regis Oratoribus. Acceſſerunt deinceps alii quamplurimi, ita ut univerſim ſeptem Cardinales, tres Patriarchæ, triginta tres Archiepiſcopi, ducenti triginta quinque Epiſcopi, ſeptem Abbates, totidem Religionum ſummi Præſides præter diverſorum Regum, Principumque Oratores, & 146. alios Theologos numerati fuerint. Interim habitæ ſunt in prædicto S. Vigilii Templo octo ſeſſiones uſque ad annum 47., quo ob graſſantem Tridenti epidemicam luem translatum eſt Concilium Bononiam, Hiſpanis Præſulibus Tridenti ſubſiſtentibus; donec anno 1551. à Julio III. priſtinæ ſtatoni reſtitutum, & in S. Mariæ Majoris Templo deinceps congregatum, tandem anno 1563. ſedente in Petri Cathedra Pio IV. fœlicem exitum fuerit ſortitum, cui præſentes ſubſcripſere ſex Cardinales, tres Patriarchæ, viginti quinque Archiepiſcopi, centum ſexaginta octo Epiſcopi, triginta novem abſentium Præſulum Procuratores, ſeptem Abbates, & totidem Religioſorum Generales, nimirum Ordinis Prædicatorum, Minorum Obſervantium, Minorum Conventualium, Eremitarum S. Auguſtini,

ſtini, Servorum B. Virginis, Carmelitarum, & Societatis Jeſu.

WILDENENSE COENOBIUM.

Wildenenſe Cœnobium, vulgò Wilden, vel ùt ab aliquibus ſcribitur Wilthan, & Wiltheim prope Oenipontum ad Meridionalem plagam ſitum, pervetuſtam quidem jactat originem, ſed etiam fabulis involutam; ſiquidem pro ſacra D. Benedicti Familia fundatum creditur à quodam Haymone giganteæ ſtaturæ viro, & ab idololatria ad Chriſtianam religionem converſo, quem nonnulli ex Italia, alii ex Rhenana ora anno 860. in has terras adducunt, & poſt 18. annos defunctum ſcribunt; ſupereſt ibi hodieque ſepulcrum cum ſtatua 12. pedibus alta, præter quæ monſtratur quoque ejuſdem enſis, clypeus, & oſſea quædam lingua longitudinis unius ulnæ, & gladii inſtar ancipitis mucronata, quam ferunt prædictum Haymonem ingenti draconi extructionem Cœnobii nocturna laborum præcedentis cujuſque diei ſubverſione impedienti, ideoque à ſe interfecto excidiſſe. Hujus hiſtoriæ, fabulæve mentionem faciens Brunnerus non nisì apud oppidò credulos hæc fidem invenire aſſerit, atque permirum ei accidit, tam luculentas cum draconibus pugnas, aliaque facta ingentia, quibus is gigas Herculem æquaſſe fertur, nulli veterum celebrare in mentem veniſſe: ſola quippe traditione ea ad nos delata ſunt, nec niſi tardiori ævo faſtis inſerta. Unde veritati magis conſona videtur Lambecii, aliorumque opinio, qui præmemoratam draconis oſſeam linguam xiphiæ piſcis roſtrum potiùs eſſe putant ex ſuperiori oris parte ultra ulnam ſæpiùs prominens, quale in hujuſmodi piſce ex Adriatico mari recenter extracto mihi aliquando contigit videre; ad unguem enim coincidit oſſeæ illius rei deſcriptio, quam ineptè linguam appellarunt. Tutiùs itaque fidem habebimus Brandiſio narranti, Candidi Ordinis Canonicos à Reginberto Brixinenſi Epiſcopo, abſcedentibus, aut priùs dilapſis (ſi tamen aliquando fuerant) Benedictinis, in hoc Monaſterium fuiſſe inductos anno 1130., decenniò ſcilicet poſtquam S. Norbertus illius Ordinis fundamenta Præmonſtrati in Diœceſi Laudunenſi jeciſſet, Marquardo Bruntrutano reliquis præeſſe juſſo. Sub hujus decimo ſexto ſucceſſore Dominico Leor novam, eamque magnificam Templi molem Sigiſmundus Alphonſus Brixinenſis Antiſtes coram Auguſtiſſimo Cæſare Leopoldo anno 1665. conſecravit. Premit hoc Wildenenſe Cœnobium Veldidenæ ruinas, cujus pervetuſta celebritas, ac ſitus ex quatuor Antonini itineribus, quorum unum jam alibi dedimus, affatim elucet; indéque peculiaris ejus dignitas arguitur, quod terna itinera Veldidenæ terminet; id enim non nisì in famoſioribus Civitatibus uſurpare conſvevit. Deprædicant ejuſdem excellentiam circumjacentes agri, in quibus ſæpe etiam nunc antiqua numiſmata Romana, aliaque varia veteris Veldidenæ indicia fortuito reperiuntur. Inter hæc maximè eruditioni ſervit columna milliaria ex candido marmore cum hac inſcriptione. *IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS SEVERUS PIUS PERTINAX AUG. ARABICUS ADIABENICUS PARTHICUS MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XI. COS. II. P. P. PRO. COS. ET IMP. CÆS. M. AURELIUS ANTONINUS PIUS. AUG. TRIB. POT. IIII. PRO. COS. ET IMP. P. SEPTIMIUS GETA ANTONINUS VIAS, ET PONTES REST. AB AUG. MIL. PAS. CX.* Stabat itaque olim circa viam publicam hæc columna ante Cœnobii portam, ſignabatque viam militarem, quæ ex Italia per alpes Auguſtam Vindelicorum ducebat, ab Imp. L. Septimio Severo, ejuſque filiis M. Aurelio Antonino Caracalla, & P. Septimio Geta per millia paſſuum centum & decem Auguſtâ ſcilicet Veldidenam uſque reſtauratam: verùm anno 1587. Ferdinandus Archidux Imperatoris Ferdinandi filius unà cum tribus aliis ejuſdem generis columnis milliariis in illa ad Oenum planitie hinc indè repertis in Ambraſianam Arcem transferri curavit.

SVEVIÆ PARS.

Svevia nobiliſſima Regio, cui à Septentrione adjacet Franconia, ab Ortu Bavaria, à Meridie Helvetiæ, Rhætiæque pars, & ab Occaſu Alſatia, olim Regnum, dein Ducatus audiebat, hodie verò in diverſa prorſus dominia diſcriminatur. Ager illi fertilis, cujus nulla portio inculta jacet, præterquam ubi lacus, aut ſylvæ terram occupant; in quibus tamen frequens piſcatio, nec minor venatio aliarum rerum defectum ubertim ſupplent. Cæterùm alibi frumentorum abundantia, quorum magna vis. Tota Provincia ſalubri aëre gaudet, celebratiſſimis Urbibus, Vicis, & Caſtellis referta. Arces excelſæ naturâ, & arte munitæ. Circa montes, ferrum,

argentum, aliaque metalla procreat. Gens populosa, & bello clara, Germanorum præstantissima à Plutarcho habita, cujus paulò altiùs originem repetemus, postquam antiquiores hujus oræ incolas descripserimus.

Maximam Sveviæ partem à Vindelicis quondam insessam, & ab iisdem Vindeliciam appellatam nemo veteris geographiæ peritus in dubium revocat. De eorum tamen ortu, & genere non parum disputatur. Eos Servius Liburnorum, hos Amazonum propaginem autumat. Porphirio à Thracibus, quos Amazones patriâ ejecerint, eosdem derivat Servii narratio, quà Amazones attingit, avidè à pluribus excipitur, quibus allegati aliàs Horatii versus favere videntur; ab eruditissimo tamen Velsero (a) inter fabulas meritò rejicitur. Ab Illyriis saltem eos proveniisse credidit Cluverius. (b) Sed longè magis arridet Velserus Vindelicos Rhætorum familiam ab initio arbitratus, qui privatam nuncupationem à Vindone, & Lyco penes Augustam confluentibus desumpserint, ubi primariam eos fixisse sedem non obscurè apparet. Certè sub unius Rhætiæ nomine, non Rhætorum tantùm, sed & Vindelicorum terras fuisse à Romanis interdum comprehensas plerique fatentur, quod compluribus veterum testimoniis confirmat Cluverius, idque ex Rhætiæ finibus, quos à Ptolomæo statutos alibi vidimus, clariùs elucet; quinimò in Notitia Imperii Romani, in Antonini Itinerario, & apud Paulum Diaconum Rhætiæ secundæ nomine Vindelicia indicatur. Hinc de finibus, qui illam à propria, seu prima Rhætia distinguebant, haud minor, quàm de origine controversia. Lycum quidem fluvium posuit Ptolomæus, sed in hoc passim erroris arguitur, plurium veterum scriptorum textibus convictus. Horum non infimus Strabo, (c) qui Vindelicos ad lacum Brigantinum usque pertingere non semel asseruit. *Cui regioni*, inquit, *Istri, & Rheni fontes proximi sunt. Inter utrumque lacus, & effusæ de Rheno paludes - - - lacus habet insulam, qua velut Arce ad invadendos Vindelicos commodissimè usus in navalibus pugnis Tiberius - - - Ad eum lacum Rhæti paululum adsunt, amplius Helvetii, & Vindelici.* Unde certò videntur Vindelici ab Oeno fluvio, quà se in Danubium exonerat ad lacum Brigantinum, extensi fuisse, atque hinc Rhætiæ propriæ partem, & Helvetos, indè Noricum spectasse. A Germania magna Danubio arcebantur. Australes in alpibus terminos, quibus à reliqua Rhætia separentur, etsi, utì innuimus, difficilè sit definire, propius tamen vero est, extremas tantùm, & humiliores coluisse, quod ex Strabone colligit Velserus, ubi ille ait: *Vindelici autem, & Norici montana exteriora tenent.* Hæc de Vindelicis, à quibus ad Svevos eorum successores pergamus.

Ampliſſimam olim fuisse Svevorum gentem, disertè nos docet Tacitus (d) sic eos describens: *Nunc de Svevis dicendum est, quorum non una, ut Cattorum, Tencterorumque gens: majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus, nominibusque discreti, quamquam in commune Svevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem, nodóque substringere. Sic Svevi à cæteris Germanis; sic Svevorum ingenui à servis separantur.* Consonat Tacito apud Cluverium Æthicus: *Germania*, inquit, *ubi plurimam partem Svevi tenent, quorum omnium gentes sunt LIV.* Verùm uno atque altero seculo post Taciti ætatem, cùm Alemanni, Franci, ac Saxones, Svevorumque trans Salam, atque Albim nationes, Gothi, Burgundiones, Vandali, Quadi, Marcomanni, propriis, ac distinctis ab invicem nominibus clari haberentur, solos eos à Romanis dictos fuisse Svevos Cluverius censet, qui Borealem Danubii plagam Norimbergam versùs extensam incolebant, favetque utcunq; illi Jornandes conterminos Svevis populos enumerans, quos in secundo ejus authoris textu videre est, à nobis, dum de Gottschevia ageremus, aliàs allegato. Interim certum illud est, non ampliùs tam latè patuisse Sveviam, sed tantùm in aliqua vastæ illius regionis parte subsequentibus post Tacitum temporibus hoc nomen perduraſse; sic enim scribit Orosius, (e) qui seculo quinto florebat: *Insurrexerunt gentes Marcomanni, Quadi, Vandali, Svevi, atque omnis pene Germania.* Et Æthicus apud Cluverium: *Oceanus Occidentalis habet gentes Gothos, Thuringos, Herulos, Marcomannos Longobardos, Svevos, Francos, Alemannos.* Cùm tamen ex his populis Marcomanni, Quadi, Longobardi à Tacito inter Svevos referantur, quorum alia, apud eundem mentio etsi ad situs intelligentiam non pertineat, eruditionis tamen gratiâ non prætereundam putavi, ubi nimirum de Romanorum sacris ita differit: *Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem, ac Martem concessis animalibus placant: pars Svevorum, & Isidi sacrificat. Unde causa, & origo peregrino sacro parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum Liburnæ figuratum, docet advectam religionem.* Cæterùm Svevi jam à prædictis gentibus discreti ad Danubii fontem paulatim ascenderunt, Alemannis, quorum sedes indè ad Rhenum, & Mœnum usque protendebatur, aut ex Germa-

(a) Rer. Aug. l. 2.

(b) Vind. & Nor. c. 3.

(c) Lib. 7.

(d) De more Ger.

(e) Lib. 8. c. 15.

(a) Germ. ant. l. 3.

ni a prorſus recedentibus, uti Cluverio (a) viſum eſt, aut novos hoſpites ſecum mixtos tolerantibus. Hinc eſt illud Pauli Diaconi:

(b) Lib. 2. c. 15.

(b) *Liguria uſque ad Gallorum fines extenditur. Inter hanc, & Sveviam, hoc eſt, Alemannorum patriam, quæ versùs Septentrionem eſt poſita, duæ Provinciæ, id eſt, Rhætia prima, & Rhætia ſecunda infra alpes conſiſtunt.* Tandem trajectô Danubiô in Vindeliciam, ſeu ſecundam Rhætiam penetrantes Svevi hodiernum Sveviæ nomen huic regioni indiderunt. Ex ea autem non nisì, quæ clementiſſimo Auſtriacæ Domûs imperio hæreditario jure ſubjacent, modò breviter exponenda ſeligemus.

Marchionatus Burgovienſis inter Lycum, & Ilarum fluvios comprehenſus à primaria Urbe Burgovia nomen ſumit, quæ vulgò Burgow dicta à Mindela amne uno, antequam in Danubium influat, milliari alluitur, & quatuor milliaribus Ulmâ in Ortum recedit. Aliam præterea non ignobilem Urbem hæc ditio complectitur, nimirum Guntiam, ſeu Guntsbergam ſex milliaribus Auguſtâ remotam, quam Danubius Guntiâ fluviô auctus præterfluit, & cujus præclaram memoriam nobis ſuppeditat panegyricus Maximiano Cæſari Diocletiani collegæ ab incerto authore dictus, dum cladem Alemannis perpetuis Rhætiæ hoſtibus anno 284. ab eo inflictam his verbis deprædicat: *captus ſcilicet Rex ferociſſimæ nationis inter ipſas, quas moliebatur inſidias, & à ponte Rheni uſque ad Danubii tranſitum Gutienſem devaſtatâ, atque exhauſtâ penitus Alemanniâ.* Urbibus adjicio celebriores Religioſorum Ædes per hunc Marchionatum diſperſas. Wettenhauſianum Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium fundarunt Conradus, & Wernherus Comites de Rockenſtein, nec non Gertrudis eorum mater. Conditus in hoc jacet Henricus Marchio Burgovienſis, qui anno 1283. ſinè prole maſcula è vivis ſublatus nobiliſſimæ ſuæ proſapiæ finem impoſuit. Fultenbachenſe Ordinis S. Benedicti Cœnobium Auguſtam inter, & Dilingam longam jam numerat ætatem, utpote anno 730. à S. Victerpo Auguſtano Epiſcopo conſtructum. Elegans Virginum Ordinis S. Benedicti Monaſterium vulgò Holtz nuncupatum, egregium eſt monumentum S. R. I. Mareſchallorum Pappenheim, Dornsberg, & Biberach, qui illud primitus, incertum quo anno erexere. Tranſiit hic Marchionatus ad Habsburgicam Domum anno 1282., quo Rudolphus I. Imperator in Auguſtanis Comitiis, habito Imperii Ordinum conſenſu, Rudolpho filio illum contulit, etiam Sveviæ Duci renunciato, cùm anno 1269. Conradinus ultimus ex veteri ſtirpe Sveviæ Dux Neapoli in Italia à Carolo Andegavenſi capite plexus orbatam ſucceſſoribus hæreditatem reliquiſſet.

Hohenbergenſis Comitatus, qui à nonnullis ſolo Dynaſtiæ titulo indicatur, in Inferiorem, & Superiorem ab Arnoldo dividitur. Hic ad Nicri vulgò Necker vocati fontes jacet; ille verò cum eodem fluvio deſcendit. Superioris Caput eſt Caſtrum Hohenberga; Inferioris Rotenburgenſis Arx in lævo Nicri littore, uno ſupra Tubingam milliario aſſurgens, quam Carmelitarum, & Capucinorum Cœnobia nobilitant. In adverſa autem Nicri ripa Rotenburgo reſpondet Collegiata Eccleſia à Comitibus Hohenbergicis anno 1320. fundata, in qua Præpoſitus, duodecim Canonici, & quatuor Vicarii, ùt in Blavii Atlante legere eſt, opulentis redditibus fruuntur. In valle inſuper Rotenburgica proſilit acidus fons certiſſima plurium morborum medicina.

Spectant præterea hæreditario jure ad Auguſtiſſimam Auſtriacorum Heroum Proſapiam ipſe Landgraviatus Sveviæ à Wenceslao Imperatore anno 1379. Archiduci Leopoldo pro 40. aureorum millibus Francofurti oppignoratus. Nellenburgenſis Dynaſtia inter Danubium, & Brigantinum lacum incluſa, aliaque minoris nominis loca.

RHÆTIÆ PARS.

RHætia propria, ſeu prima, quatenus ſcilicet à Vindelicia diſcernebatur, præter luſtratum antea Tyrolis Comitatum, & Griſonum, ſeu Canorum Rempublicam, quos vulgò Graubünder dicimus, nonnullas aliàs Regiones complexa eſt, Auſtriaco ſceptro hodieque ſubjectas, quas ſub hoc titulo conjungemus.

Brigantinus Comitatus nomen ſuum vel à præcipua Urbe Brigantia in littore Conſtantienſis, olim Brigantini lacûs ſita, vel à Brigantio fluvio in eundem lacum prope Urbem illabente mutuatur. Hanc Rhætiæ expreſsè inſerit Ptolomæus (c); Strabo (d) autem Vindeliciæ eam attribuere quamplurimis viſus eſt, dum ita ab iis latinè redditur: *Eſtiones, & Brigantii ad Vindelicos pertinent: eorum Oppidum eſt Brigantium, & Campodunum*: verùm non deſunt alii, inter quos Ægidius Schudus apud

(c) Lib. 2. c. 12.
(d) Lib. 4.

Schardium, hunc Strabonis locum ſic aliter interpretantes. *Ferociſſimi inter Vindelicos Licatii, & Clautenatii cenſebantur. Rhætorum autem Rhucantii, & Cotvantii. Eſtiones verò, & Brigantii Vindelicos attingunt: eorum Oppidum eſt Brigantium, & Campodunum.* In quam lectionem magis propendeo, cùm poſt Rhætos Strabo Brigantios jungat, eos potiùs additurus Vindelicis, ſi ad hos illos pertinere voluiſſet. Brigantinæ porrò Civitatis, lacuſque frequens eſt apud alios quoque veteres ſcriptores mentio. Plinius (a) poſtquam mugiles, alioſque piſces cæteris prætulit, ita proſequitur: *Proxima eſt his menſa generis duntaxat muſtellarum, quas, mirum dictu, inter Alpes lacus Rhætiæ Brigantinus æmulas marinis generat.* Ammianus Marcellinus (b) ipſum lacum Brigantiam vocat communi cum Oppido nomine: *Relegens*, inquit, *margines lacus Brigantiæ.* Et paucis interjectis. *Rhenus lacum invadit, quem Brigantiam accola Rhætus appellat.* Solinus (c) quoque hôc illum encomiô celebrat: *Si Thracia è Gallia petenda, excipit ager Rhæticus opimus, & ferax, Brigantino lacu nobilis.* Brigantius verò amnis ex ejuſdem nominis ſylva profluens, antequam in lacum ſe exoneret, valles irrigat vini, frumentique feraciſſimas multis Pagis quaſi conſitas; at ſtatim poſt fontes auſteritas multa, nec aliud ferè, quàm nemorum horror oculis obverſatur. Parum infra Brigantiam Urbem in eleganti, commodaque lacûs crepidine obviat Augia Major, aliàs Brigantina venuſtiſſimum Ordinis S. Benedicti Cœnobium à SS. Columbano, Gallo, & Magno inchoatum, quod poſtero tempore præclarè reſtituit ſub annum 1097. Udalricus Brigantiæ Comes; eximiâ autem vitæ ſanctimoniâ præter tres Conditores conſecrarunt SS. Theodorus, Attalus, Walbertus, Deicola, Walericus, Bebo Waredolenus, Kilianus, & recentiori ævo BB. Marbotus, & Diethus. Cæterùm Brigantinum Comitatum Rudolphus Comes Monfortius, quem ſub initium decimi tertii ſeculi vixiſſe tradit apud Wilhelmum Im Hoff Arzetus, unà cum uxore Eliſabetha Palatina Tubigenſi ex ea ſtirpe primus obtinuit, à qua ad Auſtriacam tota hæc ditio tranſiit, partim anno 1450. ab Eliſabetha Wilhelmi Monfortii filia Sigiſmundo Archiduci, partim anno 1525. ab Hugone Monfortio Ferdinando Archiduci vendita.

(a) Lib. 9. c. 17.

(b) Lib. 15. c. 6.

(c) Cap. 24.

Feldkirchenſem Comitatum cognominat Feldkirchia, parva, ſed elegans Urbs juxta Illam amnem non multò pòſt in Rhenum influentem ſita, vînò abundans, & mercimoniô frequens, quam alii Valcurium â Latinis dictam, neſcio quo fundamento, arbitrantur. Alii congruentiùs ab antiquis Rhætis Campi nomen accepiſſe putant, ibique poſtea ab iiſdem Chriſtiana ſacra edoctis erectâ D. Petro Eccleſiâ, Campi Eccleſiam, ſeu Germanicè Feldkirch eum locum audiviſſe. Certè à mercatoribus ex Italia huc ſæpe adventantibus Campo di S. Pietro etiamnum appellatur, & in vetuſtioribus Curienſis Epiſcopatûs monumentis ita de hoc loco legitur: *De Eccleſia S. Petri ad Campos, id eſt Feldkircha beneficium, &c.* Quinimo, ſi ſecundæ Strabonis interpretationi paulò antè allegatæ preſſiùs inhæreamus, ſanè pro Campoduno Feldkirchiam Brigantinis propiorem potiùs intelligemus, quam Urbem Kempten ab iis remotiorem, & antiquæ Vindeliciæ certò incluſam. Comitatum hunc anno 1376. Leopoldus Archidux à Rudolpho Monfortio triginta ſex aureorum millibus emit, cui adjecit Dynaſtias Pludenz, Sargans, & Sacrum Montem ab Alberto Comite Werdenbergico iis tuendis impari divenditas. Anno dein 1416. cùm Archidux Erneſtus Feldkirchiam Comiti Friderico Tockenburgico oppignoraſſet, numeratâque jam ab hoc pecuniâ, Archidux Fridericus Erneſti frater Urbem tradere detrectaret, hæc à Comite obſeſſa in ejus poteſtatem devenit, ſed à Friderico IV. Cæſare poſtmodum redempta ad Auſtriam rediit. Fuggero (d) tamen iſta docenti adverſatur Gerardus de Roo, (e) qui non ab Erneſto, ſed à Sigiſmundo Imperatore poſt proſcriptum Fridericum Archiducem oppignoratam aliis Feldkirchiam refert.

(d) Spec. ho. l. 4. c. 5.

(e) Hiſt. Au. l. 4.

Inter has duas ditiones hactenus deſcriptas interjacet Monfortenſis Comitatus ab Auſtriæ Archiducibus perſolutô pretiô pariter comparatus.

CONSTANTIENSE TERRITORIUM.

COnſtantia, vulgò Coſtenz, vel Coſtnitz percelebris Urbs cognomini imminet lacui, ſex, vel ſeptem milliaribus longo, qui à Mela Venetus, ab aliis Brigantinus, & Podamicus, vulgò Bodensee vocatur, quemque Rhenus non procul Roſchaco ingreſſus interfluit, coram Conſtantia in inferum, ſeu Cellenſem lacum tranſiturus, olim à Mela Acronium, nunc vulgò Cellerſee, vel Unterſee appellatum, quam-

quamvis alii in Acronio ſuperum, in Veneto autem inferum à Mela expreſſum autument. Antiquam eſſe Urbem nemo ambigit, Romanam enim in ipſo nomine præfert originem, licèt apud nullum veterem authorem ejus memoria habeatur; nec nisi in tenebris palpant, imò prorſus à vero aberrant, qui Ptolomæi Ganodurum, ſeu Gavanodurum iſtic ſtetiſſe pronunciant. Proferunt alii, hanc Urbem à Conſtantio Conſtantini Magni parente muris circumdatam, ab eo etiam nomen fuiſſe adeptam, ſed veroſimiliùs conjicit apud Braunium Picus, Conſtantio Imperatori Conſtantini Magni filio nomen, Urbemque deberi, dum ita de Conſtantienſibus canit:

Quos Conſtantini proles oriente ſubacto
Occiduas repetens ſtellanti murice terras
Condidit, & proprio ſignavit nomine.

Conſtantiam illuſtrat Epiſcopatus Vindoniſſæ Helvetorum Pago nunc Windiſch dicto, & ſex milliaribus hinc in Occaſum diſſito à S. Beato, quem Apoſtolorum Princeps D. Petrus conſecraſſe fertur, inceptus, & à S. Maximino, vel Maximo Epiſcopo ſub annum 570. in hanc Civitatem tranſlatus; inter cujus ſucceſſores ſanctitatis fama præ reliquis claruere: D. Gebhardus I. ex illuſtri, ut quidam cenſent, Habsburgicorum Comitum ſanguine, eoque pro Chriſti nomine anno 885. glorioſè profuſo longè illuſtrior: B. Notingus Veringenſis Comes ex S. Galli Monaſterio ad Epiſcopalem Cathedram, hinc ad cœleſtis regni ſolium ſeculo decimo evectus: D. Conradus Rudolphi Comitis Altorfenſis filius ob terna Templa SS. Joanni, Mauritio, & Paulo Conſtantiæ extructa, atque univerſum patrimonium Epiſcopatui donatum de Conſtantienſi Eccleſia optimè meritus, & anno 974. ab hac ad triumphantem translatus: S. Gebhardus II. Brigantinus Comes, & Petruſiani Cœnobii fundator anno 995. terris ereptus: B. Gebhardus III. Zeringiæ Dux, Bertholdi Alemanniæ Ducis frater ex Hirſaugienſi Aſceterio ad Infulam, & anno 1110. ad immarceſcibilem coronam evocatus. Capitulum 24. Canonicis conſtat, quorum Cathedralis Baſilica D. Stephano ſacra non modicam ædificii magnificentiam oſtentat. Porrò Conſtantienſis Diœceſis omnium Germanicarum ampliſſima præteritis ſeculis habebatur, idque maximè patuit ſub Friderico Præſule ex Comitibus de Zellern, qui coacta anno 1435. Diœceſana Synodo, initoque Eccleſiaſticorum cenſu, ſibi ſubeſſe reperit 350. Monaſteria. 1760. Parœcias, & ſupra 17000. Sacerdotum: & quamvis graſſante poſtmodùm per Sveviam, ac Helvetiam hæreſi complures Civitates ejus jurisdictioni ſe ſubduxerint, latè tamen adhuc Epiſcopi in ſacris poteſtas extenditur. Neque minùs prædiis, ditionibuſque ditatur; tenet enim præter varia in Turgoia loca, Civitates Mersburg, & Marchdorff, quarum illa Comitibus de Rordorff quondam paruit, nunc ſedem, ac domicilium Conſtantienſi Antiſtiti, & S. R. I. Principi præbet. Inſcribitur præterea hic Epiſcopus Reichenoviæ Dominus, quæ aliàs Dives Augia dicitur, eſtque Ordinis S. Benedicti Cœnobium olim longè potentiſſimum, ex quo tredecim Archiepiſcopi, & triginta quatuor Epiſcopi prodiere, & in quo Cœnobitæ S. Marcum Evangeliſtam, indignantibus Venetis, ſepultum prætendunt. Jacet in ſitu ad miraculum eleganti, in inſula nempe Cellenſis lacûs omnibus naturæ gratiis exculta, in qua illud condidit circa annum 742. S. Pirminus Meldenſis Epiſcopus, primuſque Augiæ Abbas, liberalibus Caroli Martelli ſubſidiis inſtructus, cúmque non nisi nobili orti proſapia ab initio reciperentur, tot in eo aggeſtæ ſunt opes, ut annui proventus ad ſexaginta millia aureorum aſcenderint. Anno autem 1540. quinquageſimus nonus Abbas Marcus à Kneringen poſt longas cum Epiſcopatu Conſtantienſi diſceptationes, Abbatiæ adminiſtrationem Joanni à Welza ejus Eccleſiæ Præſuli tranſcripſit, à quo, annuente Sumo Pontifice Epiſcopatui inſerta eſt, auctuſq; Epiſcopi titulus. Verùm Conſtantiam repetamus, quæ inter liberas Imperii Urbes olim recenſita, Auſtriæ Archiducibus jam diu ſubjicitur, ab anno ſcilicet 1548., quo Carolus V. Imperator deſertæ Catholicæ Religionis causà eam proſcripſit, & poſtea libertate multatam Ferdinando I. fratri ſuo ſubjecit, his conditionibus à Wilhelmo Im Hoff allegatis: *ut ipſum, ejuſq; liberos, & hæredes pro ſuis Dominis imposterum agnoſcant, eiq; fidem omnem, & obedientiam præſtent, nec ab eis ullo tempore deficiant, neque fœdus ullum ineant: decretis, quæ Ferdinandus, ejuſq; Præfecti de religione facturi ſunt, omnino pareant: in bellicis, aliiſq; negotiis ipſi, ejuſq; hæredibus præſtò ſint, & imperata faciant, ſicut reliqui provinciales.*

Celebratur quoque in annalibus Conſtantia ob famoſiſſimum, & Oecumenicum Concilium anno 1414. ad tollendum ſchiſma convocatum, quod in tres partes Catholicam Eccleſiam diſtraxerat, cùm totidem ſederent Summi Pontifices, nempe Gregorius XII., Joannes XXIII., & Benedictus XIII., nec, quiſnam legitimus foret, diſcerni poſſet, multis Regnis, ac Provinciis cuivis illorum adhærentibus: Deo tamen favente res fœliciter ceſſit; namque

Joanne, & Gregorio ſponte abdicantibus, atque Benedicto, qui licèt ab omnibus derelictus, ad obitum uſque Paniſcolæ Hiſpaniæ Oppido Pontificatûs inſignia pertinaciter geſſit, ex Concilii ſententia depoſito, electus eſt in verum Pontificem à Cardinalibus Conſtantiæ degentibus, & triginta aliis probis, eruditiſque viris pro ea tantùm occaſione ad jus ſuffragii admiſſis, Otto Columna, poſtea Martinus V. vocatus, atque ab univerſa Eccleſia ingenti ſolatio agnitus, & adoratus. Animadverſum inſuper eſt ab hoc Concilio in binos Hæreticorum primipilos Joannem Huſſum, & Hieronymum Pragenſem, ambos in ſuo errore contumaces, ideoque momentaneis flammis exuſtos, quæ æternis præluſerunt. Diſſolutum tandem eſt Concilium anno 1418. à Summis Pontificibus, & poſterioribus Conciliis non integrè approbatum, cui præter Joannem XXIII. Papam, & Sigiſmundum Cæſarem ferventem publicæ in Eccleſia pacis promotorem, interfuere teſte Cochlæo Cardinales viginti novem, Patriarchæ quatuor, Archiepiſcopi 47., Epiſcopi 260., & cum his Abbatum, Præpoſitorum, & omnis generis Clericorum ingens numerus: ſecularium præterea Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, & Oratorum maxima multitudo.

Si poſt Conſtantiam cum Rheno deſcenderis, poſt longum fluminis flexum, qui Scaphuſiæ incipit, & in Urbe Keyſerſtuel ferè deſinit, in quatuor Urbes, quas ſylveſtres vocant, incides Auſtriacum Imperium itidem agnoſcentes: ex quibus prima obviabit Valdhuſta, vulgò Valdhuſt in Klegoviæ Regiuncula, quinque milliaribus Scaphuſiâ diſtans: ſecunda Lauffenburgum in rupe erectum, atque ab arte ſimul, & natura munitum: tertia Seckinga, ſeu Sanctio, aut Secconium vulgò Seckingen à Rheni undis circumdata: quarta Rhinfelda, vulgò Rheinfelden Urbs munitiſſima duobus ſupra Baſileam milliaribus poſita, nec procul à ruinis Auguſtæ Rauracorum, ſive Pago Augſt remota, quæ magnam bellis materiam ſæpiùs ſubminiſtravit, & elapſo nuper ſeculo, utì & Lauffenburgum, ſæpiùs ab hoſtibus capta, ac recepta, tandem juxta Monaſterienſis Pacis ſtatuta ad legitimos ſuos Dominos, Auſtriæ nempe Archiduces remigravit.

BRISGOIÆ PARS.

BRiſgoiam, vulgò Briſgow regionem frumenti, ac vini feraciſſimam ſecus Orientale Rheni latus protenſam Auſtriæ Archiduces, ac Badenſium Marchiones inter ſe quondam partiti ſunt. Præclariores illius Urbes meritò habentur Friburgum, & Briſacum, quæ à Gallis pluribus abhinc annis occupatæ, vi Riſwicenſis Pacis ad Auſtriæ obſequia redierunt. Friburgum vulgò Freyburg totius Provinciæ Metropolis hodie cenſetur. Urbs eſt ſitu amœniſſima inter montes excellens, à Bertholdo IV. Conradi I. Zeringenſis Ducis filio Henrici V. Cæſaris Temporibus ex tenui Pago in Civitatis formam redacta, & magnificis poſtmodum ædibus, Templis, ac Cœnobiis exornata. Briſacum olim Briſgoiæ Metropolis Rheni littori in rotundum collem elevato incumbens ab Antonino in Itinerario, & à Luitprando Ticinenſi, qui ſub Ottone I. Imperatore floruit, ſub Briſaci montis nomine memoratur: Urbs eſt valde elegans, populoque frequens, ob propinquas metallorum fodinas, utì apud Blavium legitur, maximè aucta. In ejus Arce vetuſta perdurat Turris à Bertholdo III. Zeringenſi Duce excitata. Nomen ſuum hi Duces traxerant à Caſtro quodam Zeringhen, cujus rudera mediò infra Friburgum milliariò in excelſo monte etiamnum ſuperſunt.

PARS

Regni BOHEMIÆ Tabula

Stud. et op. cujusdam Geographi S. I.

Pfeffel et Engelbrecht fec. et exc.



PARS II.

TOPOGRAPHIA REGNI BOHEMIÆ.

BOhemia, quam Germani Böheim vocant, Sileſiæ, & Moraviæ ab Ortu, Auſtriæ à Meridie, Superiori Palatinatui, & Voitlandiæ ab Occaſu, Miſniæ, & Luſatiæ à Septemtrione contermina, figurâ ferme ovali circumſcribitur ab Hercynio nemore veteribus celeberrimo coronata. Maxima ejus itineraria longitudo, omiſsô etiam Glacenſi Comitatu, ad 38. milliaria porrigitur, latitudo verò 34. adæquat, unde circumferentia ad plura quàm centum ſuo ambitu excurrit. Aëre fruitur ſalubri, quamquam ob flantes ſæpius Aquilones paulò frigidiore. Solum verò complectitur, ſi oleum, vinumque excipias, omnium penè rerum feraciſſimum; nam præter largam tritici, hordei, ac lupuli, quam agri ſuppeditant, meſſem; non modica auri, argenti, ſtanni, cupri, plumbi, ferri, mercurii, ſulphuris, & aluminis vis è montibus effoditur. Aquæ præterea piſces, ſylvæ feras, volatilia aër, terra gemmas ei liberaliſſimè ſubminiſtrant. Crocum hìc quoque, aliaque aromata … creſcere compertum eſt, ita ut quidquid ferè pretioſum reliquis mundi plagis natura diſtribuit, in hoc uno Regno congregaſſe videatur.

Regionem hanc in 12. Diſtrictus partitus eſt Carolus IV. Imperator, & Bohemiæ Rex. Erant ii Gurimenſis, Pilſnenſis, Litomericenſis, Reginohradecenſis, Rakownicenſis, Chrudimenſis, Prachnenſis, Slanenſis, Boleslavienſis, Zatecenſis, Czaslavienſis, & Bechynenſis. Quibus ſub Wladislao Rege acceſſiſſe videntur Podbrdenſis, & Wltavienſis; in Comitiis autem anni 1569., & 1579. Pragenſis Triurbs à Gurimenſium Capitaneorum jurisdictione exempta quidem fuit, peculiari tamen Diſtrictui non præeſt. Addendæ ſunt præterea Provinciæ tres, Egrenſis nimirum, Cubitenſis, & Glacenſis Comitatûs titulô clara, Bohemiæ Regno nunc inſertæ, quare & Bohemici Diſtrictus paſſim vocitantur. Harum itaque Provinciarum, ſeu Diſtrictuum limites ſingillatim ſubjungam, ut quam quævis Bohemiæ partem occupet, innoteſcat.

Diſtrictus Caurzimenſis, ſeu Gurimenſis ab Urbe Caurzim denominatus propriis Ducibus, & quidem admodùm potentibus olim fertur paruiſſe: claudunt eum nunc ab Arcto flumen Albis, ab Ortu Czaslavienſis Diſtrictus, ab Auſtro Bechynenſis, & ab Occaſu Wltavienſis: præcipua hujus dos eſt Salmorum captura, & ſylvarum multitudo, ex quibus ligna ſecundô Sazauâ, & Muldavâ fluviô plurimis ratibus Pragam aſportantur. Reginohradecenſis omnium ampliſſimus, qui ab Arcto Cerconoſſios montes, ſylvaſque Sileſiticas, ab Ortu Comitatum Glacenſem, ab Auſtro Diſtrictum Chrudimenſem, & ab Occaſu Boleslavienſem reſpicit, ab Urbe primaria Reginohradecio nomen ſumpſit, & piſcium, ferarumque copia, ſed præſertim phaſianis avibus, & generoſa grandium equorum propagine ſupra cæteros Diſtrictus celebratur. Chrudimenſis ab Urbe Chrudima ſic nuncupatus inter priorem Diſtrictum ad Boream, Moraviam ad Orientem, ac Meridiem, & Czaslavienſem Diſtrictum ad Occidentem extenditur …: hic etſi non adeò magnus, alios tamen omnes piſcinarum numerô exſuperat …. Czaslavienſis ab Urbe Czaslavia nomen mutuatus, qui Bohemiam argentô ditat: cingitur versùs Aquilonem à Reginohradecenſi Diſtrictu, versùs Ortum à Chrudimenſi, versùs Meridiem à Bechynenſi, ac Moravia, & versùs Occaſum à Caurzimenſi. Bechynenſis, cui Bechyna vetuſtum Caſtrum nomen dedit, ad Septemtrionem Wltavienſem, & Caurzimenſem Diſtrictus attingit, ad Ortum Czaslavienſem, & Moraviam, ad Occaſum Prachnenſem, & ad Meridiem Auſtriam. Wltavienſis omnium minimus à Wltava, ſeu Muldava eum per longum alluente ſuam denominationem aſſumpſit: huic ab Ortu

Borea adjacet Diſtrictus Caurzimenſis, ab Auſtro Bechynenſis, & ab Occaſu partim Podbrdenſis, partim Prachnenſis. Podbrdenſis, quia Brdiis montibus ſubjacet, ſic appellatus: contiguos habet ab Arcto Slanenſem, & Rakownicenſem, ab Ortu Caurzimenſem, & Wltavienſem, à Meridie Prachnenſem, & ab Occaſu Pilsnenſem: ferro abundat, & cervorum copiâ ſimul ac præſtantiâ præ reliquis eminet. Prachnenſis, qui à vetuſta Arce Prachno ſuis in ruderibus nunc ſepulta ita cognominatur, Podbrdenſi Diſtrictui ad Boream jungitur, Wltavienſi, & Bechynenſi ad Ortum, ad Meridiem Auſtriæ, Pilsnenſi ad Occaſum: à gemmis hic, & unionibus ſupra alios omnes Regni Diſtrictus commendatur. Pilſnenſis primariæ Urbi Pilſnæ nomen debet, ampliſque gaudet paſcuis, unde maximus hìc ovium numerus adoleſcit: circumdant eum ab Auſtro Bavaria, ab Occidente Palatinatus cum Egrenſi Diſtrictu, à Septemtrione Zatecenſis, & Rakownicenſis, ab Oriente Podbrdenſis cum Prachnenſi. Zatecenſis, ſeu Lucenſis primum à Zatecio Urbe nomen, alterum à pratis deſumit: Borealem ejus limitem conſtituit Miſnia cum Litomericenſi Diſtrictu, Orientalem Slanenſis cum Rakownicenſi, Auſtralem Pilsnenſis, & Cubitenſis Occidentalem: famoſa hìc eſt optimi lupuli meſſis, quæ toti Regno præſtat, & uberrimus tritici proventus, quo Slanenſem Provinciam adæquat. Rakownicenſis ſylvis, & montibus obſitus poſt Wltavienſem anguſtiſſimis includitur terminis, qui ſunt ab Ortu Slanenſis, & Podbrdenſis Diſtrictus, ab Auſtro idem Podbrdenſis cum Pilsnenſi, ab Occaſu Zatecenſis, qui cum ipſo Slanenſi Septemtrionalem abſolvit. Slanenſis, quem Pragenſe horreum plurimi judicant, ad Meridiem Rakownicenſi Diſtrictui connectitur, versùs Occaſum verò habet Zatecenſem, versùs Aquilonem Litomericenſem, & versùs Ortum Caurzimenſem: vulgò Slansko, à Slana Urbe regia, vel Zrzitsko à Zrzito monte nuncupatur. Litomericenſis, cui præſtantes ſtanni fodinæ, thermæque celeberrimæ famam pariunt, ferè totus ſub Sudetis montibus protenditur figura pyramidali, cujus baſis Zephyro, Africo, Libanotoque obverſa, Zatecenſi, & Slanenſi Diſtrictui incumbit, latus verò Boreale Miſniæ montanis, Auſtrale Boleslavienſi Diſtrictui adhæret, acumen demum inter Boream, Cæciamque ad Luſatiam pertingit. Boleslavienſis inter ampliores numerandus, & à veteri Boleslavia cognomen nactus gemmas præ cæteris Diſtrictibus gignit, finitimumque habet ab Oriente Reginohradecenſem, à Meridie Caurzimenſem, ab Occidente Litomericenſem, ab Aquilone verò partim Sileſiæ, partim Luſatiæ copulatur. Cubitenſis etiam Loctenſis, aut Elbogenſis dictus, nomine à Bohemica voce Loket, & Germanica Elbogen, quæ cubitum ſonant, latinè inflexo, inter Voitlandiam ab Occaſu, & Borea, & Zatecenſem Diſtrictum ab Ortu, & Auſtro ferè comprehenditur. Egrenſis à nobili Urbe Egra ita vocatus intra Palatinatum, Voitlandiam, Cubitenſem, & Lucenſem Provinciam arctis limitibus definitur. Glacenſis Comitatus à celebri ſua Metropoli Glacio appellationem traxit, eumque præcelſis montibus ambiunt ab Occaſu, & Meridie Reginohradecenſis Diſtrictus cum aliqua Moraviæ parte, ab Aquilone & Ortu Sileſia.

Memoratas hactenus Regiones quinam ex Celticis populis ante 2300. annos incoluerint, in obſcuro etiamnum latet, latebitque, cùm nulla adſint veterum monumenta, à quibus id doceamur. Primi itaque, de quibus conſtat, illarum inquilini numerantur Boji, qui T. Livio teſte, (a) Tarquinio Priſco Romæ regnante, id eſt circa annum ante Virginis partum 600., ex Comata Gallia Duce Sigoveſo Ambigati Regis ex ſorore nepote in Hercynios ſaltus commigràrunt, quorum incincti campi, utì Paterculus (b) ait, Boiohæmi nomen ab iis acceperunt, quod in hanc uſque diem leviter contractum in Bohemiæ voce vulgò Germanis Böheim perdurat, quaſi diceretur Boiorum Sedes, ſeu Domicilium. Concinunt Ptolomæus, (c) dum Bæmos populos, quos gentem magnam vocat, ab Orcynio ſaltu ad Danubium uſque, prope Quados extendit; & Tacitus, (d) dum Bojos ad Hercyniam ſylvam collocat, eorumque Provinciæ nomen Boiemum ſuo adhuc tempore, quamvis mutatis cultoribus, ſuperſtes aſſeverat. Demum Bohemia ea ipſa regio eſſe luculentè videtur, quam Strabo, prout à Cluverio (e) vertitur, tacito nomine ita dilaudat. *Hercynius ſaltus denſior eſt, magniſque conſitus arboribus, in locis natura munitis circulum includens magnum, in cujus medio regio eſt egregiæ habitationi apta.*

(a) Deca. 1. li. 5.

(b) Li. 2.

(c) Li. 2. c. 11.

(d) De mori. Germ.

(e) Germ. anti. l. 3. c. 30.

Evolutò à Bojorum ingreſſu ſex circiter ſeculorum intervallò Marcomanni Germanica gens, & Svevorum pars, prioribus incolis, vel ejectis, vel ſubactis, Bohemiam deinceps tenuere, cujus rei hoc extat in præcitato Tacito encomium: *Præcipua Marcomannorum gloria, vireſque: atque ipſa etiam ſedes, pulſis olim Bojis virtute parta.* Idipſum verò diſertè confirmant Paterculus, (f) Rufus, (g) & Strabo,

(f) Lib. 2.
(g) In epito.

bo, (a) quorum poſtremus Cluverio interprete (b) ita rem clariſſimè dilucidat: *In hac* (Germania) *eſt Hercynius ſaltus, & Svevorum gentes, quarum quædam ipſam incolunt ſylvam: in quibus eſt etiam Boiohæmum Marobodui Regia. In quam regionem tum alios complureis ille tranſtulit, tum populareis ſuos Marcomannos.* Hujus itaque expeditionis Dux, authorque fuit Maroboduus Rex, qui Romæ ſub Octaviano Auguſto Imperatore educatus, atque ad Patriam reverſus, cum Romanorum propinqua ad Rhenum arma formidaret, ſeque ab iis mox petendum præſagiret, *ſtatuit*, ut Paterculi phraſi utar, *avocatâ procul à Romanis gente ſua eò progredi, ubi, quum propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima.* Quibus paulò pòſt idem author ſubjungit, Boiohæmum fuiſſe regioni nomen à Maroboduo occupatæ. Illatam dein huic Regi primùm ab Arminio Cheruſcorum Principe, & rurſus à Catualda immanem cladem, ita ut à ſuis deſertus, & ad Romanos fugere compulſus Ravennæ conſenuerit; uti & reliqua glorioſiora Marcomannorum geſta, quibus in diuturno cum Romanis bello claruerunt, veterum annales paſſim commemorant: quare Martiali eorum laudi affatim conſultum fuerit, ſi Julii (a) Capitolini verba duntaxat ſubjecero ita ſcribentis: *Tantus timor belli Marcomannici fuit, ut undique ſacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere luſtraverit.* Porrò ſicuti ex ſupra citato Ptolomæo, aliiſque compluribus liquet, Bojorum, & ſubinde Marcomannorum fines ultra hodiernos Bohemiæ terminos per adjacentem Auſtriæ partem ad Danubium uſque fuiſſe porrectos, ita in aliqua ipſiusmet Bohemiæ portione æſtivum Orientem reſpiciente, ubi ſcilicet Albis fontes proſiliunt, non Marcomannos, ſed Hermunduros habitâſſe ex Tacito (d) diſcimus, cujus hæc ſunt verba: *In Hermunduris Albis oritur flumen inclitum, & notum olim, nunc tantum auditur.* Nisi forſan malis Cluverio (e) ſubſcribere, qui Tacitum, quamvis timidè, hac in parte erroris redarguit, eruditoque ratiociniò veterum etiam teſtimoniis innixò prædictos populos ad Miſniam, & Voitlandiam, aliaſque adſitas Provincias relegat.

(a) Li. 7.
(b) Germ. anti. l. 3. c. 3.
(c) In vita M. Antonini Veri.
(d) De moribus Germ.
(e) Germ. ant. l. 3. c. 28.

Brevior fuit Marcomannorum, quàm Bojorum his in regionibus mora, nam Attila Hunnorum Duce ſub annum 440. ex Scythia in Europam tranſgreſſò, Danubianas, & Albinas præſertim gentes tanta corripuit tempeſtas, ut ipſũ quoque nomen exinde obliteratum prorſus interierit, incolis in Noricum, aliaſque circumſitas plagas fortaſſe dilapſis, cùm nulla ab eo tempore Marcomannorum, nulla Quadorum, aut Hermundurorum mentio apud proximè inſequentis ævi ſcriptores habeatur. Hinc mirum videri deſinet advenientem in has oras Czechum Bohemorum hodie vigentium authorem vaſtas, utì fertur, ſolitudines offendiſſe. Fuit is è Slavorum gente in ea Illyrici parte ortus, quam hodie Croatiam dicimus; unde patratæ cædis reus, utì nonnulli tradunt, vitandi judicii ergò, ſeu illius Provinciæ tædiò, ſeu alia de cauſa cum fratre ſuo Lecho, magnoque popularium comitatu abſceſſit novas ſibi, ſuiſque ſedes quæſiturus, quas demum in Bohemia fixit, fratre in propinquas terras, quas Polonia complectitur, recedente. Non deſunt quidem ſcriptores, qui Czechum ex Sarmatia Magna, utpote prima Slavorum patria per Getas, & Dacos rectà in Bohemiam deducant, in primam tamen ſententiam cum Hagecio, (f) Dubravio, (g) atque Ænea (h) Sylvio unanimis plurimorum ſenſus propendet. Sed acrior fervet de tempore lis; veterum quippe monumentis hac ſuper re deſtituti recentiores in adeò diſcordes abiere opiniones, ut nulla eos conciliandi ſpes affulgeat, remque denſioribus involverint tenebris, dum illuſtrare nitebantur. Ex his cenſet Rhenanus (i) Slavorum in Bohemiam adventum ſub Mauritio, aut Heraclio Imperatoribus contigiſſe, quorum ille anno 583., hic 611. Imperium adiit. Velſerus Attilæ ætatí anno 454. vitâ functi illum adnexuit: præcitatus verò Hagecius ad annum 644., & ad ſequentem Calviſius eundem diſtulere. Reliquos, quos inſpicere non licuit, ſuggerit Balbinus, (k) Chyhræum ſcilicet, & Blondum, qui anno 600.; Cuthenum, qui anno 639.; Carionem, qui anno 450.; Spangenbergium, qui anno 451.; Matthiam à Sudetis, qui anno quinti ſeculi 7., vel 57.; Reuſnerum, qui anno 496.; & Vapovium, qui anno 550. prædictam Czechi transmigrationem adſcribunt. Ab his verò longiùs diſceſſerunt Codicillus, & Weleslavinus, qui illam antiquiorem prætendunt, dum annum 278. eidem aſſignant; longiſſimè demum ab omnibus, ſed ſimul etiam à veritate recedit Piaſecius, qui nullo veterum teſtimonio innixus definire præſumit, ab anno poſt Virginis partum duodecimo auſpicandam eſſe Czechi Chronologiam, poſtquam nempe hic, ejuſque frater Lechus Germanis militantes in famoſa Quintilii Vari clade binas Romanas Aquilas nigram, & albam cum reliquis ſpoliis retuliſſent. Attamen tot inter adverſantium ſententiarum diſſidia, id tutò pronunciari poſſe videtur, nec ita accelerandum eſſe Czechi in Bohemiam ingreſ-

(f) Chron. Boh. ad ann. 644.
(g) Hiſt. Boh. l. 1.
(h) De Bohem. geſtis c. 13.
(i) Rerum Ger. Novant. l. 1.
(k) Miſcel. Boh. dec. 1. l. 2. c. 9.

ſum, ut annum 548. prævertat; neque adeò ſerò differendum, ut anno 595. poſtponatur: illud quippe ſuadet Procopius(a) coævus author, qui non nisi eo ipſo anno Slavos trajectô Iſtrô in Illyricum primò deſcendiſſe teſtatur, ubi Slavici Czechi natales à pleriſque celebrantur: alterum verò ex Paulo Diacono (b) anno 760. ſcribente liquet, qui ad memoratum annum Czechorum nationem jam vicinis formidabilem deprædicat. Ne quid tamen diſſimulem, ex Ptolomæo, Tacito, Ammiano Marcellino, aliiſque ſolidè evincit Balbinus, (c) Vendos, ſeu Venedos Slavicam gentem multùm ante ſtatutum Czechi ævum in Boiohæmum penetraſſe, quod hactenus aſſerta non modò non labefactat, ſed potiùs cum iisdem præclarè cohæret; hinc ſiquidem non contemnenda elucet ratio à Dubravio (d) indicata, cur Czechus relictô Illyricô Bohemicas oras cæteris prætulerit, quia nimirum hæ ab ejuſdem originis, & linguæ populis jam antea ſaltem ex parte tenebantur: admodùm verò bene de iis fuiſſe meritum neceſſe eſt, cùm ei totius gentis imperium detulerint, atque abolitô Vendorum ſeu Sarmatarum, ſeu Slavorum, aut quovis alio nomine, Czechos, ſeu Czechitas ſe impoſterum appellari voluerint, prout in vernaculo Bohemorum idiomate noſtra etiam ætate obſervatur.

(a) De bel. Goth. l. 1.

(b) De geſt. Longo. l. 7. c. 4.

(c) Miſcel. Boh. dec. 1. l. 2. c. 6.

(d) Hiſtor. Boh. l. 1.

Czecho tanquam primo Bohemorum Duci plurimi ſucceſſores Idololatriæ addicti uſque ad annum 864. ab authoribus ſubjiciuntur, quorum acta magna temporum confuſione, rerumque incertitudine ab iis digeſta hìc retexere non lubet, utpote ab aſſumpti operis ratione alienum. Ad Borzivoium Ducem proinde tranſilio, qui, indicato ſuperiùs anno, à Radislao Moraviæ Rege Welehradum invitatus, ut contra Ludovicum Germaniæ Regem in ſocietatem belli pelliceretur, SS. Cyrillum, & Methodium Moravis Chriſtum annunciantes ibidem offendit, à quibus Orthodoxa imbutus fide, & unà cum aulico ſuorum Procerum comitatu luſtralibus aquis expiatus vanis idolorum ſuperſtitionibus ſanctius bellum indixit: ſicque Bohemia plenam Evangelii diem obtinuit, cùm priùs non nisi tenuis divinæ lucis radius, & utì Balbinus loquitur, veluti crepuſculum eidem illuxerit. Hinc autem Chriſtianæ veritatis, virtutiſque ſtudium ea ſumpſit in hoc Regno incrementa, ut Concilii Baſileenſis Patres teſte Balbino pronunciaverint: *Ante Huſſi tempora nullum ea tempeſtate Regnum Bohemicô religioſius fuiſſe.* Quin etiam poſtquam Joannes Hus hæreſeos ſuæ virus per Bohemiam diffudiſſet, anno 1408. ab Academia Pragenſi damnatus, quamvis ſequacium Huſſitarum ſecta plurimùm invaleſceret, non tamen adeò elanguit Catholica pietas, ut penitus exaruerit, ſed ſenſim priſtinum recepit vigorem ſub plurium Martyrum cruore, Huſſitica tyrannide irrigata, cujus rei certiores nos facit Summus Pontifex Pius II., dum ita ſcribit: (e) *Viri conſtantes, qui vel exilium, vel carcerem, vel cædem pro teſtamento Chriſti fortiter pertulere, cum Rege ſuo in Cœlo regnant, ex aliena victoria triumphantes, quorum multa millia Bohemia tulit: nam ſicut Huſſitarum inſania Bohemicum nomen labefactavit, ita & fortium virorum conſtantia illuſtravit.*

(e) In proœm. hiſt. Boh.

Borzivoji ex Wratislao filio nepos S. Wenceslaus fraternô Boleslai parricidiô anno 938. in ipſo Templi aditu è vita ſublatus eſt, ideoque glorioſam Martyrum coronam annuô quoque militantis Eccleſiæ cultu celebratam in Cœlo adeptus, utique eâ longè ſplendidiorem, quam in terris geſtaverat ab Imperatore Henrico Aucupe anno 935. primus Bohemiæ Rex in Erfordienſi Imperii Principum conventu renunciatus, regiâ tamen dignitate in hæredes nequaquam transfusâ. Revixit porrò illa in Wratislao II., qui cùm Henricum IV. Imperatorem bellicis obſequiis devinxiſſet, anno 1086. titulum, ac diadema regium ab eo recepit, eumque Bohemiæ Regem ſalutatum Jaromirus frater Pragenſis Antiſtes, Trevirenſi Archipræſule, & Bennone Miſnenſi Epiſcopo adſtantibus, coronavit. Quod ſoli Wratislao itidem datum, non Regno, aut illius poſteritati fatentur ſubſequentes Principes Ducali tantùm prærogativâ inſigniti. Hìc ſubjicit Balbinus Henricum Cæſarem tunc proximam poſt ſe ſedem Wratislao aſſignaſſe, diſertè inſuper profeſſum, ſe de ſua, & omnium Imperii Principum voluntate omnes honores, jura, ac ditiones Veteris Moraviæ, & Regni Marcomannorum in Bohemiæ Regem transferre, ac ſi ad augenda hujus Principis decora prima Orbis Capita certarent; antea enim anno ſcilicet 1068. Alexander II. ſummus Pontifex eidem Wratislao omnem ſuam operam, copiaſque ad Romanæ Sedis defenſionem offerenti Epiſcopalis Infulæ uſum laicis aliàs inconceſſum impertivit. Anno rurſus 1162. Fridericus I. Imperator Wladislaum II. Bohemiæ Ducem, cui ante triennium in Ratisponenſibus Comitiis circuli aurei in pileo gerendi decus contulerat, Regem proclamari, & detractâ ex proprio vertice coronâ in ſolemni procerum conſeſſu redimiri juſſit, additô vexillô Leonis candidi coronati, bicaudatique in ſanguineo

neo campo ſtantis ; præclara ſcilicet ejus merita, quæ ob navatam Cæſari in Mediolanenſi excidio operam ſibi comparaverat, hoc præmio muneratus. Quod in plerisque ſcriptoribus à Balbino (a) animadverſum egregiè comprobat præmiſſum contra nonnullos triennio prævenientes regiæ coronationis tempus, cùm Mediolanenſe bellum adducto ſuperiùs anno confectum primò fuerit, atque in diplomate Ratisponæ dato nullum collatæ regiæ dignitatis veſtigium reperiatur. Wladislao II. anno 1174. terris erepto intra 22. annorum ſpatium quinque iterum Duces uſque ad Wladislaum III. quartogenitum illius filium ſucceſſere, ſed hoc juri ſuo poſt triennium cedente, anno 1199. Bohemico Ducatu potitus ejuſdem frater Przemislaus Ottocarus regia illum dignitate condecoravit, quam anno 1206. à Friderico II. Imperatore ſibi impetraverat etiam ad poſteros transmittendam.

(a) Epit. rer. Boh. l. 3. c. 10.

Bohemia in Regnum evecta non nisi ſeptem fruita eſt Regibus ex vetuſtiſſima Przemyslæa ſtirpe prognatis, nam alienigenis deinceps paruit: ſiquidem Wenceslaô III. Przemyslæorum poſtremô à ſicario quodam Thuringo anno 1306. tribus vulneribus confoſſô, Regni Proceres Pragam ad Comitia convocati in duas partes diſceſſerunt, aliis Rudolphum Auſtriæ Archiducem Alberti I. Cæſaris filium, aliis Henricum Carinthiæ Ducem expetentibus. Prævaluit ille quidem Eliſabethâ Wenceslai II. viduâ in uxorem ductâ, ſed ſequenti mox anno extinctus Regnum æmulo invadendum reliquit. Non tulere tamen diu Bohemiæ Ordines Carinthi Ducis ſævitiam, quamvis Annæ Wenceslai II. filiæ conjugium magnum ei ad ſolium jus adſtruere videretur; Joannem ergo Lucemburgicum Henrici Cæſaris filium, oblatâ ei in conſortem Eliſabethâ minimâ Wenceslai II. filiâ ad ſe accerſunt, qui Regni inſignibus à patre acceptis, valido ſtipatus exercitu Bohemiam petiit, ubi â Pragenſibus noctu intromiſſus omnium conſenſu coronatur, Henrico in ſuam Carinthiam remigrante. Quaternis è Lucemburgica Domo Regibus ſucceſſit anno 1438. Albertus Auſtriæ Archidux, poſtea Imperator ejus nominis II., Sigismundo Rege, ac pariter Imperatore abſque prole maſcula terris ereptô, à quo ante 17. annos filiam Eliſabetham tanquam amplæ hæreditatis arrham in conjugem acceperat: ex hac genitus anno 1440. Ladislaus poſthumus conceptum ex præpropera parentis morte mœrorem plurimùm abſterſerat, ſed annum ætatis agens 17. à coronatione verò quartum, morbo confectus eundem graviùs renovavit.

Coactis itaque Regni Comitiis anno 1458. Georgius Podiebradius ex Comitibus de Bernek & Nidda in Regem eligitur; poſt hunc verò binis ex Jagellonica proſapia Principibus Wladislao nempe, & Ludovico ſceptrum delatum; donec tandem hôc ſinè liberis defunctô Ferdinandus I. Archidux Auſtriæ, & poſtmodum Cæſar, jure uxoris Annæ Wladislai filiæ vacuum conſcendit thronum, anno 1527. regio donatus diademate, quod per diverſarum familiarum capita vagum, ac fluctuans, in ſublimiſſimo Auſtriacorum Principum vertice perpetuam tandem nactum malaciam levioribus tantùm procellis interdum turbatam, duobus jam ferme ſeculis fœliciſſimè conquievit.

Regio ſplendori, quo Bohemia nitet, alter acceſſit ab Electorali ſcilicet in Imperio dignitate, & Archipincernæ munere dimanans, cujus ſingulares prærogativas ex aurea Caroli IV. Cæſaris bulla apud Rainaldum ad annum 1356. excuſa, ſervatâ ejuſdem phraſi excerptas hìc ſubjicio, & inprimis quò ad conſidendi ordinem: *Statuimus*, inquit, *ut quotieſcunque imperialem Curiam ex nunc in antea celebrari contigerit, in qualibet ſeſſione, videlicet tam in conſilio, quàm in menſa, & locis aliis quibuſcunque, ubi Imperatorem, vel Regem Romanorum cum Principibus Electoribus ſedere continget, à dextro latere Imperatoris, vel Regis Romanorum immediatè poſt Archiepiſcopum Moguntinenſem, vel Colonienſem Rex Bohemiæ, cùm ſit Princeps coronatus, & unctus primum, & poſt eum continuò Comes Palatinus Rheni ſecundùm ſedendi loca debeant obtinere.* In ipſo autem electionis actu Archiepiſcopus Moguntinus *primò interrogabit a Trevirenſi, ſecundò à Colonienſi, tertiò à Rege Bohemiæ, qui inter Electores laicos ex regiæ dignitatis faſtigio jure, & merito obtinet primatiam.* Archipincernæ officium in eo conſiſtit, ut Imperatori, ſeu Romanorum Regi offerat *primum potum Rex Bohemiæ, quem tamen ſub regali corona juxta privilegiorum ſuorum continentiam, nisi libera voluntate voluerit, non tenebitur miniſtrare.* In procedendi demum ordine, qualis ei competat locus, his verbis explicatur: *Rex autem Bohemiæ Imperatorem, ſeu Regem ipſum immediatè, nullo interveniente, ſequatur.* His itaque de univerſa regione, quantum ad ſcopum noſtrum faciebant, in medium adductis, ejus Metropolim obire placet, ut tot illuſtria, quibus ea renidet, monumenta perſcrutemur.

PRAGA.

PRaga famoſiſſima, atque ampliſſima Tripolis plurium aliàs Regum, ac Cæ-

ſarum ſedes, in ternas diſtincta Urbes, Novam ſcilicet, Veterem, & Parvam, maximas Europæ Regias æmulatur. Primas duas à tertia diſſecat fluvius Muldava, ſeu Wltava in Crumlovienſi ditione apud ejuſdem nominis Oppidulum exoriens; in cujus lævo hæc, in dextro illæ littore aſſurgunt. Parvam Veteri jungit magnificus pons 35. pedes latus, & 1770. protenſus, qui à Carolo IV. Imperatore anno 1357. ingenti celebritate inchoatus, interrupto ſæpius bellorum causâ opere, non niſi poſt ſeſquiſeculum ſuam perfectionem adeptus eſt, ut vetuſtioris vices ſuppleret, quem paulò inferiùs à Juditha, ſeu Gitka Wladislai Regis conjuge anno 1174. poſt triennalem laborem abſolutum, intumeſcens anno 1342. flumen illius jugi impatiens excuſſerat. Quadratis lapidibus coagmentata moles prægrandibus incumbit pilis ex alvei fundo aſcendentibus, quas octodecim, utì Balbinus (a) numerat, ſuperinjecti fornices invicem connectunt. Ambos verò pontis aditus inſignes utrobique turres exornant, & tuentur. Nova Urbs reliquas amplitudine ſuperat, biniſque cornibus fluvium attingens Veteris latera, quæ Muldava non alluit, undique obſidet. Cæterùm tum Nova, tum Parva, quà campos reſpiciunt, foſſis, mœniiſque ambiuntur. Jacet Praga juxta Ricciolii Tabulas in latitudinis gradu 50. cum 40. minutis, & longitudinis gradu 37. cum 23. minutis. Iter autem, quod hinc uſque ad Auſtriæ Metropolim Viennam intercedit, 36. milliaria complecti paſſim perhibetur. De ejus porrò temperie Tycho Brahe illuſtre Matheſeos ſidus fertur pronunciaſſe: Pragenſi Cœlo ſeu lætitiâ, ſeu ſalubritate, ſeu conjunctione, & benignis aſtrorum aſpectibus pauciſſimas in Germania tota Urbes poſſe conferri.

(a) Miſcel. Dec. 1. li. 3. c. 10. §. 1.

Marobodui celebris Marcomannorum Regis Sedem, quam Marobudi nomine indicare videtur Ptolomæus, (b) intra hujus Civitatis ambitum extitiſſe medius regionis ſitus nonnullis perſuaſit: Bojohæmum, vel Boviaſmum eandem appellatam autumat Lipſius apud Cluverium, (c) qui id minimè probat, cùm id fuerit Provinciæ, non Urbi nomen. Hagecius (d) in edito monte, qui uno à Pragenſi Urbe milliari Zbraslavienſi Cœnobio opponitur, antiquam Marobodui Regiam eminuiſſe arbitratur; ſed Caſtellum meliùs illi impoſuiſſet, quod Regiæ proximum Tacitus (e) commemorat. Caſurgim alii Urbem à Ptolomæo itidem memoratam iſtic olim floruiſſe opinantur. Verùm amandatis dubiis, labilibuſque conjecturis, ad paulò firmiora properemus. Ex tribus Pragenſibus Urbibus antiquitate reliquis antecellit Parva, quam anno 723. à Libuſſa Craci, ſeu Croci ſecundi poſt Czechum Bohemiæ Principis filia ædificatam, deſumpto à portæ limine Prah Bohemis dicto, quod bini fabri ibi fortuitò concinnabant, nomine, atque à Nezamyslo Libuſſæ filio muris cinctam fuiſſe narrat cum pluribus Hagecius, (f) ſed id ævo multò tardiori adſcribit, quàm præmiſſa de adventu Czechi diſſertatio patiatur: litem tamen etiam quò ad Urbis ortum huic authori movet apud Merianum Lupacius illius natalibus Principi Mnathæ Nezamysli filio, muris verò Wogeno nepoti adjudicatis; quam controverſiam Hagecius dirimere viſus eſt, dum ad annum 795. Veterem Pragam à Mnatha primò extructam, & ad 830. eandem à Wogeno tum latiùs extenſam, tum vallò circumdatam ſubjunxit, quam poſtea Udalricus Dux, qui anno 1037. è vita deceſſit, novis ædibus ex una ejus parte adjunctis multò adhuc reddidit ampliorem. Ligneis hactenus ædificiis creſcebat Praga, quæ juxta Balbini (g) ſenſum, Septemtrionalium Urbium more tentoria potiùs caſtrorum, quàm Civium domus videbantur; donec Sobieslai I. Bohemiæ Ducis anno 1140. defuncti induſtria illis dejectis, emendatâ quoque platearum ſimetriâ, ſuffecerit lapidea. Demum Carolus IV. Imperator, ac Bohemiæ Rex de toto hoc Regno optimè meritus anno 1348. Novam Pragam, quam Carloviam dici voluiſſet, Veteri adnexuit, eamque incluſis editioribus quibuſdam clivis, vallo, foſſaque munivit; quod beneficii genus Minori quoque Urbi præſtitit, montem Petrinum, qui non leve toti Tripoli damnum obſidionum tempore minabatur, circumductis anno 1560. mœnibus eidem conjungens, eò etiam fortaſſis conſiliò, ne Septicolli quidem Romæ Pragenſis Civitas invideret. Novæ, Veterique Pragæ in celſiori adhuc monte ſita Wiſehradenſis Arx plurimùm dominatur, quæ jam anno 683. juxta Merianum (h) condita, diverſa ab initio geſſit nomina Pſary, Libice &c., cùmque in ea primi Duces habitarint, jam tunc reliquarum tenuit Principatum; deinde verò translatâ ab iis in Veterem Urbem Aulâ, quam ad inſtar Caſtri extruxerant, hujus comparatione Wiſſehradum, ſeu Caſtrum Altius vulgò cœpit vocitari; hodie verò ea deſerta jacet, nec niſi antiquæ ſuæ nobilitatis rudera oſtentat. Pari quoque Arci in colle erectæ ſubjacet Minor Praga, illi videlicet, quam ad juſti Oppidi menſuram ampliatam Divi Wenceslai Caſtrum omnis retro antiquitas appellat.

(b) Li. 2. c. 11.

(c) Germ. Anti. l. 3. c. 30.

(d) In orig. Boh.

(e) Annal. l. 2.

(f) Chron. Boh. ad ann. 723.

(g) Epit. rer. Boh. l. 3. c. 10.

(h) Topog. Bohe.

den-

Denſiori utique volumine opus eſſet, ſi rerum Pragæ geſtarum ſeriem contexere luberet; memorabiliores itaque belli eventus duntaxat ſeligam chronologico ordine breviter digerendos. Anno à Chriſti nativitate 930. Henricus Auceps Germaniæ Rex Bohemos adortus adeò validâ obſidione eorum preſſit Metropolim, ut Wenceslaum Ducem inter Sanctos poſtmodum relatum 22. annum tunc temporis agentem ad ſe, Urbemque tradendam, & vectigal inſuper pendendum compulerit. Anno circiter 1000. Boleslaus Polonorum Rex Bohemiæ Ducem itidem Boleslaum per ſpeciem amicitiæ, fœderiſque ineundi Cracoviam invitatum, contra datam fidem turpiter excæcat, mox copias in Bohemiam ducens Pragam petit, quam biennio fame vexatam ad deditionem coëgit, exceptâ tamen Wiſſehradenſi Arce, quæ hoſtium molimina ſtrenuè eluſit, donec Udalricus Boleslai Cæci filius, vel frater, Urbe ſingulari ſtrategemate anno 1004. recuperata, Polonos, plurimis in fuga cæſis, exterminaret. Anno 1142 conſertò ad Pragam cruentiſſimò prælio inter Ducem Wladislaum II., & Conradum Principem Znoymenſem cum Othone Olomucenſi, aliiſque ex Przemyslæa gente Principibus fœderatum Ducalis ſuccubuit exercitus, quare obſeſſa eſt illico à victoribus Civitas, ſed Theobaldo Wladislai fratri eandem fortiter propugnanti, cum ingenti potentia ſuppetias attulit Conradus Cæſar à Duce affine ſuo imploratus, obſidentibus nocturnâ fugâ dilapſis; nec aliud ex ea obſidione Pragæ accidit detrimentum, quàm Eccleſiarum SS. Viti, & Georgii incendium ab hoſtium ſagittis flammas ferentibus excitatum, ubi inter totius ſacri apparatûs cineres SS. Viti, Wenceslai, Adalberti, & Ludmillæ lipſana omninò ab ignibus illæſa divinitus perſtitere. Anno 1319. ſubortis jam antea inter Joannem Lucemburgicum Bohemiæ Regem, & ejus conjugem Eliſabetham, quæ cum filio Carolo Mielnicium ſe receperat, ſimultatibus, ſuſpicatus Rex Pragenſes Proceres Reginæ partibus adhærere, collecto apud Moravos milite, Urbem obſedit, ſed eam egregiè Caroli infantis educator Wilhelmus Haſenburgius tutatus eſt, breviſque in obſeſſorum auxilium Petro de Roſis cum exercitu adveniente, Rex propè campo depulſus ad colloquium deſcendit, quo rurſus coaluit inter diſſidentes concordia. Anno 1419. Veteris, Novæque Urbis Cives cum Taboritis juncti in Minorem Pragam à Regiis defenſam poſt acerrimum certamen noctu irruperunt; ſequenti autem Sigiſmundus Imperator, Bohemiæque Rex, comitantibus Alberto Auſtriæ Archiduce, poſtea Cæſare, Saxone, & Brandenburgico Electoribus, atque 140. armatorum millibus Pragam ab Hæreticis duce Ziska occupatam accedit, ſummaque vi è quatuor locis aggreditur; verùm propter obſtinatam rebellium defenſionem irritos ſuos conatus, perditamque operam cernens obſidionem diſſolvit, eoque digreſſò Pragenſes S. Viti Arce, quam cum Wiſſehradenſi adhuc regii tuebantur, fruſtrà tentata, alteram invadunt, & expugnant. Anno 1620. celeberrimus ad Pragam in Albo Monte exarſit conflictus, hinc Duce Bavaro, & Bucquoio cum Catholicorum exercitu pro Ferdinando II. Cæſare, indè Friderico Comite Palatino Rheni cum Heterodoxorum turba pro arrogata ſibi Bohemici Regni corona dimicantibus; ubi primùm vincere viſæ Palatini copiæ, grandi poſtea clade proſtratæ ſunt, obtentâ à Cæſareis victoriâ Auſtriaco nomini fœliciſſimâ; hæc una quippe non modò Pragam, ſed Bohemiam, Sileſiam, Moraviam, aliaſque Provincias reddidit Ferdinando. Svecico dein bello increſcente Praga anno 1631. à Saxone intercepta quidem eſt, ſed paulò pòſt ab Alberto Wallenſteinio recuperata. Anno denique 1648. Königsmarchius Svecorum Dux ex Superiori Palatinatu in Bohemiam irrumpens, Minore Praga, ejuſque Arce primo impetu potitur; at Vetus, Novaque Urbs magna fortitudinis commendatione uſque ad firmatam poſtea pacem obſidentes repulerunt. His paucis hucuſque delibatis, ſi leviores adjicerentur obſidiones, inteſtinæ tumultuantium procellæ, proborum hominum lanienæ ab hæreticis perpetratæ, iterata ſæpius incendia, atque editæ ab epidemica lue mortalium ſtrages, omnem ſuperare fidem videretur hujus Urbis ſplendor, populique affluentia, quibus inter adeò ſævos tot ærumnarum turbines plerumque eam floruiſſe compertum eſt. Certè anno 1419. gliſcente jam Huſſitica peſte, unam Pragam tantâ hominum copiâ abundaſſe coævus ſcriptor Matthias Lauda apud Balbinum (a) teſtatur, ut medio die 50., & etiam plura ſolummodò otioſorum millia in campum educi poſſent abſque ullo defectûs ſenſu, aut Civitatis detrimento.

(a) Miſc. Boh. de. 1. l. 2. c. 7.

Pragæ ortum, ac progreſſum de more perſtrinximus. Superest ergò, ut hujus Urbis ornamenta, ductò à ſacris initiò, perluſtremus. Inter ea autem jure merito præeminet Metropolica dignitas, quam Epiſcopalis præceſſerat à Summo Pontifice Joanne XIII., ad Ducis Boleslai Pii, ejuſque ſororis Mladæ, Sanctimonialium Romæ inſtitutum amplexæ, preces, Pragenſibus

conceſſa, & annuente S. Wolffgango Ratisponenſi Epiſcopo, ad cujus Diœceſim tum Bohemia ſpectabat, Ditmaro Magdeburgenſis Divi Benedicti Cœnobii alumno primitus collata; quem utpote ſuæ Eccleſiæ ſuffraganeum Hatto, vel Robertus Moguntinus Archipræſul in Epiſcopum conſecravit. Ditmaro vita functo ſubrogatus eſt anno 969., prout Hagecio arridet, vel prouti Balbinus ſolidè probat, 979. S. Adalbertus, aliàs Wogtiechus Boleslai ex ſorore nepos; cui in montana Pruſſia, quò fidei propagandæ causà conceſſerat, ſeptem lanceis anno 997. in illius odium confixo ſucceſſor datus eſt Theadagus ex Corbeienſi Saxoniæ Monaſterio Pragam advocatus. Hunc ſubſequebantur Helikardus, Izo, & Severus, qui Moravis proprium ſibi Epiſcopum flagitantibus, Joannem Olomucii inſtitutum, annuente Alexandro II. Papa, præfici permiſit, ſuâ licèt Diœceſi admodum imminutâ: verùm Severi anno 1067. defuncti Succeſſor Gerardus aliàs Jaromirus poſt Joannis obitum Olomucenſem diſtrictum patrocinante Henrico Cæſare ſuæ rurſus copulavit Diœceſi, ut mirum non ſit hanc ad tam amplos terminos fuiſſe extenſam, quales idem Imperator coram Apoſtolicæ Sedis Legatis, aliiſque Præſulibus, deſignatos ei eſſe in ſuo anni 1086. diplomate his verbis à Balbino allegatis atteſtatur; *nempe ad Occidentem uſque ad medium fluminis Chebbe* (Egræ) *&c. ad Aquilonem uſque ad Milcianos &c., ad Orientem hos habet terminos, fluvios Bug, & Ztir cum Krakova Civitate, & omnibus regionibus ad prædictam Urbem pertinentibus, inde Ungarorum limitibus additis uſque ad montes, quibus nomen eſt Tritri dilatata* (Diœceſis) *procedit: deinde in ea parte, quæ meridiem reſpicit addita regione Moravia uſque ad flumen, cui nomen eſt Wag, & ad mediam ſilvam, cui nomen eſt Mure.* Gerardò terris ereptò, Wratislai Regis operâ divulſa iterum hinc eſt Olomucenſis Eccleſia, Coſmâ in Pragenſem Antiſtitem anno 1091. duntaxat initiatò, cui poſt longum 19. Epiſcoporum ſyllabum ſuccedens Erneſtus de Pardubicz ſublimioribus fulſit honoribus à Moguntini Præſulis Jurisdictione exemptus, & anno 1343. proximâ ante Adventum dominicâ Archiepiſcopali pallio, & dignitate inter ſacras cæremonias de more ornatus. Quæ aliquando futura S. Wolffgangus Ratisponenſis Epiſcopus Duci Boleslao Pio pluribus abhinc ſeculis prædixerat. Contulit hæc Clemens VI. à Joanne Rege, Caroloque Principe expetita, additis inſuper literis, quibus Regis Bohemiæ coronandi jus à Moguntino ad Pragenſem Archiepiſcopum transferebatur. Parentis, ſuumque condecorandæ hujus Eccleſiæ Zelum ſuperaturus Carolus jam Imperator anno 1365. Avenionem in Galliam profectus ab Urbano V. Summo Pontifice exoravit, ut illius Archipræſul perpetuo Legati nati munere in adſitis regionibus, ac nominatim in Diœceſi Ratiſponenſi, Bambergenſi, Miſnenſi, & quibuſdam aliis Borealibus fungeretur. In cujus poteſtatis teſſeram Joanni, qui tunc poſt Erneſtum Pragenſi Sede potiebatur, *Crucem argenteam, tum pileum nigrum latum, & deinde cappam de panno brunello*, Beneſſio apud Balbinum teſte, (a) Urbanus tranſmiſit. Ubi paulò pòſt rara ſubjiciuntur privilegia ab eodem Pontifice Pragenſibus Canonicis ſuperiori anno conceſſa, ut ſcilicet Archipræſule *officium in Eccleſia Pragenſi faciente omnes Prælati, & Canonici, nec non Archidiaconi, uti poſſint, & debeant Infulis albis more Cardinalium D. Papæ concelebrantium. Ubi autem Archiepiſcopus facit officium in Provincia ſua, debent duo Canonici Eccleſiæ Pragenſis, ſub hujuſmodi Infulis concelebrare in officiis Diaconi, & Subdiaconi. Item Prælati, & Canonici Eccleſiæ Pragenſis poſſunt ſub hujuſmodi albis Infulis celebrare divina in Eccleſia Pragenſi diebus ſolennibus, & feſtivis, &c.* hactenus Beneſſius. Tot prærogativis coruſcantem Eccleſiam temeravit hæretica lues, qua infectus Archiepiſcopus Conradus divitem illius dotem ita diſperdidit, ut poſt hujus mortem, quæ in annum 1431. incidit, pene ſeſquiſeculo Præſule jacuerit viduata; quo labente tempore Wladislaus Rex, aliique tantæ jacturæ reparationem ſæpius quidem, ſed ſemper incaſſùm tentaverant; debebatur ſiquidem hæc gloria Auſtriacæ Ferdinandi I. Cæſaris pietati, quo adnitente, novoſque proventus ſuppeditante anno 1562. Antonius ex Viennenſi ad Pragenſem Eccleſiam translatus priſtino illam reſtituit ſplendori. Acceſſit huic poſtmodum, vel rediit honorificus Principis titulus, quem Pragenſi Antiſtiti à Wenceslao Rege anno 1315., & à Carolo IV. Cæſare anno 1350. datum, confirmatumque, ſed longò jam annorum curriculò neglectum Zbignæus Berka Archiepiſcopus ab Imperatore Rudolpho II. fœliciter recuperavit.

(a) Epit. rer. Boh. l. 3. c. 21.

Cathedralis Archiepiſcopi Baſilica Minoris Pragæ Arci incluſa primum ſui authorem veneratur D. Wenceslaum, qui anno 935., donato ſibi ab Henrico Germaniæ Rege Comitia tum Ratisponæ celebrante S. Viti brachio, domum reverſus nobile iſtic Templum hujus Sancti honoribus dicandum moliri cœpit, ſed morte præpeditus coronandum faſtigio opus poſteris reliquit. Hoc Chriſtus ipſe Salvator

no-

noſter primùm conſecraſſe traditione fertur, veterum etiam ſcriptorum authoritate roborata: idipſum nihilominus præſtitit Michaël Ratiſponenſis Præſul, prout memoriæ prodidit antiquiſſimus Coſmas, cui etiam Chronologiæ ratio juxta Balbini (a) calculum magis favere videtur, quàm Dubravio, (b) Hagecio, (c) cęteriſque recentioribus D. Wolffgango ejuſdem conſecrationem adſcribentibus; verùm ſociari forſan poſſunt binæ hæ opiniones, ſi uni primam Templi partem à S. Wenceslao extructam, perfectum autem veroſimiliter ſub Boleslao Pio ædificium alteri attribuamus. Anno dein circiter 1060. Bohemiæ Dux Spitihnæus II. cognomento Juſtus, majorem, quàm à ſacra Æde capi poſſet tum Pragenſium, tum advenarum frequentiam ad D. Wenceslai tumulum affluentem aliquando intuitus, novo operi excitando animum applicuit, & utrôque Sacellô dirutô, in quorum uno D. Vitus, in altero D. Adalbertus colebatur, omnibus his tribus Sanctis unicam, eamque magnificam erexit Eccleſiam, cui quò minùs ſupremam manum imponeret, mors interceſſit. Hâc dein vetuſtate ſua ruinam minitante Joannes Rex, atque Archiepiſcopus Erneſtus anno 1343. fundamenta jecerunt, quibus longè auguſtiorem ſuperſtruere meditabantur, ſed opere lentiùs progreſſo, anno primùm 1386. abſolutus eſt chorus, tota verò moles non nisì poſt decennium ad coronidem aſcendit; quando eâ rurſus quodammodo conſecratâ *poſitus eſt primus lapis*, ut indicant verba eidem inciſa, *per Sereniſſimos Principes Dominos Wenceslaum I. Romanorum, & Bohemorum Regem, & D. Joannem Görlicenſem Ducem Marchionem Brandenburgenſem, Natos Sereniſſimi Principis Domini Caroli Romanorum Imperatoris, benefactoris præcipui Eccleſiæ Pragenſis, & in honorem Viſitationis S. Mariæ, & SS. Wenceslai, Viti, Adalberti, Sigiſmundi, & aliorum Bohemiæ Patronorum.* Illuſtre hoc Templum anno 1541. à ferali corripitur incendio, ſed à Ferdinandi I. Cæſaris munificentia anno 1555. majori redditum nitori perdurat etiamnum, quadratis, ſectiſque lapidibus conſtans, & gothico, ùt vocant, opere elaboratum, quod foris exornat prælta S. Viti turris, ab ære campano 227. centenariis gravi, & poſt Erfurdenſe in Germania facilè maximo celebrata, intus verò ſumptuoſiſſimum Mauſolæum, in quo præter Imperatorem Carolum IV., & Reges Ladislaum, Georgium Podiebradium, &c. Ferdinandus I., Maximilianus II., Rudolphus II. Auſtriaci Cæſares conduntur. At majori huic Baſilicæ ornamento ſunt pretioſiſſima pignora, Sanctorum videlicet Wenceslai Bohemiæ Regis, Adalberti Pragenſis Antiſtitis, Viti, ac Sigiſmundi Burgundiæ Regis corpora, in propriis ſingula Sacellis culta, inter quæ viſu digniſſimum habetur D. Wenceslai variis gemmis, præſertim jaſpide, undique coruſcans. His addendus eſt prodigioſus Venerabilis Joannis Nepomuceni tumulus geminis cancellis permunitus, quem ſi temerè quis calcarit, dedecus aliquod brevi incurret, ùt ſuo exemplo plures id tentare auſi, comprobarunt: tumulo inſiſtit candelabri pes ex incognito conſtans metallo, & Mediolano, cùm hoc à Friderico Oenobarbo deleretur, ablatus, ubi veluti antiquum Hieroſolymitani Salomonis Templi cimelium cuſtodiebatur. Tantus hìc demum ſacrarum reliquiarum, quas Carolus IV. Imperator ex toto Chriſtiano Orbe ſtudioſiſſimè collegit, reconditur theſaurus, ut extra Romana mœnia vix ullum ſibi parem alibi agnoſcat.

(a) Vit. Erne. l. 2. in not. ad c. 3.
(b) Hiſt. Boh. l. 1.
(c) Chron. Boh. ad an. 923.

Metropolitanam Baſilicam comitantur velut Lunam ſtellæ reliqua Pragæ Templa, quæ modò paucis indicaturus, ab iis, quæ Minor Civitas cum Regia Arce, eoque tractu, quem Radtſchin vocant, complectitur, initium ducam. Eminet hìc itaque in arduo colle, cui Petrzin nomen, Strahovienſe Templum inter ornatoria hujus Urbis computatum cum nobiliſſimo Candidi Ordinis Præmonſtratenſis Cœnobio à Wladislao II. Bohemiæ Duce, impellente B. Henrico Zdik anno 1143. magnis opibus fundato, ad quod ex Steinfeldenſi Monaſterio Religioſorum Colonia ſub Gezone primo loci Abbate deducta eſt: Montem Sion illud impoſterum vocari juſſit Wladislaus, ab Henrico Olomucenſi Epiſcopo certior factus, magnam hunc cum Jeroſolymitano ejuſdem nominis colle ſimilitudinem præſeferre. Octavo dein labente fundationis luſtro, Templum novis auctum additamentis Albertus Salisburgenſis Archiepiſcopus cum Valentini Pragenſis Præſulis annutu iteratò conſecravit; ſed anno 1258. cùm illud, totumque adeò Cœnobium conflagraſſet, ingentem hanc jacturam à Joanne Abbate quinquennii ſpatiô multò ſplendidius reparatam Pragenſes obſtupuere. Major tamen in id ingruit tempeſtas, dum anno 1421. ab Huſſitica rabie, quidquid ſacrum in Urbe aderat, admotis ignibus abſumeretùr: renovatô poſtea adhuc venuſtiùs ædificiô, biniſque aliis Odæis Deiparæ in Cœlos Aſſumptæ, ac D. Rochi honori intra Monaſterii clauſtra primò excitatis: quibus omnibus maximum adfert decus ſacrum, quòd hìc conditur, D. Norberti Magdeburgenſis Archiepiſcopi, atque Præmonſtratenſis Ordi-

nis Patriarchæ corpus anno 1626. Magdeburgo allatum. Templum S. Georgii in Arce ſitum ab annexo illuſtratur ſacrarum Virginum D. Benedicti leges ſectantium Cœnobio Bohemicorum omnium antiquiſſimo; hoc quippe condidit Wratislaus I. Bohemiæ Dux S. Wenceslai parens Hagecio teſte, (a) anno 912. Anno autem 1142. eo per Conradum Znoimenſem Principem in cineres redacto, Sanctimoniales ad domum quamdam Muldavæ proximam, inde ad S. Joannis Baptiſtæ Eccleſiam interim conceſſere, donec reſtauratis damnis priſtinam repetierint ſtationem, quam ineunte ſeculo decimo tertio B. Agnes Wladislai I. Regis filia loci Antiſtita & muneribus auxit, & virtutibus illuſtravit; verùm anno 1421. rurſus eandem deſerere coactæ ſunt, ab Huſſitarum petulantia per Parvæ, Veteriſque Urbis compita inter hæreticæ plebis ludibria, ad S. Annam raptatæ, ubi 350. Religioſæ ex omnibus Civitatis Parthenonibus collectæ velut captivæ habebantur. Refloruit tamen cum Orthodoxa fide in Bohemiam revocata hoc quoque inſigne D. Georgii Monaſterium, prioribus reſtitutum privilegiis, inter quæ excellunt Principis dignitas, Antiſtitæ in perpetuum collata, jus coronandæ ſuismet manibus Reginæ eidem competens, atque exemptio ab omni Præſulum, & Ordinis Benedictini imperio, quam Summus Pontifex Eugenius III. impertiit, cùm in literis anno 1145. datis illud *in propriam, ac immediatam Sedis Apoſtolicæ tutelam ſe recipere* profiteatur. Eccleſiam verò præter Crucifixi Salvatoris ſimulacrum ex crucis pede, dum calamitas aliqua patriæ impenderet, ſanguinem ſtillare ſæpius deprehenſum, commendant venerandæ S. Ludmillæ, B. Miladæ, ac fundatoris exuviæ cujus nomen tumulo inſcriptum Beati titulo inſignitur. Canonicorum porrò Capitulum cum ſuo Præpoſito, quod in eadem olim erectum primus prodidit Balbinus, (b) ante non modicum temporis intervallum deſiiſſe neceſſe eſt. Elegans Carmeli Templum, Heterodoxis ex Ferdinandi II. Cæſaris præſcripto indè ejectis, anno 1624. illius inſtituti Religioſos, quos diſcalceatos vocant, nactum eſt inquilinos. Alter verò S. Joſephi Carmelus ab ejuſdem inſtituti Sanctimonialibus incolitur. S. Thomæ Templo tum ſeipſo, tum ob artificioſam ſummæ aræ iconem ſpectatu digno, Wenceslaus II. cognomento Bonus anno 1285. Cœnobium addidit à S. Auguſtini Eremitis hactenus habitatum, ubi primus omnium Prioris munere functus eſt Theobaldus, ſeu Dipoldus ex Regia oriundus proſapia. S. Laurentii Templum cùm celebri Parthenone Eliſabetha Bohemiæ Regina paulò ante mortem, quæ in annum incidit 1330., Sanctimonialibus Ordinis S. Dominici Olomucio advocatis excitavit. Templum S. Mariæ de Victoria, atque adjectum Ordinis Servorum B. M. V. Cœnobium Meriano (c) teſte monumenta ſunt piiſſimi Cæſaris Ferdinandi II., qui anno 1628. ea poſuit, tanquam partæ in Albo Monte contra Hæreticos victoriæ anathema. Domus Profeſſorum Societatis Jeſu, præter numeroſum 6. ſcholarum Gymnaſium, bina adminiſtrat Templa unum nempe Germanicum ad S. Nicolaum ſingulari imaginum nitore, ſacriſque DD. Criſpi, & Caji exuviis nobilitatum, atque alterum Bohemicum Parochiale S. Wenceslai Ducis, & Martyris cultui devotum. Alia quoque Micro-Pragę ſpectantur Templa, quorum ſyllabum paucis exponam, videlicet bina ſacri Prędicatorum Ordinis ad S. Martham, & S. Mariam Magdalenam; totidem Equitum Melitenſium, B. Virgini, ac S. Procopio ſacra, ex quibus ſecundum, ipſo Sancto per quietem monente, anno 1213. erexit Suliſlai, & Dobromilę conjugum pietas, & Daniel II. Pragenſis Epiſcopus coram Ottocaro I. Rege conſecravit. Item Templa S. Joannis Evangeliſtę ſub rupe, S. Joannis ad aquam, S. Caroli Borromęi in Italico hoſpitali, SS. Petri, & Pauli ad trajectum, & S. Marię Magdalenę in vineis. In Hradtſchinenſi tandem latere ſtat Templum Theatinorum Deiparę dicatum, Barnabitarum ad S. Benedictum, & Capucinorum cum eorum Domo Lauretana.

Emenſo ponte ex Parva in Veterem migremus Urbem, ubi haud pauciora obviabunt Pragenſis pietatis veſtigia. Hujuſmodi eſt Parochiale Aſſumptę in Cœlos Deiparę Sacrarium, quod in Tein vulgus cognominat tum vetuſtate ſua à primis Chriſtianis Ducibus exorta, tum raris intus, foriſque ornamentis ſpectabile. Non procul hinc occurrit S. Jacobi Eccleſia altitudine inſignis, quę unà cum adjacenti Cœnobio à lanionibus magno licèt labore defenſa univerſale ſacrarum Ædium excidium ab Huſſitis perpetratum ſubterfugit; quare illius loci Religioſi Minores Conventuales ſupra Cœnobii fores anno 1598. trophæum iiſdem erexere: cauſam peculiaris hujus tutelę affert Balbinus, (d) quòd laniones ex veteri fundatione memoratos Patres magna parte alerent, eoque nomine velut ſuos reſpicerent, ac tuerentur. Salvatoris Templum, quod Germanicum audit, ſub elapſi nuper ſeculi initium ab Heterodoxis extructum, meliores poſtea adeptum eſt incolas, Religioſos nimirum ex Ordine

S. Fran-

(a) Chron. Boh. ad ann. 912.

(b) Ep. Rer. Boh. l. 2. c. 9.

(c) Topog. Boh.

(d) Ep. Rer. Boh. l. 4. c. 7.

S. Franciſci de Paula, qui illud eleganter exornarunt. Hoſpitalem apud pontem Domum unà cum Templo S. Spiritûs honori dicato B. Agnes Wenceslai I. Regis ſoror circa annum 1238., addita ampla dote, Crucigeris largita eſt rubeam ſtellam ex Innocentii IV. indulto infra crucem geſtantibus, qui expugnatâ à Saladino Hieroſolymâ in Bohemiam concedentes in Porziczenſi apud Pragam Pago erectâ S. Petro Eccleſiâ conſederant: hujus quidem Ædis proventus in partem venerant menſę Pragenſis Archiepiſcopi poſt diuturnam Huſſitarum tempore abſentiam revocati, iiſque etiam frui licuit S. R. E. Cardinali ab Harrach, ea tamen conditione directè appoſita, ut hic Ordo eo fatis cedente liberam reciperet Magiſtri Generalis electionem. Alius prętera Crucigerorum Ordo S. Cyriaci, vel à Beatis Martyribus appellatus, anno 1256. inſtitutus, & ab Alexandro IV. Summo Pontifice ratihabitus à Balbino refertur, cujus quoque Generalis Magiſter jam ab ipſo pene hujus Religionis ortu cœpit Vetero-Pragæ ad S. Crucem reſidere. Venerabili S. Dominici Familiæ duo hic adjudicantur Templa, & Cœnobia, unum nimirum Sanctimonialibus ad S. Annam, & alterum Religioſis viris ad S. Ægidium quondam Collegiale, ab eximia latitudine dilaudatum, quod illi anno 1625. primò ſubierunt: antiquior enim ejuſdem Ordinis Sedes eandem premebat aream, cui Academicum Societatis Jeſu Collegium noſtris temporibus incumbit: colonia ea fuerat D. Hiacynthi, quam hic anno 1222. duce B. Ceslao fratre ſuo Pragam deſtinarat, ubi ad S. Clementem egregium ei Cœnobium aſſurrexit, cujus ſplendorem, ac magnificentiam produnt incolarum numerus, qui ad 150. Religioſos aliquando excrevit, & generalia totius Sacri Prædicatorum Ordinis Comitia anno 1397. ibidem celebrata; verùm elapſis indè octo luſtris Huſſitarum veſania, etiam muliebri manu admota, illud ſacrilegè dejecit, & in acervum lapidum convertit. Hoc itaque ſpatium profanis domibus jam ferè oppletum Societatis Jeſu Patres anno 1552. à Ferdinando I. Cæſare hujus Collegii fundatore in Bohemiam invitati, magno ære, annuente Summo Pontifice, ſibi compararunt, Temploque D. Clementis, in quo Germanicum Idioma è ſuggeſtu uſurpatur, ex piorum quorundam, præſertim Lobkoviciorum Procerum liberalitate aliud poſtea adjecere Salvatori conſecratum, in quo vernaculâ quoque linguâ ad Bohemos diceretur: Duo inſuper alia minora Templa hoc Collegium enumerat, unum ſcilicet Aſſumptæ in Cœlos Virgini ſacrum à Peregrino Pragenſi Epiſcopo ſub annum 1224. erectum, in quo Italorum Cœtus habentur, alterum verò ad S. Eligium Aurifabrorum ſolennitatibus conceſſum. Addenda his demum ſunt in Veteri Urbe præter D. Martini Parœciam cætera diverſorum Religioſorum Templa, qualia ſunt Benedictinorum ad S. Nicolaum; Fratrum Miſericordiæ ad SS. Simonem, & Judam; Servorum Beatiſſimæ Virginis ad S. Michaëlem; Carmelitarum ad S. Gallum; Præmonſtratenſium ad S. Benedictum; atque Clariſſarum ad S. Agnetem; nec non Templa B. V. Natæ ad lacum; S. Leonardi; S. Valentini; S. Caſtuli; S. Pauli in Hoſpitali; S. Joannis Baptiſtæ ad molas; S. Stephani minoris; S. Spiritûs, cui olim nobile ſacrarum Virginum Ordinis S. Benedicti Cœnobium adjacebat, à Nicolao Rockanero anno 1346. fundatum, & S. Andreæ, ubi inſigne prorſus accidit prodigium ex MS. Cuttenbergenſi codice à Balbino, utì ſequitur deſumptum: *Anno* 1338. *Templum S. Andreæ Pragæ veteris conflagravit totum cum Altaribus, totoq; ſacrorum apparatu: conſumpta in cineres omnia, liquefacti calices, & metalla omnia fluxerunt; monſtrantia, ùt vocant, ignibus tota devorata eſt, ſed Hoſtia Venerabilis Sacramenti illæſa permanſit ſtupendo miraculo.*

Poſt Parvam, Veteremque Pragam Nova, quæ adhuc luſtranda ſupereſt, Civitas nos præſtolatur; neque enim hæc in ſacrarum Ædium apparatu reliquis concedit, ſed omnes tres pia contentione pro hujuſmodi palma decertant. Non leve imprimis encomium hìc ſibi vendicat Monaſterium cui nomen Emmaus, à Carolo IV. Imperatore in Slavicæ gentis gratiam S. Hieronymo natione Dalmatæ regiâ munificentiâ anno 1347. erectum, & ampliſſimo Benedictinorum Ordini tranſcriptum, obtenta à Summo Pontifice facultate, ut in eo divina omnia ſermone Slavico peragerentur; ſed hæreſi graſſante deſertum, tandem ad Hiſpanos D. Benedicti aſſeclas, quos à Monte Serrato cognominant, devolutum eſt. Carlovienſi pariter Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegio, ejuſque pulcherrimo Templo initium dedit idem Imperator anno 1351., ſed ob utriuſque molis magnitudinem, protractâ diu ædificandi curâ, anno primùm 1377. D. Carolo Magno conſvetis Eccleſiæ ritibus adſcriptum eſt. Templum S. Mariæ ad Nives, quod perquam ſplendidum, ſublimeque olim fuiſſe, ex ſuperſtite illius choro conjicere fas eſt, cum adjecto Carmelo anno 1347. prælaudatus Carolus condiderat, ſed ei ab Huſſitis diruto ſubſtitu-

tum eſt præſens à Minoribus Obſervantibus D. Franciſci, hodieque poſſeſſum, præter quod aliud quoque Templum Immaculatæ B. V. Conceptioni ſacrum ad ejuſdem Ordinis Religioſos, quos Hibernos vocant, pertinere intellexi. Neopragenſe Societatis Jeſu Collegium ſex ſcholarum Gymnaſio inſtructum ternis cingitur Templis, quorum primum auguſtæ molis Patriarchæ Ignatio, alterum D. Indiarum Apoſtolo Franciſco Xaverio dicatum eſt; tertium Corporis Chriſti ambo hæc vetuſtate ſuperat, utpote à Carolo IV. Cæſare anno 1364. exſtructum, & Academicis Bohemicæ nationis Doctoribus aliquando attributum. Extat hìc inſuper Templum Parochiale ad S. Henricum; Eremitarum D. Auguſtini ad S. Catharinam prælatam ſuſpiciens turrim Caroli IV. opus, qui Monaſterium illud ſacris ejuſdem Ordinis Virginibus fundarat; ad S. Wenceslaum aliorum Eremitarum, quos diſcalceatos dicunt; Capucinorum ad S. Joſephum; Urſulinarum, atque Servorum B. V., quorum Cœnobium etiam à Carolo IV. anno 1361. conditum, dum in Huſſitico incendio exarderet, viſæ ſunt ab ipſis Hæreticis Religioſorum animæ columbarum inſtar è rogo ad ſydera evolare. Præter hæc adſunt quoque alia Sanctiſſimæ Trinitati, ac SS. Clementi, Petro, Adalberto, Eliſabethæ, Nicolao, Michaëli, Lazaro, Bartholomæo, Apollinari, & Stephano, quem majorem cognominant conſecrata; ad quorum poſtremum Carolus IV. Saczenſes Canonicos anno 1363. tranſtulerat, ut ſacrarum literarum ſcholas ibi aperirent; verùm poſt quinquaginta ſeptem annos, ſubjecto ab Heterodoxis igne, Canonicis dilabentibus Collegium, ſcholæque conflagrarunt.

Cæterùm ante Huſſitarum inſaniam, qui anno præſertim 1420., & ſequenti immanem ſacrarum Ædium ſtragem Pragæ ediderunt, alia adhuc inibi emicabant magnificæ pietatis monumenta antiquæ dignitati nunquam reſtituta. Sanè Zidecus apud Balbinum (a) atteſtatur, in una Minore Urbe ſex & triginta ſtetiſſe Templa, quorum pleraque aut flammis deleta ſunt, aut impiis tum virorum, tum fœminarum manibus ſolo æquata; & alibi apud eundem refertur in ſolo Wiſſehradenſi Caſtro quatuordecim venuſta Templa quondam fuiſſe ab Hæreticis ea tempeſtate dejecta, quibus facilè præeminebat Collegiata SS. Petri, & Pauli Eccleſia, quam anno 1070. Wratislaus II. Bohemiæ Rex ſumptuoſiſſimam excitavit, ejuſque Præpoſitum in perpetuum Bohemiæ Cancellarium, ac Principem evexit; Summus autem Pontifex Alexander II. eandem ſibi immediatè ſubjectam declaravit, conceſſitque Inſulas Præpoſito, Decano, & Canonicis illi miniſtrantibus non modò ſolennioribus per annum diebus, ſed & quoties Dux Bohemiæ coram ſe ſacrum fieri juberet: quàmque D. Tutelari Apoſtolorum Principi Petro curæ fuerit hoc Canonicorum Collegium, tunc maximè eluxit, quando anno 1187. Fridericus Bohemiæ Dux, cùm Villam Swrczovice ad eos pertinentem cuidam aulico Habrovio oppignoraſſet, ac per quietem à Sancto monitus reddere cunctaretur, ab eodem rurſus apparente acerbiſſimè vapulavit, quare primo manè Dux flagrorum vibicibus coopertus Villam quantocyus reſtitui præcepit: noſtra autem ætate ſola D. Petri Paræcia ibidem perdurat. Demum præteriri abſque injuria non poteſt inſigne Benedictinorum Cœnobium, quod è ſuis cineribus non dum reſurrexit, in D. Ambroſii honorem à deprædicato toties Imperatore Carolo IV. anno 1354. in Nova Urbe excitatum, ubi Miſſæ ſacrificia, nocturnæ diurnæque preces, omnia denique ſacra juxta Mediolanenſis Eccleſiæ ritum peragebantur.

Profanis itidem ædificiis magnificum quendam ſplendorem ſpirantibus Pragenſis Tripolis gloriatur. Plura ejuſmodi intra ſua continet valla Regia D. Wenceslai Arx, cui, uti Balbinus affirmat, *Procerum, & Aulæ totius judicio, in terris omnibus, quas habet Regnatrix Auſtriacorum familia, non eſt altera, quæ commoditate locorum; proſpectûs, & Cœli libertate, ac ſalubritate; magnitudine, & capacitate comparetur.* Maximum, quo illa nitet, decorem, in acceptis refert Sapientiſſimo Imperatori Ferdinando III., qui ad melioris architectonices regulas eandem redegit, veteres Wladislai, Rudolphi II., ac reliquorum Cæſarum Arces in unam coequando: intra ſpectabiliora verò hujus membra recenſeri merentur tum vaſtum Wladislai conclave, Salam dicunt, per reticulatas utrinque aſcendens teſtudines, quarum quintus ordo fornicem ducentos duodecim pedes longum, & ſexaginta latum abſolvit, tum Mathematica domus inter regios hortos ſelectiſſimis ex Italia, Hiſpania, ipſaque Aſia advectis arboribus Rudolphi ævo conſitos à Ferdinando I. Cæſare impenſis 100. florenorum millibus exædificata, cujus ſupremus ambitus Cœlo patens cedrino ſternitur pavimento à putredine hactenus immuni; accedit his fuſoriæ artis miraculum, equeſtris videlicet D. Georgii ſtatua ex ære campano conflata, & minima quævis equi, equitiſque lineamenta, ac flexus ad unguem repræſentans. In hac Arce Comitia, ſeu conſeſſus publici,

(a) Ep. Rer. Boh. l. 4. c. 7.

ac

ac tribunalia omnia coguntur, præcipuè verò Conſilium Regis, Locumtenentium, Cameræ; item Cancellaria Regni, atque ſupremum appellationis Tribunal anno 1548. à Ferdinando I. inſtitutum. Cætera Urbis decora enumerare ſuffecerit, ne ultra præfixos limites excurrat opus. Sunt ea Antiquæ Pragæ Curia tum mole ſua—, tum Georgii Regis electione, & ſolennibus aliorum Regum, Cæſarumque epulis celebrata. Vetus Curia, cui Rychta nomen, pugilatibus, aliiſque certaminibus, ac ſpectaculis idonea. Vaſtæ duæ Ædes, Regum quondam habitacula, quarum altera à moneta, quæ in ea cuditur, monetaria cognominatur, altera vetuſtum Aulæ Regiæ nomen etiamnum conſervat—. Vectigalis, & Telonaria ad pontem domus magnificè extructæ. Waldſteinianum— denique, Liechtenſteinianum, Chinskianum, Czerninianum, ac plurimorum Procerum illuſtria Palatia, quibus Civitas univerſa, præſertim Minor ubique coruſcat. Peculiare tamen ſibi encomium— vendicat admiranda horologii machina, eximium Antiquæ Urbis Curiæ ornamentum; nam præter Bohemicas, ſeu Italicas, Germanicasque horas, totam Cœli faciem ſub aſpectum ponit; ſiquidem diem, menſem, annum, Solis, Lunæque tum creſcentis, tum deficientis ortus, pleni- & novi-lunia, eclipſes, reliquorum item planetarum curſus, Zodiaci ſigna, cyclos, ac præcipua calendarii feſta demonſtrat, ita ut ex omnium pene ſcriptorum ſenſu in— nulla alia Cæſareæ ditionis parte, vel juxta Furnerii (a) natione Galli judicium, ne in toto quidem Orbe pari artificio elaboratum opus reperiatur.

(a) Notit. Orb. l. 4. c. 6.

Non tam magnificâ ædificiorum elegantiâ fulget Praga, quàm celebri ſcientiarum ſplendore Pragenſium emicent ingenia: pluribus quippe abhinc ſeculis jam— hìc illarum patebant Lycea, prout indicat veteris cujuſdam chronici author à Balbino (b) allegatus, qui ad annum 1248. Pragenſe ſtudium periiſſe annotavit. Hujus inſtaurandi curam poſt 10. circiter luſtra Wenceslaus Bohemiæ, ac Poloniæ Rex, Tobia Bechinio Urbis Epiſcopo impellente ſuſceperat, clariſſimis Juriſconſultis jam undique accerſitis, ſed Regni Proceres, & Magiſtratus, neſcio, quæ damna— indè ſibi ominantes, adeò ſalutaria conſilia penitus diſturbarunt. Longè fœliciùs auſpicatus idipſum eſt Sapientiſſimus Imperator Carolus IV., qui anno 1347. Academiam, ſeu Univerſitatem cum iiſdem juribus, ac privilegiis, quibus Pariſienſis, & Bononienſis fruebatur, in hac Bohemiæ Metropoli ampla dote fundavit, à Summis Pontificibus Clemente VI., Urbano V., Bonifacio IX., Innocentio VII., ac Nicolao V. de more confirmatum. Cui ditandæ cùm multum contulerit Pragenſis Clerus, effectum eſt, ut Urbis Archiepiſcopus in perpetuum Univerſitatis Cancellarium aſſumeretur. Sequenti anno ejus ſeculi 48. diſcriminata ea eſt in quatuor nationes, Bohemicam ſcilicet, ad quam Moravi, Hungari, & Slavi referebantur, Polonicam, Bavaricam, & Saxonicam. Totidem inſtitutæ quoque ſunt Facultates, Theologica nimirum, Juridica, Medica, & Philoſophica, quarum diſciplinas primò profeſſi ſunt Magiſter Hermannus de Vintswik, M. Fridmannus de Praga, M. Vigtoldus de Oſnaburgo, M. Henricus de Sicha, M. Jeniko de Praga, M. Nicolaus de Moravia, M. Dytherus de Widena, & M. Henricus Volerus. Maximum his, ac præcipuum Collegium, quod Carolinum audit, in Lazari Judæi Curia memoratus Cæſar erexerat, anno poſtmodum 1383. à Wenceslao Rege in Joannis Rotlevi ædes translatum—. Statuit præterea munificus Academiæ fundator, ne ulli alteri præterquam ſeniori ex Collegii Carolini Profeſſoribus conferri poſſent præbendæ, quas cum ſuo Præpoſito idem ipſe jam ab anno 1342. in Regia Arcis Pragenſis Eccleſia Omnibus Sanctis dicata liberaliter dotaverat. Præter Carolinum bina adhuc Collegia adfert Hagecius (c) ab eodem Imperatore Carolo extructa, unum nempe in Jacobi Judæi domicilio, alterum verò prope Muldavam Zum Wappen vulgò cognominatum. Inter reliqua Collegia, ſeu Burſas numerabatur Collegium Cæſareum, aliàs Wenceslai Regis, quem anno 1399. fundatorem habuerat, appellatum; Collegium Reginæ, quod etiam Domum Hieruſalem vocabant, ab Hedwige Poloniæ Regina pro Lituanis recèns ad ovile Chriſti adductis anno 1397. fundatum; Collegium S. Wenceslai pro Bohemica natione longè quidem ante annum 1407. inſtitutum—, ſed magnis eo tempore auctum proventibus à Wenceslao de Chotiow Capellæ Regiæ Omnium Sanctorum Miniſtro, hunc veluti cond torem reverebatur; Collegium B. V. M. in ejuſdem nationis gratiam à Joanne Reczkone de Ledecz Veteris— Urbis Primate anno 1438. excitatum. Collegium Nazarethanum ab Inſtitore quodam, cui Crux nomen, anno 1412. erectum penes Eccleſiam Bethlehem dictam, SS. Apoſtolis Matthæo, ac Matthiæ, vel SS. Innocentibus ſacram, & 20. annis priùs ab eodem inchoatam, ubi paulò pòſt Eques Joannes à Mülheim fundato à ſe ſacerdotio præfecit Joannem Huſſum famoſum Hære-

(b) Ep. Rer. Boh. l. 3. c. 14.

(c) Chron. Boh. ad ann. 1348.

ſiarcham, qui primum peſtiferæ ſuæ doctrinæ toxicum iſtic confecit, quo univerſum Bohemiæ Regnum temeravit; hodie autem ea Eccleſia à Clementino Societatis Jeſu Collegio adminiſtratur. Collegium Apoſtolorum aliàs Laudæ conditorem nactum eſt M. Matthiam Laudam de Chlumczan anno 1407., utì Hagecio (a) placet, vel 1451., utì ex fundationis literis ſe deſcripſiſſe aſſerit Balbinus, (b) qui hæc omnia uberiori calamo explicuit, pluresque adhuc præterea Burſas extitiſſe ſubjungit. Admirando interim augmento proficiebat indies Pragenſe Athenæum, tantâ auditorum copiâ ex omnibus Europæ plagis affluente, ut, teſte præcitato Hagecio, quadraginta quatuor ſolùm advenarum millia, exceptis ſcilicet Bohemis, aliquando numerarentur: verùm Bohemicarum omnium calamitatum author Joannes Huſſus Theologicæ Facultatis membrum, dum anno 1408. in Decani electione præferetur, audacter propoſuit, *Si in Univerſitate Pragenſi Pariſienſes conſuetudines teneri debeant, velut in Gallia, ita in Bohemia, Bohemis tres voces, & ſuffragia concedi oportere.* Cui ſententiæ cùm reliquæ nationes refragarentur, Huſſus Reginæ chariſſimus propitium ſibi decretum à Wenceslao Rege per eandem extorſit: quamobrem irritati Germani tum Profeſſores, tum diſcipuli, incenſô Theologorum Collegiô, 40. circiter millium numero intra octiduum Pragâ exceſſerunt, magno aliarum Urbium emolumento; ſiquidem ex eorum diſperſione Lipſienſis Univerſitas in Miſnia, Ingolſtadienſis in Bavaria, Roſtochienſis in Saxonia poſt breve temporis ſpatium exortæ ſunt. Pragenſis verò ſub benigno Auſtriacorum Cæſarum ſidere, elangueſcente tandem hæreſi, ſenſim refloruit, à Ferdinando III. ultimò aucta, qui fundatam à Ferdinando I. in Clementino Societatis Jeſu Collegio Academiam cum Carolina copulavit, ita ut in illa Theologicæ ac Philoſophicæ diſciplinæ, in hac autem Medicina ac Jura explanentur, & ſolemnes omnes Univerſitatis actus exhibeantur. Hactenus Pragenſem Tripolim obivimus, in qua diu quidem, licèt nondum pro ejus dignitate ſatis commorati, ad totius Regni memorabiliora in Civitatibus, Oppidis, aut Arcibus alphabeto duce ſpectanda demum excurramus.

(a) Chron. Boh. ad an. 1407.

(b) Ep: Rer. Boh. l. 4. in not. ad c. 4.

ALTOVADUM.

ALtovadenſe Ciſtercienſis Ordinis Cœnobium, vulgò Hohenfurt, in Bechinenſi comprehenſum Diſtrictu Woko Roſenſis Bohemiæ Mareſchallus, & Ottocari Regis per Auſtriam, & Styriam Gubernator anno 1259. magnis opibus fundavit, effoſſô ſub Eccleſiæ choro univerſæ proſapiæ ampliſſimô ſarcophagô; grande enim eſt conclave, circa quod defunctorum ſceleta, veſtibus, & carnibus longa ætate amiſſis, etiamnum in ſellis dicuntur conſidere. A conditoris munificentia nil prorſus degeneres poſteri, quamplurimis prædiis, ac fundis ejuſdem Monaſterii dotem liberaliter ampliarunt; inter quos Henricus Roſenſis anno 1403. à Bonifacio IX. Summo Pontifice obtinuit, ut illius Abbates Infulam, cæteraque Pontificalia inſignia deinceps uſurparent. Illud quoque Roſenſium tutelæ hoc Cœnobium in acceptis refert, quòd crudeles Huſſitarum Ulrici Roſenſis arma formidantium enſes, ac flammas, quibus ii reliqua ſacra depopulabantur, incolume ſubterfugerit.

ARNAVIA.

ARnavia vulgò Arnau, ſeu Hoſtinney Urbecula eſt in Reginohradecenſi Diſtrictu 14. milliaribus Pragâ recedens, Waldſteiniorum olim, poſtea Comitis Lamboy ditio, cujus Arx à Sobieslao I. Bohemiæ Duce anno 1139. contra Polonos condita ad Dominos Bergau aliquando ſpectabat. Summæ hæc ſibi gloriæ jure merito ducit, quòd à Ziska fœlici aliàs tot Urbium expugnatore maximis licèt viribus impetita nunquam ſuccubuerit.

AULA REGIA.

CEleberrimum Aulæ Regiæ Cœnobium vulgò Germanis Königſaal, Bohemis Zbraslaw in Podbrdenſi Diſtrictu ad fluviorum Muldavæ, & Miſæ concurſum inſtar peninſulæ ex continenti exiens, immenſæ propemodum molis, in quam antiquitus aſcendebat, authorem deprædicat Wenceslaum II. Bohemiæ Regem, qui anno 1297. altero à coronatione ſua die, ex voto ante triennium concepto primum Templi, ac Cœnobii ampliſſimi lapidem coram duodecim Epiſcopis, & frequenti Procerum affluxu regiis manibus in fundamenta devolvit; adjecto dein Regiæ ſtirpis Mauſolæo, quod ipſe ante omnes ingreſſus ſubſequentem habuit filium Wenceslaum ultimum Przemislææ gentis Regem per inſidias Olomucii confoſſum. Abſoluto opere expeditæ primò ſunt fundationis literæ Brunæ in Moravia anno 1304. conſignatæ. Auguſtiſſimam Deiparæ Baſilicam hodieque in ruderibus incolæ admirantur, quam Eliſabetha Caroli IV. Cæſaris mater ſeptem Sacellis juſtam Templorum magnitudinem æquantibus corona-

naverat. Cœnobii verò majeſtatem Pius
(a) Hiſt. Bo. c. 36. II. Papa (a) his verbis depinxit: *Fuit Monaſterium Aulæ Regiæ ſingularis excellentiæ, nam præter ædem magni, & memorabilis operis, amplum Dormitorium, cæteraſq; Monachorum officinas magnificè conſtructas, quadrata porticus fuit, quæ non parvum concluſit hortum, ambitum vocavere. In hujus lateribus vetus, novumq; teſtamentum ab initio Geneſis uſque ad Apocalypſin literis majuſculis in tabulis ſcriptum continebatur notis, quò altiùs iret, paulatim creſcentibus, ita ut à ſummo uſque deorſum facilis lectio præberetur.* Huic Ædium amplitudini non impar fuit inquilinorum numerus, prima ſiquidem Colonia ex Sedlecenſi Monaſterio adducta ſeptuaginta Religioſos cum Conrado Abbate recenſuit, tanto deinceps incremento, ut imperante Carolo IV. trecenti circiter numerarentur. Memoratu digniſſima iſtic colitur B. V. imago pium fundatoris munus, pluribus miraculis coruſcans, quorum non minimum haberi poteſt, ex Huſſiticis flammis indemnem evaſiſſe, anno ſcilicet 1420., quo à Coranda Heterodoxorum Duce Cœnobium, Templumque direptum, & incenſum in cineres evanuit. Nec nisì poſt elapſum indè ſeculum, reſurgere cœpit Auſtriacorum Cæſarum favore recreatum, & à Vigilantiſſimis Abbatibus Antonio Flamingo, & Joanne Greiffenfels, ſi non priſtino ſplendori redditum, ſaltem decorè reparatum.

AUSTA.

(b) Iſagog. hiſt. p. 5. AUſta, vel juxta Dreſſerum (b) Auſtia, vulgò Auſti gemina olim fuit Bohemiæ Urbs, quarum alteram prope Taborium ſitam Ziska anno 1420. cæſis omnibus Orthodoxis delevit, alteram verò vulgò etiam Auſſig dictam in Litomericenſi Diſtrictu cum vetuſta Arce adhuc vigentem, & 9. Pragâ milliaribus remotam Albis fluvius alluit. Hanc teſte Ænea
(c) Hiſt. Bo. c. 40. Sylvio (c) Miſniæ Marchionibus, Saxoniæque Ducibus tradiderat Sigiſmundus Imperator, ut eam præſidio tuerentur; ſed Ziska cum Pragenſibus, Taboritis, aliiſque factionis ſuæ addictis anno 1426. acri eam obſidione preſſit, cúmque obſidentes aſſultu mœnia tentaſſent, magna ſuorum clade repulſi ſunt; interea verò ſuppetias Urbi adferre parante 100. armatorum millium exercitu, ex Franconia, Thuringia, Saxonia, Miſnia, Voitlandia, ac Luſatia à Friderico Electore conſcripto longè acrius commiſſum eſt prælium; ubi incerta diu pependit victoria, donec ingenti Catholicorum ſtrage in Hæreticos inclinaverit, qui captam illico Auſtam fœdiſſimè deformarunt. Ferunt in ea primùm pugna haſtarum, quas halabardas vocant, uſum ad diſſecandas curruum catenas apud Germanos invaluiſſe; Bohemicos verò pedites curvis quibuſdam inſtrumentis, recèns quoque repertis, equitatum ex ephippio deturbaſſe. Proſtrata hoc turbine Auſta triennio jacuit, quo elapſo rurſus erecta eſt, atque Regiarum Urbium albo poſtmodum inſcripta. Interim novæ eam oppreſſere calamitates, incendium ſcilicet, quo anno 1538. exarſit, & Saxonum, Svecorumque copiæ, ex quibus illi anno 1631., hi autem octennio pòſt Auſtam occuparunt. Sacri Prædicatorum Ordinis Monaſterio, quod olim Roſenſes Urbis Domini in Suburbio erexerant, ab Huſſitis everſo, fuit illi alterum anno 1618. ad S. Adalbertum intra muros ſubſtitutum.

BECHINA.

BEchina vulgò Bechynie Urbs quondam Regia cognomini Diſtrictui incluſa, 12. milliaribus à Pragenſi Metropoli abeſt: huic imminens in ardua rupe memorabilis Arx miræ altitudinis, quæ per ſeptem ſuper ſe ſtantes ſibique incumbentes fornices aſcendit, ortum ſuum ducit à Bechiniis Proceribus ſagittam pro inſigni ferentibus, quibus ſucceſſere Sternbergici Bechinenſis Cœnobii conditores, his verò Schwambergici, & poſtea Roſenſes, à quibus Schwambergici perſolutò pretiò ſibi rurſus vendicarunt. Adeò ea eſt arte, & naturâ munita, ut anno 1428. armatam obſidentium Taboritarum ferociam ſupra trimeſtre ſpatium fatigarit, donec, nulla affulgente ſpe opis aliunde adferendæ, cum eorum Duce Procopio deditionem tranſegerit. Anno autem 1619. Comes Bucquoius Cæſareo milite eandem cinxit, ac glorioſiùs expugnavit. Per circumjacentes hujus Urbis campos ſparſum eſt quoddam lapidum genus ſaxeo fuſci coloris cortice nonnunquam tuberoſo munitum, quem ſi frangas, lapis ſe offert alius paulò lævior, & in hoc rurſus inſtar nuclei candidiſſimus abditur lapis, qui in ignem injectus brevi exardeſcit, & cum ingenti ſonitu diſrumpitur.

BERAUNA.

BErauna vulgò Beraun, quæ Caroli IV. Cæſaris ævò latinè Verona dicebatur, Urbs Regia Podbrdenſis Diſtrictûs primaria, & ad dextrum Miſæ amnis latus extructa 3. tantùm milliaribus Pragâ recedit. Eam anno 746. à Slawoſſio præcipuo Nezamisli Ducis aulico conditum, atque ab

(a) Chron. Boh. ad an. 746.

authore ſuo Slavoſſiam primò appellatam refert Hagecius, (a) additque ad annum 756., eandem muro cinctam fuiſſe, & paulò pòſt à prædonibus inſeſſam à vernaculo verbo brati, quod eſt accipere, ſeu rapere, præſens Beraunæ nomen in ſe derivaſſe. Multos hæc Urbs Martyres anno 1421. Cœlo tranſmiſit, quando videlicet, eâ à Ziska Huſſitarum Anteſignano poſt ſtrenuam defenſionem, captâ duodequadraginta Sacerdotes præter Minores Conventuales in Suburbiis degentes, eò quòd Pragenſium articulis Catholicæ fidei adverſis ſubſcribere abnuerent, aut ferro aut flammis fuere ab Hæreticis interempti. In eandem præterea Civitatem anno 1432. aqua, & anno 1600. ignis, anno autem 1611., & ejuſdem ſeculi 32. hoſtes ingenti illius damno deſævierunt.

BIELA.

Biela Urbs eſt Boleslavienſis Diſtrictûs 7. milliaribus Pragâ diſtans, anno 1426. à Joanne Rohacio Taboritarum Duce capta, & crudeli omnium virorum internecione funeſtata. Falli videtur hìc Merianus, dum Bielam à Germanis Weiſſwaſſer vulgò dici aſſeverat, hoc enim Bilæ vetuſtiſſimi Caſtri nomen eſt, quod anno 758. excitatum Michaloviciis diu ſubjacebat, donec Pragenſes anno 1421. illud expugnârunt, unde Miſnia iis deprædantibus ſæpius patuit: quare Sigiſmundus Saxoniæ Dux ſuſceptò adversùs Hæreticos bellò anno 1431. captum incendit, & defenſioni inutile reddidit. Proximum Bielæ impendet Bezdiecium vulgò Bezdiezy aliàs Bezgezy juxta Balbini (b) ſententiam omnium pene Bohemicarum Arcium, ſi loci naturam ſpectemus, munitiſſima, & mediam Regni partem, quæ ad Albim fluvium porrigitur, latiſſimè proſpectans; cui ſupereminet excelſa, ac rotunda turris, murò octo Pragenſes ulnas latò firmata, & longævam prorſus ætatem oſtentans. Penes hanc Carolus IV. Imperator vaſtam ad inſtar lacûs piſcinam anno 1367. effodi juſſit, Cæſareâ etiam dexterâ ligoni operique admotâ, ut reliquis præiret exemplo, utpote ſtimulo mandatis longè potentiori. Caroli ſucceſſor, ac filius Wenceslaus Procopio Moraviæ Marchioni eam Arcem transcripſit, ſed illius fràter Sigiſmundus Cæſar ab eodem ad mortem fame oppetendam adacto poſtmodum extorſit. Pertinebat illa tamen revera vi Carolinæ fundationis ad Carlovienſes Canonicos Regulares Pragæ degentes, qui ſuorum Coloniam ſub hoc Caſtro poſuerant, à memoratis Taboritis funditus exciſam. Hodie autem

(b) Miſcel. Boh. de. 1. l. 3. c. 8. §. 2.

Bezdiecium à Serratenſibus S. Benedicti Religioſis poſſidetur, & habitatur. Illud quoque hìc omittendum non eſt, quod præcitatus author in ſuis additamentis ſubjunxit, ex Bezdiecenſi nimirum Arce ad aliam uſque, cui nomen Hauska medio, & amplius milliari diſſitam, loquentes invicem audiri, ita, ut colloquia inter utriuſque inquilinos miſceri poſſint, quamvis voce non admodùm clamoſa utantur, opportuno montium ſitu mirum hunc effectum abſque dubio producente.

BILINA.

Bllina vulgò Belin Urbs eſt nobili Arce inſtructa in Litomericenſi Diſtrictu 9. milliaribus Pragâ abſens, & ad Lobkovicios Proceres ſpectans, cujus originem ab anno 744. orditur Hagecius (c), quando à Bila Libuſſæ ex ſorore nepte eam primò conditam commemorat. Hæc ſæviente Huſſitarum furore, Romanæ Eccleſiæ placitis firmiſſimè adhæſit, uti Merianus (d) ex Boreco atteſtatur. Quare ut heroicam Civium conſtantiam frangerent Hæretici, arctâ obſidione anno 1421. Urbem circumvallant, quæ cum defendi non poſſe videretur, præſidiarii, & quidquid erat armatorum cum plurimis, qui eò confluxerant, Sacerdotibus in Arcem confugiunt, ſed eâ dolo, ac proditione potiti hoſtes, Nobilitate, & præſidio promiſcuè confoſſis, atque Presbyteris magno numero concrematis, barbarum crudelitatis ſuæ ſpectaculum ediderunt. Imminet Civitati mons, qui ob illius propinquitatem Bilinenſis nuncupatur, auroque, vel argento dives paſſim cenſetur, feruntque Dracones aliquando è cavernis evolare, atque iterum involare viſos, gemmas inſuper, & coronatos ſerpentes ibidem non ſemel apparuiſſe: illud certius, rupem eſſe magna ſui parte præcipitem, ac calvam, atque dictamnum nigrum, & album, item crocum, aliaſque peregrinas herbas, ac flores in ea virere. Salem præterea in Bilinenſi territorio fuiſſe à Majoribus effoſſum ex vetuſtiſſimorum annalium fide compertum Balbino (e) eſt, protinus addenti ſalinares ibi puteos hodierno etiam tempore monſtrari.

(c) Chron. Boh. ad ann. 744.

(d) Topog. Boh.

(e) Miſcel. Boh. dec. 1. l. 1. c. 12.

BISTRICIUM.

Biſtricium vulgò Byſtrzice duarum in Bohemia Civitatum nomen eſt, quarum altera ad Liſnam Arcem in Caurzimenſi Diſtrictu ſita 5. milliaribus Pragâ recedit, alteram verò 16. milliaribus indè remotam, & Bechynenſi Diſtrictui inſertam Tampirius Cæſarearum copiarum

Dux

Dux anno 1618. fortiter expugnavit. Memoria dignum in hac eſt vetuſtum Minimorum S. Franciſci de Paula Cœnobium vivente adhuc eorundem fundatore excitatum.

BOLESLAVIA ANTIQUA.

BOleslavia Antiqua vulgò Alt-Bunzlau ſeu Bunzel modicum nunc eſt ad Albim fluvium Oppidum in ejuſdem nominis Diſtrictu non niſi 3. milliaribus Pragâ diſtans, illuſtris tamen olim Civitas, ab anno ſcilicet 915., quo eam condere cœpit Wratiſlaus I. Bohemiæ Dux opportunum Urbi locum cœlitus, utì fertur, edoctus, indito eidem Boleslaviæ nomine in gratiam ſecundogeniti filii Boleslai tunc ſexennis, qui amœna ſua loquacitate parentum amorem ſibi plurimùm conciliabat: utque ſtatutum opus Deo pleniùs arrideret, auſpicatus illud eſt à Templi fundamentis, quod SS. Cyrillo, ac Methodio de Bohemia optimè meritis in perennem grati animi teſſeram dicavit, adjectô inſuper quatuor Sacerdotum Collegiô, unde factum, ut Collegiali iſtic Eccleſiæ ad noſtra uſque tempora Antiquiſſimi Capituli titulus jure merito adhæſerit. Reliqua Urbis ædificia lentè progredientia Boleslaus Princeps anno 937. Proceres ad ſumptuum partem minis impellens, maximè promovit, latô, editoque murô tutelæ causà circumductô; at inſequenti mox anno S. Wenceslai fratris nece eandem cruentavit. Alter Boleslaviæ conditor Brzetiſlaus I. Bohemiæ Dux celebratur à Balbino, qui hujus Civitatis hiſtoriam in rerum Bohemicarum Epitome fuſiſſimè pertractat: Maximum, quod illi addidit, ornamentum habenda procul dubio eſt inſignis Baſilica, quam unà cum nobili Canonicorum in communi de illius ævi more viventium Collegio anno 1042. inchoatam in devaſtatæ Poloniæ pœnam à Benedicto IX. Summo Pontifice injunctam, quadriennio pòſt ad faſtigium duxit, largiſque proventibus ditavit: Eccleſiam verò conſvetis ſacratam ritibus Severus Pragenſis Præſul D. Wenceslai M. honoribus addixit. Pietati doctrinam poſtmodum copulavit idem Brzetiſlaus, Templo nimirum ſcholas, quas ibidem erexit, tantô accedentium numerô, ut parem alibi juventutis frequentiam tota Bohemia ea ætate non recenſeret. Avitæ virtutis ſtrenuus æmulator Carolus IV. tum S. Wenceslai Baſilicæ, tum etiam Boleslaviæ beneficam porrexit dexteram, namq; illam novis reditibus, ſacriſque lipſanis donavit, hanc verò ædificiis auxit, & quadro lapide excitatis mœnibus hoſtiles impetus ab ea validiùs removit. Præclaram hanc Urbem vix plenè exortam Otto I. Imperator anno 950. magna vi aggreſſus Boleslaum Ducem in ea incluſum ad fratricidii, aliorumque ſcelerum veniam ſupplici-ter petendam poſtremò adegit, qua ei benignè data è Bohemia cum exercitu deceſſit. Sed longè gravius Boleslaviæ vulnus inflixit Huſſitarum furor, utpote ab his penitus everſæ, flammiſque conſumptæ, quorum veſtigiis poſt bina ſecula inſiſtentes Sveci non minorem eidem cladem intulere etiamnum reparandam. Supereſt tamen adhuc hodie Collegialis octo Canonicorum Eccleſia ab anno 1650. publicis Regni expenſis inſtaurata, pluraque antiquitatis ſuæ argumenta præſeferens: duplex ea propemodum eſt, una nempe vetuſtior ſub terra SS. Coſmæ, & Damiano ſacra cum humili fornice triginta ſex columnis innixo, cui altera recentior incumbit D. Wenceslao, utì jam diximus, dicata. Varia hìc olim Sanctorum corpora, aliaque inſignes reliquiæ colebantur, quæ aut defoſſæ latent, aut in bellicis tumultibus periere: hanc jacturam non parum ſolatur ſuperſtes ex cryſtallo ampulla, in qua glorioſi Martyris Wenceslai cruor vivaciſſimè hodieque rubens aſſervatur. Stat præterea in hujus Baſilicæ Cœmeterio vetuſtiſſimum S. Clementis Templum, cujus originem ad SS. Cyrilli, & Methodii tempora nonnulli retulerunt. Summum interim decus Veteri Boleslaviæ adfert celeberrimum B. Virginis ſacrarium, cujus faſtos à Balbino uberiùs contextos breviſſima hìc ſinopſi complectar. Anno itaque 1160. Boleſlavienſis agricola, dum aratro campum ſulcat, in contumacem quemdam incidit locum, quem nulla jumentorum vi ſubigere poterat; poſt multos conatus tandem vomere fortiùs telluri impacto, eam ipſam effodit Deiparæ tabellam, quam hodie Bohemia veneratur: cúmque eam domum detuliſſet, alterâ mox die ad priſtinum agri locum ſua ſponte reverſam animadvertit, quod iterum, ac tertiò factum à veteribus accepimus. Demum agricola D. Wenceslai Canonicis prodigioſam offert iconem, quæ nec apud hos diutiùs morata in ſuum agrum nocturnâ fugâ conceſſit. Quare manifeſtam Dei voluntatem Genitricis ſuæ cultum eo in loco expetentis reveritus Collegii Præpoſitus Zbudko Kolowrathæus Sacellum extruxit, ad quod ſecuta protinus miracula, ac per Bohemiam divulgata frequentem undique populum convocarunt. Græcam eſſe imaginem vultus, habituſque, & cætera lineamenta non obſcurè produnt, quod anſam

quibuſdam eruditis præbuit ſuſpicandi, eam per SS. Cyrillum, & Methodium in has oras deveniſſe, imò adjiciunt plurimi eandem S. Wenceslao ab avia Ludmilla donatam, & ab illius percuſſoribus, ne coleretur, infoſſam. Eſt autem hæc Divæ Boleslavienſis effigies ex ære corinthio, ſeu ex metallorum mixtione conflata, ita ut ex medio tabulæ æquore Mariæ, ac Jeſu icones exeant, & protuberent. Catholicorum in hanc Thaumaturgam affectum, & pietatem à ſeculi decimi quinti Hæreticis omnia ſacra devaſtantibus fuiſſe extinctam, vix ambigi ab ullo poteſt: refloruiſſe tamen illius cultus videtur eodem ſeculo ad finem vergente, cùm in comperto ſit Joannem Kapaunium anno 1499. vita functum Sacellum vetuſtate fatiſcens ſuis ſumptibus renovaſſe. Ardentiſſimè autem fervere iterum cœpit in Deiparam devotio ab anno 1576., poſt quem à Societatis Jeſu Patribus Pragenſium ſupplicationes per ſeſquiſeculum intermiſſæ Boleslaviam deductæ ſunt, quibus permota miſericordiæ Mater, inexhauribilem gratiarum ſuarum theſaurum viciſſim reſeravit. Duravit reciproca hæc pietatis, ac beneficentiæ concertatio uſque ad annum 1617. quo Bohemos pudere cœpit, Cœlorum Reginam tot miraculis in eorum emolumentum coruſcantem in tenui adhuc ædicula delitescere; initò igitur longè auguſtioris Templi excitandi conſiliò Anna Imperatrix Matthiæ Cæſaris conjux magna pecuniæ vi in id opus collata piam aliorum liberalitatem ſuo exemplo ſtimulavit. Aſſurgentem jam molem interrupit belli ſtrepitus à Friderico Palatino ſuſcitati, ſed eò paulò pòſt pulſò, ex Guilielmi Slavatæ, Jaroslai Martinicii, aliorumque Procerum munificentiâ impoſita eſt tandem anno 1623. eleganti huic Baſilicæ coronis. Porrò oppreſsâ anno 1632. à Svecis Boleslaviâ, miraculoſa D. Virginis imago à Barone quodam Laurentio ab Hoffkirchen inter ſpolia abrepta, in medio Veteris Pragæ foro inter inſultantium Hæreticorum ſannas affixa patibulo eſt, ſub quo Laurentii frater altero mox anno caput amiſit à carnifice reciſum. Interea ſacram iconem Hoffkirchius Lipſiam, dein aliò vagus aſportavit, nec aliter ab ejus manibus extorqueri potuit, quàm perſolutò priùs lytrò, atque obtentâ ei à Ferdinando II. delictorum veniâ, quam pientiſſimus Cæſar tantæ Thaumaturgæ intuitu libenter impertiit. Recuperatam hac ratione Deiparæ effigiem inſtituta ſolemni pompa ſupplicatio, comitante novo Imperatore Ferdinando III., Boleslaviam anno 1638. veluti triumphantem revexit. Non diu tamen Boleslavienſibus licuit pæana canere; ſequenti ſiquidem vere Panirio Svecici exercitûs Ductore ex Miſnia in Bohemiam bellum transferente, prodigioſa imago, ne præda hoſtium iteratò fieret, Pragam primùm, dein Viennam ad Aulicum Odæum delata fuit, non ſine mira Numinis providentia, ut coram illa in Imperatricis Mariæ conclavi decorè exornata anno 1640. ſplendidiſſimum ſidus Auguſtiſſimus nempe Cæſar Leopoldus Ignatius Auſtriæ, Imperio, Orbique illuceſceret, atque inter emiſſa ad Dei Genitricem familiarium ſuſpiria fœlici partu ederetur. Labente dein anno 1646 Boleslavia Parthenium ſuum Palladium iterum recepit ab Erneſto ab Harrach S. R. E. Cardinali, ac Pragenſi Archiepiſcopo cum frequenti ſupplicatione illatum. Verùm recrudeſcente paulò pòſt bello anno 1648. pretioſum hoc pignus in Svecorum manus ſecundò incidit, quorum Ducem Carolum Guſtavum, dein Sveciæ Regem, intrepidè adiens Benigna Lobkovicia Catholici Saxoniæ Ducis Julii Henrici Lavenburgici conjux, ad Divæ iconem Vienam tranſmittendam generoſum illico animum inflexit. Biennio pòſt abſcedentibus è Bohemia hoſtibus Ferdinandus III. motus Bohemorum precibus eam regiâ pompâ, quam filius Ferdinandus IV. augebat, ſtipatam ex Aula ad Boreale Viennæ Suburbium dimiſit, unde equis regiis vecta in Bohemiam iter intendit, & primùm Pragam, dein Boleslaviam eodem anno 1650. pervenit; ubi perpetuis fulgens miraculis, magno populorum ſolatio hactenus conquieſcit. Unicum, quod à peregrinorum pietate ibi deſiderabatur, ſacerdotum nimirum copia, qui ſacro pœnitentiæ tribunali præeſſent, effectum tandem eſt anno 1658., erectâ ibidem Societatis Jeſu Reſidentiâ Vetero-Pragenſi Collegio ſubordinatâ.

BOLESLAVIA NOVA.

BOleslaviam Novam ejuſdem Diſtrictûs Urbem 7. milliaribus Pragâ remotam Giſera, ſeu Iſera gemmiferus fluvius, aureiſque arenis dives præterfluit. Condidit eam anno 973. Boleslai I. filius Boleslaus II. cognomento Pius eo in loco, in quo rebelles Ethnicos decretorio prælio proſtraverat: Urbi Arcem in contiguo colle adjecit, quæ de Principis nomine Nova Boleslavia, illa verò Hrobka diu vocabatur, ſed obliterato poſtmodum Hrobkæ nomine utrumque Boleslavia dici cœpit, ab anno præſertim 1334., quo ex valle in editiorem ſitum Cives aſcenderunt, multis privilegiis, atque immunitatibus à Joanne de Michalovicz Urbis Domino impetratis. Michalovi-

viciis ſucceſſere Cymburgii, Cragirii, & tandem Haſſiſteinenſis ſtirpis Lobkovicii, à quorum poſtremo Bohuslao Joachimo plenam Boleslavia libertatem anno 1595. grandi ære ſibi comparavit, atque anno 1600. à Rudolpho II. Cæſare obtinuit, ut Regiis Urbibus adnumeraretur.

BRIXIA.

BRixia ſeu Pons vulgò Brüx, ſeu Moſt inter Regias Zatecenſis Diſtrictûs Urbes ſecunda, 10. milliaribus Pragâ diſſita, in limoſo ſub montibus ſolo, dextro Bilæ piſcoſi amnis littori inſiſtit. Ampla ea eſt, populoque frequens, cui non mediocrem ſplendorem adfert perinſigne, ac ſingularis latitudinis Templum, nullis tamen columnis ſuffultum, quod cùm anno 1510. ortô incendiô conflagraſſet, implorati in Regni Comitiis Proceres liberale pecuniæ ſubſidium pro eo reparando ſubminiſtrarunt. Deſpexit olim Brixiam invicta ſupra collem Arx, cui Landsvertæ nomen; nunc verò jacet proximè elapſo ſeculo neſcio qua de cauſa funditus everſa. Antiquiſſima hujus Urbis, Arciſque primordia prorſus latent, ſed primam illius mentionem facit ad annum 1040. Hagecius, (a) ubi innuit Gnevinam olim fuiſſe nuncupatam. Præter nobilem Crucigerorum cum rubra ſtella Ædem, & Capucinorum Aſceterium memorabile hìc eſt Sacrarum Virginum Cœnobium ex Ordine Pœnitentium S. Mariæ Magdalenæ anno 1277. à Bertramo Gallo ſub D. Auguſtini legibus inſtituto, unicum ſcilicet, quod ex pluribus eidem regulæ obſtrictis, quondam in Bohemia vigentibus, ſed ab Huſſitica rabie exciſis, hodieque ſuperſit. Fundatum id priùs fuerat anno 1283. à Wenceslao Rege in Zaraſenſi Pago infra Brixienſem Arcem prope Civitatem ſito, ſed anno 1421. Pragenſes Hæretici Brixiam obſeſſuri primum furoris impetum in hoc Monaſterium effudere, ubi ſeptem illius Religioſas, reliquis fugâ dilapſis, orationi in Templo vacantes crudeliter trucidarunt; Urbem tamen nequaquam conſecuti, utpote ab Electore Saxone Friderico magna ſuorum ſtrage repulſi. Sedatis bellorum fluctibus refloruit idem Sanctimonialium Cœtus intra Brixienſes muros tutioris ſitûs ergò translatus, verùm anno 1515., cùm Civitas univerſa ſubjecto clàm igne arſiſſet, ſacra quoque earum Ædes, Vulcano in prædam ceſſit, reſtauratâ tamen brevi jacturâ; ſiquidem Eccleſia eleemoſynarum ope illico ſurrexit, à Martino Nicopolienſi Epiſcopo honori ſeptem B. Virginis gaudiorum præſcriptis cæremoniis devota; quam non multò pòſt comitabatur Cœnobium ex Bohemi cujuſdam Equitis Wiczek munificentiâ conſtructum. Adductis hactenus Brixiæ infortuniis accedunt ea omnia, quæ ab anno 1638., uſque ad ejuſdem ſeculi 48. à Svecorum inſultibus toleravit. Extra Urbem, quà ad ſylvas iter eſt, præterlabitur rivus Bernsbach dictus, à granis auri probatiſſimi, quæ devehere dicitur, maximè celebratus.

(a) Chron. Boh.

BRODA.

BRoda duplex eſt Bohemiæ Civitas: harum unam nempe Bohemicam 4. milliaribus Pragâ diſſitam continet Caurzimenſis Diſtrictus, quam venuſtam olim, & opulentam Erneſtus Pragenſis Archiepiſcopus ſub annum 1360. mœnibus circumdedit, foſſiſque latè apertis ita munivit, ut poſt plura luſtra, anno videlicet 1421. obſidentium Hæreticorum ferociam diu eluſerit, nec nisì fraudi poſt magnam hoſtium ſtragem ſuccubuerit. Eandem Sigiſmundus Imperator anno 1437. Regiarum Urbium ſyllabo inſcribi permiſit. Anno autem 1627., ſubortô per imprudentiam incendiô, tota cum tribus Templi turribus, Curiaque in cineres abiit, priſtino nitore nondum recuperato. Altera Broda, quam Theutonicam, ſeu Germanicam vocant ad Czaslavienſem Diſtrictum ſpectans 11. milliaribus Pragâ abſcedit; hanc anno 793., Hagecio (b) teſte, Germani prædones ad lævum Sazavæ amnis littus in editiori ſitu primitus fundarunt, in amplius dein ſpatium ſenſim extenſam: verùm Ziska poſt fugatum anno 1422. Sigiſmundum Cæſarem, triaque ſuorum millia in primo aſſultu amiſſa in eam demum perrupit, & Collegiali D. Virginis Eccleſiâ cum Sacerdotibus exciſâ, tanta ibi omnis ætatis cæde graſſatus eſt, ut quatuordecim inde annis nullum penitus habuerit inquilinum, poſt quos rurſus habitata anno 1618., & ejuſdem ſeculi 45. novas à Svecis clades perpeſſa eſt. Trczkianæ ſtirpis dominio ab anno 1561. diu Theuto-Broda ſubdebatur, nunc verò Regiis Urbibus accenſetur.

(b) Chron. Boh.

BRUNDUSIUM.

BRunduſium vulgò Brandeys in Caurzimenſi Diſtrictu tribus milliaribus Pragâ abſens, Arx primùm duntaxat fuit, quam Boleslaus I. cognomento Sævus anno 941. in ſiniſtra Albis ripa adversùs Veterem Boleslaviam extruxit, ut ſe à Pragenſibus Chriſtianis Ethnicus Princeps tutaretur. Accreſcentibus deinde circumquaque ædibus Civitatis formam induit, præſertim ſub Rudolpho II. Cæſare, qui eandem libertate donavit; in ſummis

quippe amoribus erat apud hunc Principem Brunduſium, eóque ſe is conferre conſveverat, quoties ſepoſitis Imperii curis ſibi uni vacare meditabatur: quapropter amœniſſimum hortum Pragenſi nihilo inferiorem peregrinis floribus, & plantis, rebuſque aliis Cœlo Bohemico ignotis refertum excoli ibidem voluit, ubi, cùm ad celſiorem quemdam ſuggeſtum erigendum, altiùs effodienda foret tellus, ultrà quàm antè factum hortulani meminerant, detectum repentè eſt viri cadaver, omnia quæque odoramenta fragrantiâ ſuâ exſuperans; nullæ veſtes, ſarcophagus nullus defuncti conditionem indicabant; interim effoſſum continuò ad Rudolphum fertur, ad quem advocati præſtantes Medici, ac Chymici, quales plurimi Cæſaream Aulam eo tempore frequentabant, ſuamque ſententiam edicere juſſi, genuinam eſſe mumiam nihil Ægyptiis conceſſuram unanimi ſenſu pronuntiarunt. Semel à Saxonibus, bis à Svecis occupata ſeculò proximè elapsò Brunduſina Arx, atque ab his egregiè permunita Imperatoris Exercitum diu, multumque aliquando fatigavit.

BRZEVNOVIENSE. COENOBIUM.

BRzevnovienſe Ordinis S. Benedicti Cœnobium D. Margarethæ dicatum, quod magnifica ſua mole Pragenſia condecorat pomœria, longa gloriatur vetuſtate ab anno 993. deducta, quo illud Boleſlaus II. Dux condidit, D. Adalbertus Pragenſis Præſul conſecravit, & S. Wilhelmus Hirſaugienſis, utì Bucelinus docet, deſtinatâ huc ſuorum Coloniâ propriæ inſeruit Congregationi. (a) Ep. Rer. Boh. l. 4. c. 8. Huic maxima contulit privilegia à Balbino (a) enumerata Summus Pontifex Bonifacius IX. undenis Apoſtolicis literis ab anno 1390. datis, in quibus præter cætera, ab omni Archiepiſcopi, aut Legati nati jurisdictione Monaſterium eximit, & Abbati, ut in ſuis Eccleſiis cum tribus Infulis ſolemnia celebret, benignè indulget. Primus illi Abbas præſedit eximiæ vir ſanctitatis Aſticus, ſeu Anaſtaſius, qui Colocenſi poſtea donatus Eccleſia, Romamque profectus Hungariæ Duci D. Stephano Regium nomen, & diadema à Sylveſtro II. Papa anno 1000. impetravit. Communis Pragenſium Cœnobiorum calamitas hoc quoque involvit anno 1421., quo illud fanaticus Huſſitarum impetus proſtravit, binis ejuſdem Religioſis in fidei odium crematis: ſpecioſam tamen id rurſus induit formam, qua ſpectatorum oculi non parum recreantur: at multò venuſtiùs ipſum exornabant tum ſacræ D. Guntheri Ordinis S. Benedicti exuviæ anno 1045., per jumenta jugo inſveta, plurimis miraculis ejus ſanctimoniam demonſtrantibus, advectæ, ſed quæ excidii tempore fortaſſe à Religioſis occultatæ etiamnum latent, tum eximiæ S. Procopii virtutes, quarum ille fragrantia poſt datum Benedictinæ militiæ nomen, hoc aſceterium afflavit, indè ad Abbatiam Sazavienſem, & anno 1053. ad Cœlum translatus. Paret nobiliſſimo huic Monaſterio Bravnovia Reginohradecenſis Diſtrictûs Civitas 20. milliaribus Pragâ diſtans, vel potius illius Coloniæ à Brzevnovienſi Abbate Paulo Bavaro Joannis Regis ævo Bravnoviam ſub D. Wenceslai patrocinio deductæ, & Volframi cujuſdam nobilis patrimonio ditatæ.

BUDECIUM.

BUdecii vulgò Budezſch dicti originem ad annum 678. refert Hagecius, quo eam Civitatem in Croci Ducis gratiam in edita Slanenſis Diſtrictûs rupe à ſubditis excitatam commemorat; verùm anno 858. Neklani Ducis ævo à Wratislao Lucenſi Principe captam, & flammis abſumptam ſubjungit. Eandem tamen è ſuis cineribus revixiſſe neceſſe eſt, cùm apertas ibidem ſcholas, & quandam veluti Academiam ab Ethnicis inſtitutam ex Veterum traditione ſcribat Balbinus, (b) addens liberalibus diſciplinis in ea vacaſſe S. Wenceslaum cum fratre Boleslao, totamque Bohemiæ nobilitatem; tantâ Slavicæ gentis, & linguæ gloriâ, ut antiquiſſimus eorum temporum ſcriptor apud Marquardum Freherum queratur, Methodii Philoſophi (ſic enim virum ſanctum Slavicarum literarum authorem vocat) operâ factum, ut latinæ literæ ſua tempeſtate vileſcerent. (b) Ep. Rer. Boh. l. 2. c. 3.

BUDVICIUM.

BUdvicium vulgò Budweiſs, ſeu Budiegovice Regia Urbs, venuſtis ædibus, ſolidiſque munimentis inſtructa, in amœna jacet Bechinenſis Diſtrictûs planitie, 16. milliaribus Pragâ, & 6. Freyſtadio Auſtriæ Superioris Urbe divulſa. Condidit eam velut Regni ad eam partem propugnaculum Rex Ottocarus II. anno 1265., in uliginoſo quidem loco, circumeunte inſuper Muldava flumine, quod gemmiparas conchas ibidem alit, ut natura cum arte in hujus Urbis tutelam conſpiraret. Antequam fundamenta jacerentur, præſcriptus à Rege fuit ædium ordo, publicorum ædificiorum ſitus, forique amplitudo: hinc nobilis illa Budvicenſis Civitatis in æquali pla-

platearum ductu, ac latitudine ſimetria. Nomen illi mox inditum fuit Budvicium Novum, cùm ex Regio mandato huc transmigraſſent Budvicii Veteris incolæ, quod in gratiam recèns nati pueri Budigovii Roſenſes longè priùs extruxerant. Eximium, quod iſtic extat ſacri Prædicatorum Ordinis Cœnobium B. Virgini ab anno 1410. miraculis fulgenti dicatum, & ab eodem Rege Ottocaro fundatum, Urbe ipſa vetuſtius nonnulli perperam autumant, illudque hujus condendæ anſam quoque præbuiſſe opinantur. Civitati adhæret Suburbium anno 1619. munitum. Primus Budvicium obſidione ſtrinxit, Joanne Regnante, Petrus Roſenſis, ſed habitô colloquiô ſub quibuſdam conditionibus eandem diſſolvit. Anno dein 1468. alter Roſenſis Princeps Joannes Catholicæ Religionis per Bohemiam Protector, & Generalis armorum Commiſſarius contra Heterodoxum Regem Georgium à Summo Pontifice declaratus, abditis in proximo nemore ſat numeroſis cohortibus, cum ſolis triginta equitibus ad hanc Urbem acceſſit, quare Budvicenſes viſo tam exiguo hoſte, protinus egreſſi, eumque nullo ordine inſecuti in paratas incidêre inſidias, ubi à Roſenſibus circumdati notabili clade cæſi ſunt, quâ territi Cives reliqui deſertô Georgiô Sedi Apoſtolicæ rurſus obtemperarunt. Celeriter præterea captum eſt Budvicium anno 1611. à Paſſavienſium Duce Romeo, ſed à Cæſareo Tribuno Comite Bucquoio contra Bohemorum Ductorem Comitem ab Hohenloe poſtea fortiùs propugnatum Uno abhinc lapide ſcaturit fons ob excellens aluminis, vitrioli, ſalis, ac plurimi ſulphuris temperamentum à Medicis dilaudatus. Nec admodùm procul abſunt argentifodinæ jam ante annum 1570. apertæ, in quibus, Jonſtono apud Balbinum teſte, mira duo ejus metalli fruſta effoſſa ſunt, quorum alterum Crucem, alterum Leonem ad vivum repræſentabat. Florente hìc itaque argenti commercio tantus fuit ad eas fodinas accolarum affluxus, ut amplam Civitatem elegantibus ædificiis nitentem conflaverint, cujus jure à Rudolpho II. Cæſare donati Rudolphopolim, ſeu vulgò Rudolffſtadt eandem appellarunt; hæc autem hodie ſuis in ruderibus jacet ob rebellionem exciſa, ſtimulantibus Bucquoium in rivalem Urbem Budvicenſibus, à qua nimirum hæreſeos virus in ſuos Cives afflari ingemiſcebant.

CADANA.

CAdana vulgò Kadan ortum duxit à ligneo quodam munimento, quod anno 821. juxta Hageeii Chronologiam à Cadano Wogeni Bohemiæ Ducis Tribuno contra Germanos Provinciæ confinia infeſtantes miſſo ad Egram fluvium excitatum in juſtam excrevit Civitatem Zatecenſis Diſtrictûs 13. milliaribus Pragâ diſſitam, atque inter Regias computatam. Hanc anno 1420. ab Huſſitis Catholicos omnes in Religionis odium trucidantibus captam, & fœdè vaſtatam glorioſus multorum Martyrum ſanguis irrigavit. Svecico Marte Germaniam ſubvertente, Cadana bis in Saxonum incidit manus, anno verò 1642. à Torſtenſonio, & ſexennio poſt à Königsmarchio Svecorum Belliducibus direpta non paucas ærumnas ſuis annalibus inſcripſit, in quibus lætiorem promeretur memoriam inita hìc Caroli V. Imperatoris ævo inter Auſtriacam, & Wirtenbergicam Domum tranſactio.

CAROLINÆ THERMÆ.

CArolinæ Thermæ, quas vulgò Carlsbad vocant, à Carolo IV. Cæſare nomen ſumpſere, quia anno 1370., dum is venationi per hæc loca vacaret, vertagus in eas fortè lapſus vehementem aquarum fervorem querulo latratu indicavit. Quare iis medico uſui protinus aptatis, tanta accurrit hominum frequentia, ut egregium indè Oppidum intra Cubitenſis Diſtrictûs limites aſſurrexerit à Tepla amne in Egram mox illabente in duas partes diſſectum, quod anno 1579., & ſequentis ſeculi 36. grave ab aquis ſubiit diſcrimen, namque ob repentinum imbrem intumeſcens Tepla thermas ſubitò merſit, non paucis mortalibus in alveum abreptis. Per celebris hujus balnei aquam calce, ſulphure, alumine, rubricâ, ſalpetrâ, & cæteris mineralibus, ſed vitriolo maximè imbutam, atque calidiſſimam eſſe periti docent, ita ut nisì frigidâ temperetur, ab humano corpore nequeat perferri. Illius uſurpandæ methodus, quam expertiſſimus quidam Medicus Balbino tranſmiſit, apud eundem extat his verbis exarata. *Pocula Thermarum Carolinarum ſunt varia, unciarum duarum cum dimidia, aliqua unciarum trium cum dimidia circiter. Si natura & conſtitutio ægrorum ferat, a decem vel pluribus incipiunt, & aſcendunt ad 40., vel 50. Fuerunt jam, qui 60., & 70. tranſcenderunt, prout in aliquibus naturis operantur. Bibuntur aliquot diebus, quinque circiter; poſtmodum balneatur, idq; alternis repetitur ſerve, quaterve.* Quibus autem morbis ea præcipuè medeatur, ex Kirchero (a) diſcemus in Tabula Thermarum Germaniæ ita ſcribente: *Carolinæ juxta Elenbogen in Boëmia Oppidum ſulphureo-aluminoſæ ſunt; glandulas, ſtru-*

(a) Mund. ſubt. l. 5. ſec. 3. c. 1. §. 8.

ſtrumas, ſchiaticam, paralyſin, & ſimiles morbos curant. Præter aquas plura alia admiratione digna hìc Natura congeſſit, cujuſmodi eſt ſtillatitius lapis, qui ſcilicet ex ſtillantibus aquæ guttis induratur, Walſtein, ſeu Tropfſtein à Germanis vocitatus, & tantâ quidem copiâ, ut nisì ſæpius fuerit decuſſus, intra pauciſſimos dies balnei canales intercludantur, & lignum noctu impoſitum, manè lapideo obductum cortice extrahatur.

CAROLOSTEINA.

CAroloſteina vulgò Carlſtein celeberrima, & ſive loci naturam, ſive mœniorum ſoliditatem ſpectemus, fortiſſima Podbrdenſis Diſtrictûs Arx 628. Geometricos paſſus in ambitu complectens, & ternis milliaribus Pragâ diſtans, præcelſæ inſidet rupi, quam Miza fluvius ad Auſtrum præterlabitur, & quinque altiſſima montium juga undique coronant. Anno 1348. præjacta ſunt ſplendidiſſimo apparatu illius fundamenta à magnanimo illo Cæſare Carolo IV., ſuper quæ Regia hæc moles magnis aſcendit paſſibus intra novem annos faſtigium aſſecuta. Terna in ea claduntur ſpecioſa Sacella Templorum amplitudinem æmulantia, ex quibus in ſecunda, ut ita dicam, Arcis regione occurrit primò Aſſumptæ Dei Matris Sacrarium, ad quod per 80. lapideos gradus ſcandendum eſt: in dextro hujus angulo anguſta quædam via tribus portis munita ſeſe offert, quæ ad D. Catharinæ Sacellum introeuntes deducit, ubi oculos illico feriunt parietes Bohemicis jaſpidibus, aliiſque gemmis, quos auri litura connectit, ab imo ad ſummum rutilantes. Hinc ad tertiam, eamque altiſſimam Arcis partem progredientibus obviat præclara turris à reliquis ædificiis disjuncta, geminoque muro ad defenſionem permunita: 140. cubitos in ſua numerat peripheria, & quinque fornicibus muro ultra 7. cubitos lato innixis conſtat, altero ſuper alterum ad 65. cubitorum altitudinem aſcendente: ſub horum tertio auguſtum patet S. Crucis, ſeu Regiæ coronæ Odæum quinque occluſum portis, & pretioſis undique lapidibus præ aliis renidens, ibique ſupra maximam ex ternis aram quadratum in muro aperitur receptaculum, viridi colore, ſtelliſque aureis intus, foris verò inauratis leonibus, & aquilis illuſtre, in quo ſacra Regni corona, ſceptrum, globus, ac cætera Regum ornamenta olim recondebantur. Neque exteriore parietum ornatu contentus Cæſar, ad divinas laudes, quæ ante ſacras reliquias magno ibi numero collectas canerentur, animum adjecit, qua de cauſa Collegium decem Canonicorum cum Decano anno 1357. liberaliſſimè fundavit. Poſt hæc omittendus non eſt fons in infima Arcis parte ſaxo exciſus, qui per 85. cubitos uſque ad aquæ ſuperficiem, hinc autem per 37. uſque ad fundum deſcendit. Nobiliſſima hæc Arx anno 1422. à 17. Pragenſium Hæreticorum, & 7. Lituanorum millibus circumſeſſa, acerrimam, & in ſextum uſque menſem protractam pertulit obſidionem, in qua lapidei, igneique globi è catapultis in eam jaciebantur, ut & mœnia quaterentur, & tecta conflagrarent; imò, quod graviſſimum accidit, projecta ex iiſdem machinis in Arcem cadavera tantam, Dubravio (a) teſte, obſeſſis nauſeam concitarunt, ut præ graveolentia pene exanimarentur, & aliis dentes nutarent, aliis planè deciderent. Tot licèt preſſi ærumnis Caroloſteinenſes, invictâ nihilominus conſtantiâ ſemper reſtitere, donec vulgatus Taboritarum ad invadendam Pragam acceſſus obſidentes indè ad patriæ tutelam revocavit. Aliam quoque Arcem, cui Karlik nomen, non procul hinc erexerat Carolus IV., ad quam Reginæ diverterent; ſancitum quippe fuerat in ſacrarum reliquiarum reverentiam ab eodem Cæſare, atque Archiepiſcopo Erneſto, ne ulla omnino fœmina, cujuſcunque dignitatis, ne Regiâ quidem exemptâ, Caroloſteinæ pernoctaret.

(a) Hiſt. Bo. l. 26.

CAURZIMIUM.

CAurzimium vulgò Kaurzim Regia Civitas, & cognominis Diſtrictûs primaria 5. milliaribus Pragâ abſcedit. Omnium Bohemicarum antiquiſſima ea cenſetur, utpote à Czecho Bohemicæ gentis authore paulò poſt ſuum in has oras adventum ædificata; & quidem, ùt nonnulli autumant, eodem in loco, quo Marcomannorum Caſurgis, cujus alibi meminimus, quondam floruerat. Nomen illi à fumo in auras aſcendente inditum, vernacula enim vox Kaurziti fumare latinis ſonat. Hinc cùm anno 853. ſecundùm Hagecii (b) calculum, ortò repentè incendiò, in fumum, & cineres Caurzimium abiiſſet, Doſilius loci Dynaſta non ampliùs fumantem Urbem ſe velle aſſerens, eam per ſubditos reſtauratam à filii ſui nomine Zliczkam deinceps dici juſſit, priſtino tamen vocabulo apud poſteros prævalente. In ædificia illæſis incolis ſævierat ignis; at poſt novennium intactis illis in hos econtra graſſaturus Montanus Neclani Bohemiæ Ducis Tribunus Caurzimium obſidione cinxit, ut aſylum rebelli Craſnitio ibidem præſtitum

(b) Chron. Boh.

ul-

ulciſceretur ; tunc Cives reum noctu per murum demittunt, ut ſequenti luce cum obſidentibus deditionem paciſcantur ; at Montanus eam reſpuens in octavum diem oppugnationem protraxit, quo tandem ſuperati Caurzimenſes victoris victimæ nullo exemptò ceciderunt. Veteres tamen illos Ethnicos tardiori ævo Huſſitæ ſua crudelitate ſuperarunt, quinque hujus Urbis Sacerdotibus ex D. Martini Præpoſitura piceis vaſis incluſis, ac inter feſtivos cantus, quaſi ſacrificium peragerent, anno 1421. concrematis. Glorioſior Bohemis accidit conflictus, in quo illi ſub annum 958. Hunnos ex Svevia reduces apud hanc Urbem ad internecionem delevere. Non adeo procul hinc abeſt ad Sazavam fluvium celebre Ordinis S. Benedicti Cœnobium Brzetislai II. Bohemiæ Ducis opus D. Procopio hodie dicatum, qui Abbatis munere in eo functus, & in B. Virginis Odæo tumulatus ibidem quievit, donec ſacrum ejus corpus anno 1588. à Martino Pragenſi Archiepiſcopo, præſente Rudolpho II. Imperatore, Pragam ad Collegialem Omnium SS. Eccleſiam fuerit translatum. Inter aliquot hujus Sancti prodigia, quæ Balbinus (a) in medium affert, illud mirum eſt, quod Dæmones ad ſaxa aranda coëgerit, hujuſque laboris veſtigia hodieque in petris prope ejus antrum ſuperſint ; utì & alterum, quòd picas orationi ſuæ obſtrepentes abire juſſerit, neque unquam ampliùs in ea vicinia hactenus comparuerint. Anno 1424. Cœnobium hoc Huſſiticis quidem flammis correptum interiit, ſed poſtea revixit eximiè reſtauratum.

(a) Miſcel. Boh. Dec. 1. l. 4.

CHRUDIMA.

CHrudima Urbs Regia cognominis Diſtrictûs Caput 13. milliaribus Pragâ diſtans à quodam veteri Principe, cui Chrud nomen, fertur excitata ; ambiguum nihilominus eſt, ad quem annum, aut ætatem ejuſdem primordia referenda ſint : illud interim certum, Civitatis nempe jura jam ab anno 1055. Chrudimæ adjudicari, à quo quartum ferè luſtrum effluxerat, cùm exortus fortuitò ignis Urbem univerſam miſerè deformavit ; mitiùs tamen, quàm effrænis Ziskæ furor in eam exarſit ; hic enim anno 1421. poſt occupatam Chotieborzam Czaslavienſis Diſtrictûs Urbeculam 13. milliaribus Pragâ diſſitam, ac ſupra mille viros ibidem interfectos, Pragenſium exercitum Chrudimæ admovit, ubi tota illico tempeſtas in PP. Prædicatorum Monaſterium, Eccleſiamque Beatiſſimæ Virgini ſacram deſæviit : nam alii ſacra diripiunt, alii profana, alii faces ædibus ſubjiciunt, quidam verò Religioſos ad forum raptant, & extructæ ibi pyræ imponunt, eamque ſuccendunt, additis tribus Sacerdotibus, quos Chotieborzâ advexerant, ac pretioſiore ſupellectile ſecum aſportata. In Civium bona, vitamve nil ultrà tentatum, quia hi Stradovienſi D. Jacobi Cœnobio prope Urbem ad Minores S. Franciſci pertinente paulò antè in cineres redacto, Huſſitarum genio præluſerant, eoſque tam præclaro ſcilicet facinore ſibi plurimùm devinxerant.

CLATOVIA.

CLatovia, ſeu Glatovia vulgò Klatowy Regia eſt Civitas Pilſnenſis Diſtrictûs Pragâ 13. milliaribus remota. Suam hæc originem à Zimislao inſigni quodam Dynaſta anno 771. acceptam agnoſcit, nomine à Clautova ejuſdem conjuge derivato, attamen non nisì anno 1000. Udalricus I. Bohemiæ Dux vallò, muróque circumductò illam in Urbium ordinem cooptavit. Data olim fuit à Wladislao Duce anno 1143. paternæ hæreditatis titulò fratri Theobaldo cum omni terræ tractu, qui indè à fonte Muldavę uſque ad Miſę fluvii crepidines protenditur, fuitque in ejus, ac Theobaldi filii ditione per annos ſeptem, & quadraginta ; Theobaldus enim junior accepto tandem Znoimenſi Ducatu ab agnato Principe Cunrado, Urbis, ac tractûs hujus dominio valedixit. Interea ſenior Theobaldus, cui Wladislaus in terram Sanctam peregrinatus Provinciam commendaverat, prœclarâ victoriâ contra Sobieslaum res novas molientem gloriosè partâ, eóque inſuper captò, Cœnobium, ac Templum S. Laurentio, ùt in prœlio voverat, Clatoviæ dedicavit ; in quod anno 1158. ad culmen evectum ſub primo Abbate Radimilo Religioſam D. Benedicti familiam introduxit, legeque ſancitum eſt, ne quis nisì Equeſtri, aut altiori loco natus in illud admitteretur. Hodie Cœnobium in ſuis ruinis ab Huſſitico igne (qui & bina exuſſit Dominicani Ordinis, virorum nempe, & Virginum Cœnobia) relictis ſepultum jacet, in quibus S. Amabiliæ Theobaldi ſororis corpus etiamnum latere nonnulli arbitrantur. Aſſurrexit interim in hac Urbe Societatis Jeſu Collegium cum egregio Templo B. Dei Genitrici conſecrato.

COLINUM.

COlinum vulgò Kolin, quod Bohemiæ Coloniam vocitant, permunita, Regia-

que Urbs antiquam in Caurzimenſi Diſtrictu oſtentans Arcem 7. milliaribus Pragâ recedit. Ædificarunt illam veteres in ſiniſtra Albis ripa, nomenque ei à ſudibus, quę Koli vocantur, indidiſſe videntur. Paruit quondam Dionyſio Borzek de Miletnika, aliquando Pragenſibus, tum Orphanis, tandem Regibus, qui eam diverſis Proceribus ſępius oppignorarunt, aut elocarunt. Hęc anno 1307. Alberti I. Cęſaris, & quadriennio pòſt Joannis Lucemburgici exercitûs, à quibus fuerat obſeſſa, fortiter eluſit; ſed anno 1427. obſidione ab Huſſitis in quartum menſem protractâ poſt multum hoſtium ſanguinem in ſe tuenda effuſum cogente fame obtulit deditionem; cúmque Georgius Podiebradius Bohemię Gubernator copias ſuas ad eam recuperandam promoviſſet, à Bedrzicho Orphanorum Duce, qui tunc Colinum tenebat, non levi clade acceptas revocavit. A Saxone anno 1631. occupata quidem fuit Colinenſis Civitas, at ſequenti ſtatim ęſtate ab Alberto Waldſteinio Imperatori redd ta. Demum anno 1640. Cęſareus Tribunus Götz medio Februario è Svecorum manibus vi eandem eripuit, prę ſidiario milite penitus trucidato.

COMMOTOVIUM.

COmotovium vulgò Chomotow ampla & nitida Zatecenſis Diſtrictûs Civitas ob ſingularem cerviſiæ prętantiam latè celebris 11. milliaribus à Regni Metropoli abſcedit. Ad Theutonicos Equites hęc olim pertinebat, quorum ſupremus Magiſter Henricus Plavenius ob exhauſtum in bellis ærarium pecuniæ indigus, acceptis à Wenceslao Rege 115. florenorum millibus, totam Commotovienſem ditionem hypothecæ nomine illi tranſcripſit; ſed Wenceslai frater Sigiſmundus Cæſar Jacobum Wrzeſovecium, utì Blavius (a) aſſerit, vel, ut Balbino placet, Dominos Czeltas de Kamena Hora, ob fidelia eorum obſequia ſibi militiæ exhibita prædicta Urbe cum ſubjectis prædiis, donec redimeretur, poſſidendâ fuit remuneratus: ab iis verò conjugii titulô ad Weitmilios, à Weitmiliis ad Haſſenſteinios, ab his ad Lobkovicios pervenit, ex quorum poteſtate Rudolphus II. Imperator anno 1595. exemit, Regioque fiſco Commotovium addixit. Maximum huic damnum attulit cum ſuis Taboritis Ziska, qui anno 1421. ad illius obſidionem accedens, & fœminarum conviciis irritatus, militum ſuorum ferociâ occupata Civitate, nec illis, nec earum infantibus pepercit, ita ut 22. in ea laniena cæſorum millia à Lupacio numerentur. Adnotanda hìc denique ſunt ex profanis Arx, venuſtaque Curia, ex ſacris autem Paræcia, & Societatis Jeſu Collegium cum eleganti Templo D. Patriarchæ Ignatio dedicato.

(a) Europ. li. 8.

CORONA AUREA.

AUguſtum Coronæ Aureæ, vel Spineæ Monaſterium Crumlovienſi Urbi propinquum Przemislaus Ottocarus Bohemiæ Rex Ciſtercienſium Ordini anno 1263. ex ſpoliis Hungaricis ditiſſimè fundavit, quæ in memorata alibi victoria ad Laham Urbem cœlitus parta affatim collegerat, amplamque dotem vix luſtrô elapsô non parum auxit Hirzo de Klingenberg quatuordecim prædiis Cœnobio donatis, quibus anno 1315. Dynaſta quidam Bavarus III. de Bavarow quinque alia munificè adjecit. Verùm tot opes ex pia liberalitate per plures annos congeſtas unico impetu peſſumdedit armata Taboritarum impietas, qui anno 1420. in hoc Cœnobium irruentes, pleriſque Religioſis vix fugâ dilapſis, ex reliquis binos rogo injectos, alios laqueo ex proximis tiliis ſuſpenſos peremerunt: cujus ſævitię mira adhuc extat in iis arboribus memoria toti Bohemiæ notiſſima, plurimis ſcilicet foliis ad inſtar Religioſorum capitii præter naturæ ordinem hodieque virentibus: mentionem quidem hujus prodigii faciunt Ciſtercienſe Menologium, Ahrahamus Bzovius, (b) aliique, ſed Aula Regia locò Aureæ Coronæ apud illos perperam irrepſit, prout Balbinus (c) oculatus foliorum ita creſcentium teſtis adnotavit. Revocata dein ab Auſtriacis Principibus in Regnum pietate, rediit quoque huic Coronæ ſplendor indies promovendus.

(b) Annal. Eccl. ad an. 1420.

(c) Miſcel. Boh. dec. 1. li. 4.

CRUMLOVIUM.

CRumlovium, ſeu Cromena vulgò Krumlow ſeu Cromau præclara Urbs cum nobiliſſima, amplaque Arce à Wilhelmo Roſenſi ſub annum 1550. extructa, 8. milliaribus Pragâ in Meridiem recedens ad Bechinenſem Diſtrictum ſpectat, ſi Balbino, (d) ad Prachenſem, ſi Blavio adſtipulamur. Certè ſi præterfluens Muldava, quod veroſimile videtur, utriuſque Diſtrictus limites definit, ſecundo annuere cogimur, cùm ſiniſtro ideoque Prachenſi fluminis littori hæc Civitas inſideat; verùm major peritia, quæ in Balbino utpote Bohemo, atque eruditiſſimo ſupponendaeſt, ad illius partes me non modicùm inclinat. Jacet ea in peramœno, fertilique ſolo, hinc paſcua, & fructus terrâ, indè aquâ conchas unio-

(d) Miſcel. Boh. dec. 1. li. 3. c. 7.

unionibus gravidas offerente, ubi indubitatum Blavio est, Crumlovium à Vitionis cujusdam viri potentis, & multorum filiorum patris posteritate ante annos plùs minùs sexcentos fuisse exstructum, & voce à saltûs curvatura desumpta ita nuncupatum. Rosensium ditio hæc quondam fuerat, quam post Petri Ursini obitum ad Regis Cameram sub Rudolpho II. Cæsare devolutam Ferdinandus II. illius post Matthiam successor Joanni Udalrico ab Eggenberg, adjectô Ducis titulô, impertivit. Antiquam priorum Principum pietatem plura hujus Urbis monumenta etiamnum posteris annunciant; hujusmodi est primaria S. Viti Basilica ad Pragensis Metropolitanæ normam elaborata, atque egregium Minorum Conventualium S. Francisci Cœnobium, quod quatuor Rosenbergici fratres Udalricus, Petrus, Jodocus, & Joannes anno 1357. excitarunt, adnexo alterô pro sacris ejusdem instituti Virginibus ad eandem prorsus Ecclesiam; unde hodieque Balbino teste Patribus divinas laudes canentibus alterno versu Sanctimoniales respondent. Ad Parthenonis tamen fundationem saltem concurrisse, aut eam locupletasse constat, tum Annam Rosensem Henrici Lippæi conjugem, & quatuor prædictorum fratrum sororem, tum Agnetem de Waldsee Jodoci consortem. Extat hìc insuper Societatis Jesu Collegium, cui adscripta est Rzimoviensis ejusdem Residentia cum insigni Lauretana Domo, ad quam peregrinos ducunt substructiones quædam magnifico opere totam Christi patientis historiam in justæ magnitudinis statuis ad vivum referentes. In hujus Urbis territorio, ne quid ad terrenam fœlicitatem desideretur, opulentæ patent fodinæ, ex quibus Crumlovienſium Ducum auspiciis, non contemnendo, ùt ferunt, successu argentum eruitur, officina monetaria in cudendis pecuniis simul desudante. Jam olim eæ innotuerant, & magnam pretiosi illius metalli vim interdum pepererunt: sanè anno 1521. fodinæ, quam Adalberti vocant, tanta inerat copia, ut integras sæpe argenti massas effodi contingeret, eratque argento permixtum aurum adeò liberaliter, ut ex 432. illius marchis, 140. auri marchæ eo anno in separatione profluxerint.

CRUPNA.

CRupna, seu Grupna vulgò Krupka Urbecula est in Litomericensi Districtu sub montibus Misniam respicientibus sita, & Pragâ 10. milliaribus absens, quam summopere commendant vicini montes stanno refertissimi, tantæ quidem bonitatis, ut Anglicanum æmuletur, & à peritis modicè correctum pro tali divendatur. Hasce fodinas nonnulli inter eas comprehendi credunt, quas aliquando reserandas Libussa Bohemiæ Pythonissa fertur vaticinata. Inventæ eæ sunt Cœlitibus beneficiô provocatis; cùm enim Wladislai Ducis conjux Juditha Ludovici Hassiæ Landgravii filia Sanctimonialibus D. Benedicti regulæ obstrictis Parthenonem excitasset, agricola quidam nomine Wladek post annum 1152. nescio quid in sylvis moliens fœtas stanno glebas offendit, easque Principibus indicavit: hinc ortum est loco nomen, namque Krupice vel Krupy materiam illam grumis tumentem Bohemis denotat, unde metallum eliquatur. Hodie cœlesti Deiparæ patrocinio in dicata ei Ecclesia ibi peculiariter cultæ, Crupnenses fodinæ commissæ sunt, cui accedit in Civitate erecta Societatis Jesu Residentia, & Commoto vienſi Collegio subordinata.

CUBITUS.

CUbitus vulgò Germanis Elbogen, Bohemis Loket Urbs cognominis Districtûs præcipua, cum munitissima Arce arduæ rupi imposita, 16. milliaribus Pragâ in Occasum abest, nomen suum à sinuoso flexu sortita, quo Egra fluvius inter fragosa delabens præcipitia, & ab obverso curvatus scopulo eam à Meridie, & Oriente ambit. Ita verò à præamplis undique montibus cingitur, ut illac iter facientes, ob rupes ad Civitatis portam in ejus angulo sitam protensas, eandem subire cogerentur, cùm prætervehi non possent, sed per longum vicum ad forum usque progressi, acto ibi in gyrum curru iisdem, quibus paulò antè ingressi vico, ac porta (quæ una tantùm Urbem aperit) exibant, & ad alterum oppositi saxi latus deflectentes iter suum prosequebantur; à paucis verò lustris perfracto rupium obstaculo novam Cives stravere viam, qua viatorum currus insalutatam Urbem prætergrediuntur. Schlickiorum Comitum imperio parebat olim Cubitensis ditio, à quo cùm se Civitas subtraxisset, imploratus à Schlickiis Albertus Saxoniæ Dux anno 1471. eam præmissa obsidione captam ad pristinam obedientiam revocavit. Post Bohemiæ verò à Cæsare defectionem, ob pyrii pulveris defectum deditione facta, anno 1621. Cęsarei eandem recuperarunt: neque postea à Svecis tot per Bohemiam Urbium expugnatoribus occupari ullô modô potuit etiam post magnam suorum jacturam Cubiten-

bitenſis Civitas; unde illud Balbini in Epigrammatis.

Iverunt Cubitum, Cubitum expugnare volentes,
Occubitus Svecis, Ulnaque mortis erat.

CUNACI MONS.

CUnaci Mons vernaculè Kunieticzka Hora Caſtrum eſt Chrudimenſis Diſtrictûs à Dynaſta quodam, cui nomen Kunak anno 839. in aſſurgente inibi monte ruditer inchoatum, atque à poſteris ſolidioribus vallis ſenſim permunitum, in quo loci Dominus Dionyſius Borczek famoſo hæretico Joanni Rokyczanenſi anno 1437. Pragâ profugo aſylum præbuit, eumque peramanter excepit. Mirus hìc celebratur naturæ luſus; in cellariis ſiquidem duriſſimâ montis petrâ exciſis ſtillans aqua, quamprimum in ſubjectum decidit ſolum, viſcoſo veluti glutine ſubacta in molles coagulatur lapides, qui ſi indè extracti aperto cœlo exponantur, in genuinum ſaxum penitus indureſcunt, magnaque pollent virtute in omnes eos morbos, qui juxta Medicorum phraſim ex Tartaro generantur. In deſcripti montis conſpectu ſtabat olim ad Albim fluvium Opatovicenſe S. Benedicti Cœnobium totius Bohemiæ ditiſſimum circa annum 1091. à Wratislao Rege ampliſſimè fundatum, ad quod nemo, niſì illuſtri conſpicuus proſapia aſſumebatur. Quapropter de illius ævi more tot opulenta tyronum patrimonia ferè quot annis in illud confluebant, ut mirum non ſit adeò ingentem divitiarum vim ibidem coaluiſſe, quæ tandem deplorandum ipſius Cœnobii interitum peperere. Res ità ſe habuit: Anno 1359. Carolus IV. Imperator certior factus magnum apud Opatovicenſes Religioſos theſaurum recondi, paucis comitantibus Monaſterium adit, atque remotis à ſe aulicis illum ſibi manifeſtari comiter ab Abbate expoſcit; hic advocatis binis aliis ſenioribus, quibus ſolis præter Abbatem latentis gazæ notitia fuerat concredita, Cæſaris, id admittentis, oculos primò obvelat, ne ingreſſûs veſtigia adnotaret, dein accenſis facibus per multos gradus eum ad profundam ſpecum deducit, ubi detracto velamine innumeras argenti fuſi nondum ſignati glebas, & fragmenta Carolo demonſtrat; inde omnes quatuor aliam ſubeunt cavernam limô effoſſam, in qua plurima, & maxima auri fruſta abſque regula temerè jacebant; hinc ad tertiam rurſus penetrant ſpeluncam, quæ argenteas, aureaſque cruces, pacificalia gemmis diſtincta, aliaque pretioſa hujuſmodi cimelia magno numero complectebatur. Tum Abbas ad Cæſarem: *Theſauri iſti tui ſunt* (ita latinè reddidit ex Hagecii Chronico Bohemicè ſcripto Balbinus) *tuiſq; poſteris ſervantur, igitur quantum voles, ex his accipe.* At Cæſar: *Avertat*, inquit, *Deus, ut quidquam ex bonis Eccleſiarum uſurpem.* Reponit Abbas: *Atqui minimè decet, ut hinc excedas, & nihil memoriæ causà auferas tecum.* Quô dictô ſpecioſum annulum, quem lucidiſſimus ditabat adamas, in Caroli manum inſerit, eique obductis iterum oculis priorem relegunt viam, quâ completâ Cæſar ad ſuos reverſus è Monaſterio diſceſſit, neque ulli mortalium à ſe inibi ſpectata aperuit, niſì paulò ante obitum fidiſſimis quibusdam Conſiliariis, quibus omnia hactenus recenſita, oſtenſô etiam annulô, comunicavit; hæc tamen cauta licèt Caroli IV. enarratio poſt 56. annos evulgata virum quendam aliàs nobilem, & Catholicum Joannem Mieſtecium ad indignum prorſus, ſceleſtumque facinus permovit: hic enim anno 1415. cum binis ſociis Opatovicium profectus, dum ab Abbate Petro Lazuro benigniſſimè excipitur, adſunt tres alii Mieſtecii ſatellites, mox decem, ultimò viginti, qui in Cœnobium irruentes obvios Religioſos nullo diſcrimine ſauciant, enecantque; prædonum interim coryphæus, junioribus fugam capeſſere permiſſis, Abbatem eximia ſanctitate clarum cum nonnullis ſenioribus primùm minis aggreditur, dein acerbiſſimis afficit tormentis, ut ad indicandum theſauri latibulum eoſdem impellat; verùm cùm omnia incaſſum cederent, ad reliqua diripienda converſus, ablatis octo, quæ in Cœnobio offenderat, aureorum millibus, totaque Eccleſiæ ſupellectile, quæ ad 20. aureorum millia aſcendere putabatur, domum repetiit, ubi Catholicis, & Hæreticis inviſus miſerè periit, iſque primus fuit, qui ſacras Ædes deprædandi initium fecit, Taboritis, atque Orebitis ejus exemplum inſano furore poſtea proſequentibus. Interea Abbate poſt 9. hebdomadas tot cruciatibus confecto, quamvis Benedictini Patres ad Cœnobium remigrarint, nunquam tamen ampliùs, invaleſcentibus tunc Huſſitarum turbis, firmam, tutamque inibi ſedem figere iis licuit; deſertum itaque Monaſterium partim ævi longinqua vetuſtas, partim exundans Albis funditus evertit; hìc quippe dicitur mutatô alveô per Opatovicenſia rudera hac ætate decurrere, imò plusquam centum abhinc annis, utì fert relicta à Majoribus traditio, flumen, alicujus fortaſſis cellarii fornice ſubtus corruente, in hiantem prolapſum eſt voraginem, donec eâ ſemihoræ ſpatio impletâ exſiccatum jam alveum rurſus irrigavit.

CUT-

CUTNA.

CUtna, ſeu Cuttenberga Bohemis Hora Kutna Regia Czaslavienſis Diſtrictûs Urbs 8. milliaribus Pragâ diſtans, tum ob fidem Orthodoxam, cui conſtanter adhærebat, tum ob celeberrimas argenti fodinas, ex quibus diteſcit, Antichriſti crumena à famoſo Ziska nuncupabatur. Circa primam illarum inventionem binæ diſſident ſententiæ, quarum una ad annum 1227. cuidam Sedlecenſis Cœnobii Sacerdoti eam adjudicat, quaſi hic, cùm animi relaxandi gratiâ illac obambularet, in quandam argenti virgam ab humo ſurgentem incidiſſet, eamq; impoſitô capitiô ſignatam accito Abbati indicaſſet, unde enato à capitio nomine Bohemi Kapihora, Germani Kuttenberg locum appellaverint, quamvis alii à vernacula voce Kutiti (quæ exſcalpendo aliquid eruere ſignificat) Kutnæ vocabulum veroſimiliùs derivent. Altera autem ſententia ad ſeculi decimi tertii finem memoratam fodinarum inventionem circiter differt, cui maxima ſcriptorum pars, Balbino teſte, (a) ſuffragantur, qui etiam ipſum harum opinionum diſſidium facilè conciliat, aliquas citiùs, aliquas tardiùs repertas eſſe non incongruè arbitratus; ſiquidem multiplices eæ patent per tricipitem montem diſtributæ, quas ſub eo latere fertur Libuſſa vates quondam prænunciaſſe. Præcipuus fodinarum theſaurus argentum eſt, cujus mille marchæ, cùm illæ florerent, in Regium ærarium, ſicut Hagecius aſſerit, quot hebdomadis deferebantur. Omnium ditiſſima habebatur foſſa aſinus dicta, ab argenteo forſan aſello, quem à natura ibi efformatum foſſores deprehenderant; certè pecuniâ hìc ſolùm erutâ redemptum anno 1505. Colinum ad Regem rediit. Verùm anno ejuſdem ſeculi 41. erumpentes undique aquæ tanti emolumenti opus interturbarunt, ut triennio pòſt irreparabili damno fodinæ omnes deſertæ fuerint, cùm metalli venæ prorſus evanuiſſe viderentur. Reſumptus poſtmodum fodinarum labor novam paſſus eſt à contrario elemento ruinam, ſiquidem eæ, quæ ab alaudis cognominantur, anno 1592. accenso ex incuria igne diebus quamplurimis horridô ſpectaculô conflagrarunt. Supra prædictam aſini fodinam ſumptuoſiſſima hodieque aſcendit Baſilica D. Barbaræ ſacra, cujus primum lapidem anno 1483. à foſſorum Magiſtro poſitum commemorat apud Balbinum Cutnenſis codex, etſi quidam alii ejuſdem exordia ab anno 1390. ducenda eſſe opinentur. Sexaginta, & ampliùs columnis ea innititur, tantaque in anguſta ejus altitudine, fornicum artificiô, dimenſionum proportione, cæteriſque ornamentis architectonica elucet ſimetria, ut nihil illa S. Stephano Viennenſi, nihil Pragenſi Metropolitanæ concedere à peritis arbitris judicetur. Præter argentum, rubrum quoque lapidem Lazuli, atque cryſtallum ſexangularis ſemper figuræ, tantâ quidem elegantiâ, ac ſæpe etiam duritie præditum, ut Orientali non invideat, in Kuttenbergæ jugis creſcere compertum omnino eſt. Tot hæc beneficia huic Urbi à Natura tam largè collata privilegiis ſuis auxerunt non minùs in eam munifici Bohemiæ Reges; namque à publicis oneribus immunis Cutna anno 1338. in unam quaſi Civitatem cum Veteri Praga coaluit, ita ut Pragenſes, Cutnenſesque Cives utriuſque Urbis juribus viciſſim fruerentur. Emendis item, ac vendendis hæreditariis, ſeu allodialibus in Regno fundis, poſſeſſionibus, ſtabilibus, ùt vocant, bonis parem cum nobilitate obtinuit anno 1501. à Wladislao, & anno 1541. à Ferdinando I. Regibus libertatem. Uſque ad annum 1307. nullis ſepta vallis cuivis hoſti patebat Cutnenſis Civitas, quare incolæ, qui ex diverſis regionibus ob adeò pretioſum commercium frequentiùs advolaverant, concordi conſilio cœpere eam muris, ac foſſis probè communire; at quia præcipua Urbium cuſtodia à Cœlitibus petenda eſt, non modò profana, ſed deinceps etiam ſacra excitarunt propugnacula, cujuſmodi ſunt primarium S. Jacobi Templum, aliudque ad Societatis Jeſu Collegium anno 1627. inchoatum pertinens, cui & Jenikovienſis Reſidentia ſubordinatur. Anno 1421. captâ à Pragenſibus, & Taboritis Cutnâ, cùm Catholici Cives magnis precibus impetraſſent, ut illæſi excedere poſſent, idque quamplurimi exequerentur, in paratas ab iis inſidias inciderunt, ubi rebus omnibus exutis, & aliqui manibus, alii naſo, aut auribus mutilati in Urbem retruſi ſunt. Eodem autem anno jam ad finem properante Sigiſmundus Imperator cum ſuo, & Cruceſignatorum exercitu Cutnâ potitus Ziskam, qui etſi à Pragenſibus derelictus in propinquo monte Taurgang caſtra fixerat, ita obſedit, ut evaſurus non crederetur; verùm ille copias ſuas armatis utrinque curribus ſtipatas concubia nocte per ipſa Cæſaris agmina ſalvis etiam impedimentis traduxit; atque majori inſtructus acie poſt paucos dies rurſus Cæſareis obviam procedebat; quô perceptô Sigiſmundus elegantem hanc Civitatem, cùm tueri haud poſſet, flammis in pabulum objecit, ne hoſtibus prodeſſet. Cutnenſem quoque agrum Pragenſium, quos jam inter inimicos numerabat, ſanguine aſperſit

(a) Miſcel. Boh. dec. 1. l. 2. c. 15.

totius Bohemiæ Carnifex Ziska, anno ſcilicet 1424., quo illos fictâ fugâ ad temerè inſequendum allectos, obverſa improvisò fronte graviter cecidit, tribus eorum millibus in ea pugna deſideratis.

CZASLAVIA.

CZaslavia Regia Urbs multis immunitatibus ornata cognominis Diſtrictûs caput 9. milliaribus Pragâ in Ortum removetur. Condidere illam, ſi Balbino (a) credimus, amœno in loco anno 796. duo Woraczicziczkii fratres, quorum uni Czas, alteri Slaw nomen erat: econtra Hagecius (b) unicum ejuſdem authorem adfert Czaslaum, cui Bohemiæ Dux Mnata id opus commiſerat, ut ab eo Provinciæ latere Moravos arceret. Rurſus ſub Boleslao Sævo Czaslaviam novis foſſis, acutiſque ſudibus circumquaquè defixis adversùs Hungaros defenſam narrat apud Merianum (c) Boregkius; quoties enim ex ea plaga hoſtilis turbo impendebat, quem vicinum Cutnæ argentum ſæpius provocavit, hæc Urbs ſemper ante reliquas primum furoris impetum excepit. Sæviente Huſſitico bello anno 1421. Pragenſibus Hæreticis ea in omnibus adhæſit, unde biennio poſt Ziska jam illorum hoſtis non tam Civitatem, quàm Civium animos occupavit; namque ejus ex epidemica lue defuncti cadaver, cùm primò Reginohradecium fuiſſet advectum, Czaslavienſes, ut ſibi traderetur, efficacibus votis flagitarunt. Apud illos itaque quieſcit, qui perpetua excitans bella Bohemis quietem negaverat: in tumuli lapide aliquot abhinc luſtris hæc legebantur: *Anno 1424. die Jovis ante feſtum Galli vitâ functus Joannes Ziska à Calice, Rector Rerumpublicarum laborantium in nomine, & pro nomine Dei hoc Templo conditus eſt: Gregorius avunculus PP.* In hujus Urbis pomœriis anno 1618. prima exarſit cruenti belli flamma inter Cæſarem, ac Heterodoxos concitati, initô enim hìc prælio fortiter utrinque dubiâ ſemper victoriâ pugnatum eſt, donec Dampirius Cæſareorum Ductor in proximum ſe recipiens nemus incertam adhuc aleam declinavit.

(a) Miſcel. Boh. dec. 1. l. 3. c 7.

(b) Chron. Boh. ad an. 796.

(c) Topog. Boh.

DESNA.

DEsna Oppidum eſt Bechinenſis Diſtrictûs Comitum Slavatarum dominio, nisi à paucis annis ad alios tranſierit, ſubjectum, quod propinqua nobilitat Baſilica D. Joannis Baptiſtæ honori magnificè erecta, & imminente Sancti Tutelaris feſto à multis hominum millibus illuc affluentibus frequentata. In illius centro exſiliit fons ægris omnibus, ac præcipuè arthriticis ſalutaris, ſi mirabili hujus aqua in apparatis prope Templum thermis ſe abluerint; quin imò in diſſitas etiam regiones non ſinè emolumento indè ſæpius aſportatur. Ultra ſeculum hoc prodigium excurrit, anno enim 1599. alto jam ſole in medio campo piæ cuidam fœminæ, cui nomen Catharina Urbanczova, apparuit vir ſacerdotalibus tectus indumentis, quem candidiſſimus puellus ponè ſequebatur: cúmque terna in Cœlo fulgura coruſcaſſent, vir ille genu flexus inclinata toties fronte terram attigit, dein unà cum ſocio videri deſiit, prælaudato fonte è triplici vena ibidem erumpente, quo lota mulier capitis dolorem protinus levavit.

DIECZINA.

DIeczina ſeu Tezna vulgò Tezen, ſeu Tetſchen Urbecula eſt Litomericenſis Diſtrictûs cum ſplendida, munitaque Arce ad Pulsniciæ in Albim influentis oſtium prope Miſniam ſita, & Pragâ 12. milliaribus remota, cujus dominio Cremnitium, Königswaldum, aliaque Oppida ſubjicit Dreſſerus, (d) mox addens S. Wenceslaum in ea educatum olim fuiſſe, ubi graviſſimè hallucinatur hic author Tetſchenam cum Tetina, ùt ex infra dicendis patebit, perperam confundens. Illius tamen Arcis antiquitas ex Hagecio probatur, qui ad annum 1128. quoſdam ſeditioſos Proceres à Sobieslao Duce carceri ibidem mancipatos commemorat. Wartembergicis ea olim ſuberat, à quibus ad Comites de Thun poſtmodum devenit, à regio tamen præſidio ob patriæ tutelam interdum inſeſſa. Huſſitarum tempeſtate eandem incoluere prædones, quas Jacobus Wrzeſovecius indè vi ereptos patibulo appendit. Anno 1639. Bannerius Svecicæ militiæ Dux hanc Arcem, licèt tunc munitiſſimam, expugnavit; ſed ad priſtinos Dominos paulò pòſt reverſa, & à Svecis anno 1645. rurſus tentata eorundem molimina fortiter eluſit.

(d) Ifagog. hiſt. part. 5.

DOXANENSE. COENOBIUM.

DOxanenſe ſacrarum Virginum Cœnobium D. Norberti legibus obnoxium in Litomericenſi Diſtrictu fundavit anno 1144. Gertrudis Wladislai Regis conſors, idque velut Pantheon quoddam, & domicilium ſanctitatis veneratur Balbinus (e) in ſententiæ ſuæ teſtem allegans vetuſtiſſimum hujus ſacri Parthenonis menologium, cui

(e) Ep. Rer. Boh. l. 3. c. 13.

cui Moniales ſingulari religioſarum virtutum odore fragrantes ita olim inſcribebantur: *8. Januarii Mechtildis prima Prælata noſtra. 15. Februarii Beatæ memoriæ Gertrudis Prioriſſa. 20. Martii Beatæ memoriæ Hedvvigis filia Regis. 21. Junii Venerabilis memoriæ Ida Regis cognata, ſoror noſtra Profeſſa, quæ dedit Eccleſiæ noſtræ* 80. *marcas auri, & villam.* 13. *Julii Beatæ memoriæ Margaretha III. hujus loci Prælata filia fundatorum* (id eſt Regum Bohemiæ) *piè præfuit, donavit Monaſterio 80. marcas auri. 5. Auguſti Piæ recordationis Gertrudis fundatrix noſtra Regina Bohemiæ, quæ primitias Ordinis noſtri in Bohemiam introduxit.* 15. *Auguſti Beatæ recordationis Margaretha Duciſſa noſtræ Congregationis ſoror Profeſſa, quæ contulit* 60. *marcas, calicem magnum cum patena, & pretioſiſſima Altarium ornamenta*: & alibi incerto mihi die: *Beata Eliſabeth ſecunda Prælata noſtra, ſoror Regis* (Wladiſlai) *contulit pro ſe, & ſuo fratre 80. marcas argenti ad ædificium Monaſterii, calicem cum patena, ampullas deauratas, & duas villas.* Expertum quoque eſt nobiliſſimum hoc Cœnobium truculentam Huſſitarum rabiem, anno 1422. ab iis direptum, & Vulcano immolatum. Floret tamen iterum noſtra hac ætate ad fluviorum Albis, & Egræ concurſum, tot inter elegantia viridaria, totque amœniſſimi ſitûs delicias, ut terreſtris paradiſi faciem exhibere videatur.

DUBA.

DUba vulgò Dub, ſeu Eiche (illud enim Bohemis, hoc Germanis quercum denotat) non ignobilis Boleslavienſis Diſtrictûs Civitas 10. milliaribus Pragâ diſtans, præclaræ ſubjacet Arci, ubi notatu dignus videtur ſubterraneus meatus exciſis magno ſumptu rupibus per ſibi ſuccedentes cavernas ad vicinam Rabenæ Arcem perfoſſus, qualis etiam Benatek, & Drazicze Arces, aliaſque in Bohemia complures occulto itinere conjungit. Dubam quoque deſpectat paulò remotior mons totius Regni altiſſimus, quem Geſtiera, id eſt latinè lacertam, vernaculè appellant, cùm illius porrectim jacentis figuram ſuo jugo omnimodè exprimat. Defluit ex eo præcipuæ, ac celeberrimæ aquæ fons, quam aliàs per montis anfractus nullâ certâ ſemitâ palantem ad excavatam in ſubſtrata planitie foſſam Dubenſes direxerunt, ut eam commodiùs in proprios uſus converterent; ſiquidem hyeme nullo conſtringitur gelu, æſtate verò illud dicitur ſuo frigore ſuperare. Unde ne ingratus ob tantam ſui curam videretur fons, auri etiam ramenta Civibus aliquando devexit.

EGRA.

EGra à Germanis Eger, Bohemis verò Cheb dicta, quam Ptolomæi (a) Monogardam nonnulli autumant, egregia proprii Diſtrictûs Metropolis, 18. milliaribus Pragâ diſſita à cognomine alluitur fluvio, qui ferè unicus extra Bohemiam natus eandem irrigat, cùm reliqui omnes, iiſque plurimi Bohemiâ egrediantur, quod magnam ſoli Bohemici altitudinem luculentè demonſtrat. Jacet illa in perjucunda valle, ita tamen, ut aliqua ejuſdem portio ex declivi colle dependeat. Latâ foſſâ, geminóque cingitur murô, cui tertius etiam additus, ea ſcilicet parte, quæ ab aqua longiùs recedit. Arx Regii Burggravii Sedes flumen inter, & Urbem aſcendens, ornamentum huic adfert, & tutelam, cùm majoribus munimentis, turribuſque Civitati imminentibus ambiatur. Præcipuum Egrenſe Templum D. Nicolao ſacrum non parum auget ſplendorem, præſertim ob binas prælatas turres, quæ Orientem reſpiciunt. Contigua illi eſt Equitum Theutonicorum ſtatio, præter quos plures quoque Religioſi Egræ commorantur, cujusmodi ſunt Ciſtercienſes, Crucigeri de rubea ſtella, Minores S. Franciſci cum Jeſu Societate, ac Prædicatorum Ordine, cui anno 1294. ad S. Wenceslaum Conventum fundavit Adolphus Imperator ad inſtantiam ſui germani fratris Dieteri, ejuſdem Ordinis Religioſi, poſtea Archiepiſcopi Trevirenſis, annuente Bohemiæ Rege Wenceslao; in Arce autem duo ſpectantur Templa SS. Martino, & Urſulæ dicata, atque marmoreis columnis nitentia, quorum unum alteri incumbit. Curia ampla eſt cum centumvirali Senatu ex novendecim Patritiis, 68. Plebeiis, & tredecim Scabinis, ſeu Judicibus conflato, quorum ultimi jus dicunt, Civiumque cauſas non ex ſcriptis Romanorum conſtitutionibus, ſed ex legibus municipalibus, aut ex recepta conſvetudine dirimunt; neque ab hujus Senatûs ſententiis, nisi ad ipſum Regem admittitur appellatio. Conſules quatuor è Patritiorum cœtu quotannis eliguntur, pro totidem videlicet anni partibus deſignati. Pons Urbem Suburbio nectit deliciis affluente, in quo ſcaturit aciduſus fons cæteros omnes per Bohemiam fluentes virtute, ac ſalubritate antecellens, atque incredibili hominum, primæ etiam nobilitatis aquam indè petentium accurſu celebratus; unde aliquorum opinio eſt,

(a) Topog. Boh.

non Egram, sed Saurstadiam fuisse antiquitus appellatam. Horum pleraque mihi Blavius suggessit; sed monet hìc recentior author Merianus, prædictum fontem non inipso Suburbio, verùm medio ab Urbe milliari emanare. Nobilem hanc Urbem cum suo Districtu hæreditario jure ad Marchiones in Vohburg, & Cham aliquando spectasse palàm est, à quibus etiam originem suam duxisse nonnulli conjiciunt; genuini enim ejus natales ignorantur ob triste incendium, quod anno 1270. per Urbem grassatum privilegia omnia, ac veterum memorias obliteravit. Verùm anno 1179. cùm Marchio Theobaldus, seu Dieboldus suam ex Mechtilde filiam Adelheidem Friderico I. Cæsari, habitis Egræ nuptiis despondisset, Civitatem hanc cum adjacente regione in dotem ei cessit, sicque Egra Imperii Civitatibus fertur adnumerata usque ad annum 1315., quo Ludovicus Bavarus superiori anno Imperator salutatus, pecuniæ indigus, in susceptum contra Fridericum Austriacum Imperii competitorem bellum impendendæ, Joanni Bohemiæ Regi eam vendidit, quadraginta millibus marcharum argenti ab eo in pretium acceptis. Quibus à Münstero (a) enarratis refragatur in quibusdam, & meritò, Balbinus (b) singulariter contendens Egram nunquam, aut saltem non tam longo tempore Imperialem, seu liberam fuisse, cùm certissimum sit, Rudolphum I. Cæsarem anno 1285. pro dote filiæ suæ Guttæ, seu Judithæ, Wenceslao II. Bohemiæ Regi, Egrensem Provinciam, ipsamque Urbem destinasse; novennio scilicet postquam ab Ottocaro II. Wenceslai parente tanquam ad Imperium spectantem extorsissent; namque jam ab anno 1193. Ottocarus I. Rex illam Henrico Friderici filio jure belli ademptam, Bohemico Regno primus inseruerat. Quomodo autem post Wenceslaum II. à Bohemiæ Regibus ad Ludovicum Bavarum, vel hujus prædecessores Egra rursus translata sit, ab authoribus silentiô præteritur. Evoluti autem nuper seculi anno 31. in Saxonici Electoris potestatem hæc Civitas devenit, sed altero statim anno Albertus Waldsteinius eam iterum Cæsari vendicavit. Demum anno 47. obsessa à Svecis Egra, postquam egregiè restitissent, & quater omni vi assilientes hostes repulissent, in eorum manus deditione cecidit, trecentis Urbis militibus cum 46. Civibus, Svecorum verò mille quingentis durante obsidione interemptis. Judæos magnis opibus hìc olim abundasse, scholasque publicè aperuisse subjungit præcitatus Münsterus ante annum nempe 1250., quo cùm verni jejunii tempore sacer quidam orator veterum Judæorum sævitiam in Messiam, Mundique Redemptorem exercitam è suggestu exprobrasset, miles quidam nimia indignatione commotus arrepta ex altari Christi è cruce pendentis effigie, ad hujus ulciscendam necem ita populum irritavit, ut omnes Urbis Judæi, direptis eorum bonis, fuerint internecione deleti.

(a) Cosmog. li. 3.

(b) Ep. Rer. Boh. in not ad c. 16. l. 3.

FALCKENAVIA.

FAlckenavia Cubitensis Districtûs Urbs cum Arce vetusta, 16. milliaribus Pragâ absens Egra fluvio, ubi Zvotam amnem excipit, irrigatur. Schlickiorum quondam fuit ditio ad Comites de Nosticz deinde transmissa. In Saxonico, Svecicoque bello semper hostibus in prædam cessit; anno verò 1632. à flammis correpta unà cum Templis, scholis, & curia in cineres concidit, Civium industriâ postmodum restaurata. Non procul hinc, ubi S. Kunegundis Ecclesia visitur, mons quidam cavus occurrit, cui si quis aurem admoveat, magnum intus ventorum, aut flammarum murmur exaudit: ardet ille noctibus, imò & diebus, quoties gravis aliqua aëris mutatio regioni impendet, aliquem insuper terræ tremorem cum tristi quodam mugitu accolæ interdum sensere, qui ferrifodinas ibi olim extitisse traditione narrant. Eruuntur etiam hodie in eo loco lithanthraces, seu carbones fossiles permulti, sed nigri, ac ferè jam in ipsa terra flammis absumpti.

FRAUNBERGA.

FRaunberga duplex est Bohemiæ Arx; una scilicet à Bohemis Hluboka vocata in Bechinensi Districtu celebratissima à Rosensibus primùm condita, cujus fortitudine freti hi Proceres plura adversùs Reges machinari non formidarunt. Ex iis Zavisius, cùm Wenceslao Regi anno 1292. caput nollet submittere, in ejusdem Arcis conspectu illud amisit. In Svecico bello ea semper invicta hostium vires egregiè fatigavit. Altera verò est, quæ Przinda à Bohemis dicitur in altissimo Pilsnensis Districtûs monte pluribus abhinc seculis collocata, & à Wrsoveciis, qui eam à Regibus donatam obtinebant, addita naturæ arte, fortiùs communita, cujus tamen hodie non nisi rudera spectantur, à quibus non multùm abest Cladrubiense Ordinis S. Benedicti Cœnobium Deiparæ sacrum à Swatopluco Principe condi cœptum, & anno 1115. à Wladislao Bohemiæ Duce absolutum, atque opulentissima primum fundatione, dein suis exuviis post mortem ditatum.

tum. In hujus ergo divitias inhiantes cum Ziska Taboritæ anno 1421. Monaſterium invadunt, ac more ſuo direptum incendunt; verùm hanc calamitatem paulò ante præſagientes incolæ pretioſiorem ſupellectilem, totumque Archivum Ratisponam ad S. Emmeranum fœliciter avexerant.

GIGANTEI MONTES.

INter altiſſimos montes, qui totam fermè Bohemiam circumvallant, famoſiſſimi habentur illi, qui Reginohradecenſem, & Boleslavienſem Diſtrictum à Sileſia diſſecant, & Gigantei, ſeu Gigantum montes, Germanicè Riſengebürge, Bohemicè verò Krkonosky hory vocantur: nec deſunt ſcriptores aliqui, qui eos paſſim, neſcio qua de cauſa, Riphæos appellent. Immanes in his theſauros celari conſtans eſt omnium accolarum ſenſus, & ſpeciatim topazios, amethyſtos, cryſtallos, jaſpides, corniolos, ſaphyros, turcheſias, ſmaragdos, chalcedonios, achates, adamantes, hyacinthos, granatos maximô numerô, aliaque gemmarum genera copiosè in iis montibus fulgere, rariſſimas quaſvis medicas herbas multis in locis altè adoleſcere, atque puriſſima auri grana piſorum, imò & nucis juglandis magnitudinem ſuperantia facili negotio ibidem effodi in ſuorum itinerum relationibus prodiderunt plurimi præſertim Itali, qui comparato ſibi priùs octo dierum comeatu arduos horum montium anfractus non ſinè opulenta præda peragrarunt; ad plures enim deſcenderant valles ſuis nominibus diſtinctas, inter quas Meridionalis, quæ Mummelgrundt vulgò audit, feraciſſima eſt metallorum, quæ commixta gignuntur, eſtque cæteris notior, quòd in montium aditu prima ingredientibus occurrit. Gigantea hæc juga mirum quoddam obambulat ſpectrum à tot primæ notæ etiam oculatis teſtibus confirmatum, ut nimis inurbanum videatur illis fidem denegare: nomen illi Ribenzall, forma, quæ Proteo fuerat; ſiquidem modò monachi cucullum induit, modò foſſoris habitu comparet; modò venatorem repræſentat; modò decrepitum, & vix cubitalem ſenem exhibet barbâ terram verrente; modò etiam equi indomiti, modò maximi, & teterrimi ſuſonis, modò galli gallinacei, modò corvi inſidiantis ſpecie viatoribus offertur; idque tum præcipuè facere traditur, cùm convicio provocatus, vel cachinno contemptus indignatur; alioquin humanam aſſumit imaginem, comiter viam errantibus monſtrat, naturæ arcana inibi reperienda indicat; ſæpe etiam ſalubres radices, aliaque hujuſmodi obviantibus largitur. At offenſus, monſtroſo aſpectu confeſtim minatur, Cœlumque perturbat, ita ut emicent fulgura, imbreſque decidant, & vel media æſtate intolerabile frigus homines invadat; nemini tamen interim nocet, nec ultra terrores, & ludibria novit ſævire. Ferunt alii, qui hæc ſuiſmet oculis uſurparunt, ſpectrum illud muſicam teſtudinem interdum geſtare, tantaque vi chordas ferire, ut terra ſubtus tremere credatur, efferri aliquando volatu ſuper altiſſimos vertices, mox teſtudinem abjicere cum tonitru; aliàs corripere arbores turbine, & in gyrum cum fragore rotare, modò denique flammarum globos, modò aquarum flumina faucibus ejectare. De Ribenzallo ſermonem miſcens eximiæ ſanctitatis vir Martinus Stredonius Societatis Jeſu non ſemel auditus eſt dicere, ſibi non aliquem malum dæmonem, ſed humanam potiùs animam in illo latentem videri, eô perſuaſus argumentô, quod nullum damnum obviis inferat, nec quidquam, quod divinam læderet majeſtatem unquam machinetur.

GILOVIA.

GIlovia vulgò Gilowey Oppidum eſt Caurzimenſis Diſtrictûs 3. milliaribus Pragâ diſſitum ob aurifodinas quondam feraciſſimas maximè famoſum. Hæ à memorata aliàs Libuſſa vaticinio promiſſæ quandonam patere cœperint, incertum relinquitur; attamen ſub Boleslao Sævo circa annum 950. jam eæ celebrabantur, præſertim fodina, vulgò Tobole, quod latinis crumenam ſonat, nominata: ubi in auri effoſſione Dux Ethnicis potiùs, quàm Chriſtianis uti ob illorum cum dœmonibus commercium, plerumque conſveverat. Verùm omnibus tartari viribus palmam præripuit Chriſtiana pietas, qua Boleslaus II. cognomento Pius præcipuè fulgebat; eo enim Bohemiam moderante ſub annum 998. hæc una Gilovienſis crumena centum auri marcharum millia in Ducis ſinum effudit, cujus pecuniæ non parvam vim in pauperes, Eccleſias, & Cœnobia optimum Principem expendiſſe ſvadent tot piæ illius liberalitatis monumenta. Iterum anno 1145. quid etiam in his pietas poteſt, manifeſtè eluxit; quando paulò pòſt fundata à Wladislao II. Duce poſtea Rege, Ordini Præmonſtratenſium in monte Sion ſuper Pragam, & ab ejus conjuge Gertrude ſacris Virginibus Doxani Cœnobia, benigniſſima Dei Genitrix Maria Regio Capellano, cui Reda nomen, ad aras

litanti ſe aſpectabilem præbuit, & collaudata Principum pietate, novam Giloviæ fodinam auro refertiſſimam ab iis tentandam indicavit; quæ cùm Sacerdos Wladislao retuliſſet, ipſe operi præfectus quatuor ſupra viginti auri probatiſſimi centenarios indè erutos, Parthenium verè munus; in Domini ſui gazophylacium invexit. Piæ quoque munificentiæ adſcribi poteſt repertus ſub Carolo IV. maximo Cœnobiorum parente aureus equellus, qui in iisdem fodinis miro Naturæ luſu ſtabulabatur. Noſtris verò temporibus illæ jam ferme coli deſierunt.

GITZINUM.

GItzinum Blavio Gitmiczinum vulgò Gitzin, vel Gitſchin Urbs eſt cum Arce inſigni in Reginohradecenſi Diſtrictu ad Cydlinam flumen contenta, & à Regni Metropoli 10 Milliaribus dirempta. Hæc anno 1519. dum nundinæ ibidem haberentur, ſuppoſito à quibusdam igne media ex parte, unà cum toto Suburbio in fumum evolavit: Altero dein ſeculo Albertus Waldſteinius Fridlandiæ Dux hujus Urbis Dominus eam non modò reſtituit, ſed & ampliatam mirificè exornavit, ubi inter alia præter Collegium Societati Jesu excitatum, à fundamentis eduxit auguſtum planè Templum D. Jacobo devotum; at patronum aliquem, qui ultimam ei imponat manum, etiamnum fortaſſe præſtolatur. Amœniſſimum quoque hortum omnibus deliciis in Suburbio repleverat, ad quem Gitzinô ducebant hodieque ſuperſtites tiliæ, res ſanè, utì fertur, viſu gratiſſima; ſeptingentæ quippe tales arbores ejusdem omnino ætatis æquali cacumine in quincuncem diſpoſitæ, quatuor ordinibus viam triplicem, mediam nempe currulem, duaſque à latere minores virenti gramine ſtratas obumbrant. Alberti caput, dextrumque brachium ex ejus cadavere in Carthuſia huic Urbi propinqua tumulato avulſa anno 1640. Generalis Svecorum Dux Bannerus in Sveciam transmiſit, utì teſtatur Merianus mox addens, Svecos octennio pòſt ipſum quoque Gitzinum fuiſſe deprædatos. Civitati dominabatur ex adjacente ferè monte Weliſſium firmiſſimum Caſtrum, quod poſtremô Svecicô bellô à pauculis Cæſareis militibus defenſum nunquam potuit ab hoſtibus expugnari, ſed tandem firmata pace, quaſi nullô ampliùs bellô interpellanda dejectum eſt. Hac in Arce fons ſaxo exciſus uſque ad fundum deſcendebat profunditate ſua nil Græcenſi in Styria fonti concedens. In Gitzinenſi inſuper territorio præſtantiſſimos gigni equos in comperto eſt; hinc ad generoſam eorum propaginem duo Cæſarea equilia in hac regione numerantur.

GLACIUM.

GLacium vulgò Germanis Glaz, Bohemis Kladsko unde ab antiquioribus etiam Kladskum latinè efferebatur, illuſtris eſt Civitas, quam Niſſa fluvius lapideo ponte ſtratus præterfluit, Pragâ milliaribus 21. remota, & ſui Diſtrictûs anno 1463. à Friderico IV. Cæſare in Comitatum erecti Metropolis. Illius etymon ex multiplici prorſus origine juxta cujusvis authoris præſertim Georgii Ælurii judicium, vel potiùs ſomnium apud Merianum derivatur; cúmque ipſa diſcordium ſententiarum copia ſingularum infirmitatem abunde prodat, iis afferendis, aut refellendis absque eruditionis detrimento ſuperſedeo. Namque de hujus Urbis conditore altum eſt apud antiquos ſcriptores ſilentium, quamvis magno illius vetuſtatis non parva extent apud eoſdem veſtigia. Glacium tuetur Arx in colle, ac loco arcendis hoſtibus commodo ædificata, hominumque induſtriâ probè communita, quam aliquando Fraſtenberg fuiſſe dictam Balbinus ſuſpicatur. Fuit olim Glacenſis Comitatus modò in Polonorum, quibus tunc contigua Sileſia parebat, modò in Bohemorum poteſtate, prout crebra inter has fraternas gentes bella fortunam immutabant: donec ex fœdere, quod Ottocarus Bohemiæ Rex cum Henrico Wratislavienſi Duce anno 1280. percuſſit (cùm enim Wladislai Poloniæ Ducis filii poſt annum 1160. Sileſiam inter ſe diviſiſſent, Wratislavia cum Glacio ſingularem Principem ſuerat ſortita) Minſterbergenſium, ſeu Sambicenſium Principum dominio accrevit. Sed anno 1322. Joannes Bohemiæ Rex à Boleslao Minſterbergæ Principe illum redemit, ſuoque Regno in perpetuum copulavit; attamen quinquenio pòſt Henrico VI. Wratislaviæ Duci ea conditione tradidit, ut poſt hujus obitum ad Bohemiæ coronam devolveretur, iiſdemque legibus à Carolo IV. Cæſare Boleslaus Minſterbergenſis Glacium anno 1341. recepit. Quare ab illius morte Comitatus ille Bohemiæ iterum redditus, & quibusdam aliis interdum oppignoratus, tandem à Georgio Podiebradiô, antequam in Regem aſſumeretur, anno 1455. redemptus eſt, & in ſuos filios Minſterbergæ Duces creatos hæreditate transmiſſus. Manſit apud horum poſteros uſque ad annum 1500., quo ab Alberto, & Georgio fratribus Udalrico Comiti Hardekio venditum, ad ſe poſtea retraxit

anno

anno 1537. Ferdinandus I., & Joanni de Perenſtein protinus oppignoravit, permiſſumque dein eſt, ut ab hoc redimeret— Erneſtus ex Bavariæ Ducibus Paſſavienſis Præſul, poſtea Salisburgenſis, qui cùm anno 1560. Glacii è vita deceſſiſſet—, hujus Comitatûs jure Alberto Bavariæ Duci tranſcripto, refragati Regni Ordines in Comitiis coram Maximiliano Cæſare anno 1567. habitis decernunt, non poſſe per conſtitutiones patriæ Albertum inter Bohemiæ incolas numerari, ac proinde— Comitatum Glacenſem quantocius vel à Rege, vel ab aliquo è Regni Proceribus redimendum, quod non nisi anno 1579. ex collecto Ordinum ære fuit executioni mandatum, ac deſuper ſtatutum, ut ille velut patrimonialis Regum ditio deinceps foret, ita tamen, ut nunquam poſſet à Corona ullô titulô alienari. Porrò deficiente elapſo nuper ſeculo ab Imperatore Bohemia, Glacium integro ferè poſt Pragenſem illius victoriam biennio, à Franciſco Turriano in Friderici Palatini fide fuit retentum, atque adversùs Cæſareos obſtinatè defensû, donec cogente comeatûs penuria, año 1622. æquis conditionibus dederetur, à fulmine non multò pòſt incenſum, ſed mox Ordinum ſumptibus reparatum. Expeditâ demum tot diverſorum Principum, caſuumque ſerie, reliqua, quæ hanc Urbem commendant de more percurramus. Certum inprimis eſt, Rhodios, nunc Melitenſes Equites, apud Parochiale B. Virginis Templum quondam ſcholas aperuiſſe ab Erneſto primo Pragenſi Archiepiſcopo aliquando frequentatas: quo tamen anno Glacium ii appulerint, aut quiſnam Templum primò condiderit, apud hiſtoricos ſiletur. Hoc poſtea Erneſtus additô novô ædificiô longiùs produxit, ſacris liſpanis ditavit, ſuumque corpus in eo juſſit poſt mortem tumulari; ſed anno 1591. Hæreticis Lutheri aſſeclis tradi debuit, ut ſua in eo profana ſacra celebrarent, exceptô tamen— S. Jacobi Sacellô anno 1503. ab Equitibus conditô, quod Catholico Miſſæ ſacrificio reſervabatur. Alterum verò S. Wenceslai Templum, in quo proprius Parochus ad Bohemos dicebat, ex Orthodoxorum manibus avelli non potuit, qua fortè invidiâ accenſi Luthericolæ per cauſam muniendæ Arcis poſt annum 1618. illud funditus diruerunt. Demum pacata graviſſima illa ſeditione, quam in Bohemia Palatinus exciverat, Ferdinandus II. Imperator bonâ Summi Pontificis Urbani VIII. & Ordinis Melitenſis gratiâ pulcherrimum illud B.mæ Virginis Templum prodigioſa à multis ſeculis ejuſdem icone, & Venerabilis Erneſti ſarcophago celebre una cum adſita, ùt vocant, commenda, cunctiſque privilegiis, ac juribus reduci in Urbem Jesu Societati liberaliter contulit, Meydelburgenſi in Moravia ditione ejus loco Equitibus aſſignata. Reduci inquam Societati, jam enim anno 1597. Clemens VIII. Summus Pontifex adductus Rudolphi II. Cæſaris piiſſima voluntate aliam ſanè magnificam Deiparæ ab Angelo ſalutatæ Eccleſiam unà cum eximio Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegio à prædicto Archipræſule Erneſto anno 1349. erecto, & dotato eidem Jesu Societati benignè tradiderat, duobus ſcilicet annis, poſtquam unicus ex Canonicis ſuperſtes, ſenioque confectus in Nuncii Apoſtolici manus Præpoſituram reſignaſſet: verùm anno 1618. publico Hæreticorum Ordinum decreto in æternum proſcripta Societate, biennio pòſt, Friderico Palatino Glacium fugiente, hæc Divæ Virginis Eccleſia, uti ante tria ſecula vaticinatus fuerat Erneſtus, in ſtabulum converſa eſt, donec anno 1622. per incendium univerſa conciderint, ne veſtigio quidem Templi, aut Collegii poſteris relicto. De Glacenſibus ſylvis narrat apud Balbinum Ælurius, eas ab ardentiori aëris æſtu aliquando inflammari; ſic anno 1473., & 1540. Hablſchwerdenſes ad Glacium ſaltus per multa milliaria arſiſſe, cùm nemo id poſſet voraci elemento prohibere.

HORAZDIOVICIUM.

HOrazdiovicium vulgò Horazdiovice Prachenſis Diſtrictûs Urbecula 13. milliaribus Pragâ removetur. Ad Svihovios Proceres, quorum ibi hactenus perdurant ſepulchra, olim pertinebat, ſed ad Sternbergicos poſtmodum devenit—. In hac cùm Rudolphus Auſtriacus Alberti I. Cæſaris filius Bohemiæ Rex ſalutatus, indicto iis Electoribus bello, qui ſibi Henricum Carinthum prætulerant, Bavorium de Strakonicz obſidione premeret, contracto ex nimiò peponum eſu alvi profluvio anno 1307. in Caſtris mortem— oppetiit, quam aliqui propinato clam toxico adſcripſerunt. Eâ interim celatâ reliqui Duces literas regiô munitas ſigillô Bavorio mittunt, quibus ille promiſſa incolumitate ad Rudolphum invitabatur: advenienti, & ante Regis quaſi in lecto decumbentis tentorium præſtolanti Henricus Roſenſis Mareſchallus, omnia dominia ipſi permittenda, & ſolvendam illico obſidionem— regio nomine pollicetur, ſi unam Zvikowienſem Arcem Regi tranſcripſerit: annuente Bavorio Arx illa inexpugnabilis— Roſenſi traditur, Regis obitu tum primùm evulgato. In hujus Urbis territorio mar-

garitas vix orientàlibus inferiores ex amne Vatava ſæpe colligi harum rerum peritiſſimus Anſelmus Boëtius apud Balbinum (a) aſſeverat.

(a) Miſcel. dec. 1. l. 1. c. 29.

JAROMIRA.

JAromira vulgò Jaromirz Reginohradecenſis Diſtrictûs Urbs Reginæ dotalis, & libera 14. milliaribus Pragâ diſtans ab Albi, & Upava in unum alveum confluentibus irrigatur. Huic initium nomenque dedit anno 1002. Jaromirus Bohemiæ Dux, adjectô Cœnobiô ſecundùm D. Benedicti leges gubernandô. Celebre item Canonicorum Regularium D. Auguſtini Collegium cum Templo Deiparæ honoribus devoto circa annum 1356. Jaromiræ extruxit primus Pragenſium Archiepiſcopus Erneſtus, ſed anno 1421. pleriſque Cœnobiis fatali, Taboritæ, quotquot inibi offenderant, Religioſos incolas lento igne, tanquam hilare exhibituri ſpectaculum, uſque ad extremum ſpiritum torruerunt, nec leniùs in Collegii muros ſævitum eſt, cujus ipſas quoque ruinas, & ſubſtructiones hodieque ſuſpicimus; narrant quippe hinc ſubterraneum quoddam iter infra ipſius Albis fundum penetrans per medium milliare porrigi uſque ad Zwolenſe Ordinis S. Dominici Monaſterium anno 1425. à Ziska cum inquilinis exciſum. Canonicorum rogum præceſſerat quoque Civium, utpote Catholicæ veritati mordicus adhærentium clades, cùm enim eo anno obſeſſa ab Hæreticis Jaromira eos tota pene die ferociſſimè aſſilientes ſtrenuè retruſiſſent, neſcio quô conſiliô, juratis utrinque pactis, obſidentibus nil minus exſpectantibus ſe dedunt. Exibant itaque data fide freti inermes Jaromirenſes rebus chariſſimis ferendis occupati viri, fœminæque; tunc Hæretici ſignô datô in miſerabile agmen involant armati, ſpoliant, illudunt, cædunt, & nudos omnes in præterfluentem demum Albim præcipitant. Redierant quidem poſt longum tempus ad ſuam ſtationem Canonici, ſed deperdita bonorum parte inopes, deinde incendiis fortuitis, quibus hæc Civitas ſæpius concidit, ambuſti, tandem Lutheranis dominantibus ad paucos redacti prorſus evanuerunt. Supereſſe tamen etiamnum dicitur inſignis eorum Eccleſia à ſingulari tum latitudine, tum altitudine plurimùm commendata. Noviſſimum Jaromiræ infortunium incidit in annum 1648., quo Svecus miles illam eſt avidè deprædatus.

JOACHIMI VALLIS.

JOachimi Vallis vulgò Jochmſthal in Cubitenſi Diſtrictu territorii, & Urbis nomen eſt, quæ 16. milliaribus Pragâ abſens ex modico Pago, cui vulgare nomen Conradsgrün fuerat, induſtriâ præſertim, & ope Comitis Stephani Schlickii Bohemiæ Cancellarii ab anno 1516. magnis paſſibus excrevit; alliciebat enim exteros ad ſedem ibi figendam argenti ubertas, quod ex proximis, iiſque ditiſſimis fodinis tunc primò recluſis, & ad hæc uſque tempora feracibus, eruebatur: ubi triennio pòſt procuſi fuere unciales nummi Joachimsthaler à loco dicti, quos modò Imperiales, vel Thaleros, aliis quoque Provinciis eam pecuniæ formam deinceps imitantibus, appellamus: una eorum facies S. Joachimum, altera primò Stephanum Schlickium, poſtea Bohemiæ Reges, ad quos ea ditio emptione devenerat, referebat. Argenti ibidem aliquando effoſſi copiam exprimit Agricola, (b) dum ait ex unica S. Georgii fovea tam multum illius metalli trimeſtri ſpatio extractum, *ut ſingulas viceſimas octavas partes diſtribuerentur panes argentei, qui valerent mille, & centum aureos nummos Rhenanos.* Ab aliis præterea Naturæ miraculis, præſertim crebrâ lignorum in lapides metamorphoſi hæ fodinæ celebrantur; ſanè anno 1556. in S. Barbaræ caverna, quæ orgias 150. in præceps patet, obtulit ſe lapidea arbor in plurimos ramos extenſa, ſive Natura eam in ſaxo exſculpſerit, ſive vera arbor quondam injecta lapidifico humore imbuta induruerit.

(b) De Metal. l. 4.

LANDSKRONA.

LAndskrona, vel ùt aliqui efferunt, Landescorona, vulgò Landskron Urbs non obſcura 20. milliaribus Pragâ remota in Chrudimenſi Diſtrictu continetur. Illius Arcem à Panilo Hermundurorum Rege ante Bohemicæ gentis adventum, vetuſtiſſimis ſcilicet temporibus ædificatam, ut Regni corona, unde loco nomen, in ea cuſtodiretur, & propinquam aliam Landsbergam dictam ad legum codices ſervandos ab eodem extructam eſſe, intrepidè affirmat in Chronici ſui proëmio Hagecius; verùm etiam veteres ſcriptores, à quibus hæc excerpſit, ab eo libenter didiciſſem. Landskronam occuparunt Sveci anno 1643. dignamque cenſuerunt, quam additis munimentis ſolicitè tuerentur.

LAUNA.

LAunà ſeù Luna vulgò Laun Regia Civitas Zatecenſis Diſtrictûs Pragâ 7. milliaribus diſſita, ſupra dextrum Egræ fluvii litus figuram ſemicircularem repræſentat. Paucos, vel parum Bohemiæ ſcriptores evolviſſe vide-

videtur Merianus, (a) dum nullam Launensis originis mentionem ab iis fieri lamentatur; siquidem obvius author Hagecius eam latè describit, Pagum nempe ibi antea extitisse à Launo Crossi filio inchoatum, quem cùm anno 828. fratres duo Wlastacus, & Sobiessius expilassent, à Wogeno Bohemiæ Duce ad reddendam facinoris sui rationem Wissehradum citati non obtemperarunt, sed promeritam scelerisque pœnam formidantes, ut Principis minas eluderent, advocatis undique incolis ampliatam Launam juxta illius ævi morem præclarè muniverunt. Fundaverat in hac Urbe Venerabili Prædicatorum Ordini Cœnobium Parthenio cultui dicatum Wenceslaus Rex anno 1253. è vivis sublatus, & alterum anno 1331. Sanctimonialibus Ordini S. Augustini de Pœnitentia B. Mariæ Magdalenæ erexerat Bero Launensis Judex, à Joanne Pragensi Antistite confirmatum; sed utrumque bacchantes Hussitæ anno 1424. sacrilegè disjecere; quorum etiam flammis proximum, atque ditissimum Ordinis S. Benedicti Monasterium, quod Porta Apostolorum dicebatur, unà cum Religiosis omnibus (quos supra centum fuisse in comperto est) & celebratissima Bibliotheca conflagravit. Exornat tamen etiamnum Civitatem eximium Parœciæ Templum inter Bohemiæ augustiora computandum, quod celebris Architectus Benessius, absolutâ Wladislai Regis Aulâ jam alibi laudatâ, in patriam reversus, in locum antiquioris incendio collapsi Civium sumptibus extruxit, altisque fornicibus summa arte colligatis operuit, anno 1531. operi pene ad apicem perducto immortuus, & primus in ea Basilica tumulo illatus. Launam Hussiticas partes sequentem Wilhelmus ab Hasenburg Sigismundo Cæsari subjugavit, & anno 1453. Georgius Podiebradius adhuc tantùm Regni Gubernator ad sibi parendum armato imperio coëgit.

(a) Topog. Boh.

LIBICIUM.

Libicium vulgò Libice tenue nunc ad Albim fluvium Oppidum antiquitus verò Civitas cum illustri Castro, quæ famosa Libussa anno 710. juxta Hagecii calculum, sed longè citiùs juxta Balbinum ædificavit. Pertinuit aliquando hæc ditio ad S. Adalberti parentes Slawnikum, & Strzezislavam, contigitque anno 995. quarto Calendas Octobris quinque germanos ejusdem Sancti fratres, nempe Sobieborum, Spitimirum, Bohuslaum, Boreum, & Czaslaum in hac Libicensi Urbe ab Ethnicis in fidei odium enecari, quorum corpora Andreas Pragensis Episcopus anno 1216. cum totius Cleri, & populi supplicatione Pragam transtulit, atque in Sanctimonialium Templum ad S. Georgium sub ipsa media ara, tanquam SS. Martyrum collocavit, eorumque memoriam octo diebus ante D. Adalberti festum sacræ illius Cœnobii Virgines celebrant, imò, ùt perhibent, divino olim etiam officio de SS. Martyribus recitato, ab immemorabili tempore venerabantur.

LITICIUM.

Liticium vulgò Liticz Arx est Reginohradecensis Districtûs 14 milliaribus Pragâ distans, in loco sita munitissimo, & altissimis montibus coronato, ideoque à Georgio Rege electa, ut in ea gazas suas, & quidquid charum, aut pretiosum foret, Procerum in se animis diffidens, & abderet, & tutaretur. Rara duo opera Arcem hanc singulari hìc memoria dignam effecere; primum est triumphalis arcus ex lapide Romana prope magnificentia excitatus, qui partas à Georgio Podiebradio de hostibus victorias aureis characteribus exaratas prætereuntibus enarrat. Alterum est ipse Arcis mons improbo, & in longum tempus protracto labore perfossus, ut per saxosum alveum Aquilam amnem admitteret ne is ulla unquam arte averteretur, sed aquam per cuniculos usque ad fluvium excisos hauriendam Arcis incolis constanter suppeditaret.

LITOMERICIUM.

Litomericium vulgò Litomerzice, seu Leutmeriz Urbs Regia, & populosa cognominis Districtûs caput, 7. milliaribus Pragâ in Boream recedens, in dextro Albis latere splendidis ædificiis assurgit. Ortum, nomenque à Lidomiro accepit Cossali filio, qui anno 771. eam condere exorsus est, sed non nisi anno 1019. à Wrsoveciis Dynastis, Udalrici Principis à se læsi iram metuentibus, fossâ, mœnibusque vallatam. Cùm verò anno 1096., iis ob structas Principum vitæ insidias à Brzetislao II. Duce è Bohemia in Lusatiam proscriptis, universa Wrsoveciorum bona in fisci ærarium forent illata, Litomericium à Procerum dominio se subtraxit, atque inter Urbes sub Ducis patrocinio virentes locum, multaque posthac privilegia Blavio asserente impetravit. Verùm adversatur ex Pulkava Balbinus, (b) dum ait, Borzivoium II., qui post Brzetislaum fratrem anno 1101. peremptum Bohemiæ præfuit, Wrsoveciis ab exilio revocatis interceptas Urbes, & nominatim Lito-

(b) Ep. Rer. Boh. l. 3. c. 9.

mericium cum priſtinis juribus reddidiſſe. Quæcunque autem fuerint Litomericenſium privilegia, fatetur tamen præcitatus Blavius in incendio, quod anno 1297. Civitatem hanc fœdè deformavit, eorum plurima intercidiſſe, nec nisì paucula, quæ flammis erepta ſupererant, fuiſſe Joanni Regi oblata, qui ea cum quorundam aliorum additamento confirmavit, auxitque dein Joannis filius Carolus IV., ſolemnium nundinarum, & ſtapulæ, ùt vocant, jure Civibus impertito. Præter ignem alia quoque elementa gravem ſubinde labem Litomericio intulere; anno ſiquidem 1432. intumeſcens Albis, ſuoſque fines prætergreſſus totam Urbem magnô damnô inundavit; & anno 1511. ſubterraneis agitata turbinibus tellus ita contremuit, ut ære campano indè moto, & reſonante, perterriti incolæ, quà data porta ſe in campos effûderint. Epiſcopali dignitate Pragenſi Archipræſuli ſubjectâ hanc Urbem illuſtravit anno 1655. Summus Pontifex Alexander VII.; quapropter elegans novi Antiſtitis ædes adjecta eſt Cathedrali S. Stephani Eccleſiæ, quæ inter nobiliores totius Regni Baſilicas non infimum locum promeretur, namque tum ipſa ædificii frons unà cum præcelſa turri, tum maximè interior ejuſdem facies intuentium oculos plurimùm oblectat. Adeſt hìc præterea Societatis Jesu Collegium, & Sacri Prædicatorum Ordinis Conventus ad S. Michaëlem anno 1250. â Wenceslao Rege primùm fundatus, à Burchardo de Kaplirz Pragenſi Epiſcopo deinceps auctus, & poſt depreſſas hæreſes anno 1632. à Cæſarea munificentia reſtitutus. Micabat quoque olim Litomericii rubea Crucigerorum ſtella, ſed Huſſitica tempeſtas, ſpoliatô horum domiciliô, illam offuſcavit. Namque imprimis anno 1421. Ziska, inſeſſo licèt vicino monte, incaſsùm quidem Urbem invaſit, integro tamen anno necdum evoluto Pragenſibus Hæreticis ea ſponte ſe ſubmiſit, & ſexennio pòſt etiam Taboritis fores reſeravit; in præteriti autem nuper ſeculi bellis anno 31. omni Cæſareo milite deſerta Saxoni patuit, ſed mox eadem facilitate à Waldſteinio recepta eſt, ſervataq; uſque ad annum 39., quo ad Svecos tranſiit, ſequenti mox vere poſt avecta indè ſpolia ab iis derelicta, ſed anno 45. iteratò occupata.

LITOMISLIUM.

Litomislium vulgò Litomysl, ſeu Leutomysl clara eſt Chrudimenſis Diſtrictûs Civitas 18. milliaribus Pragâ abſcedens, in qua B. Henricus Zdik Olomucenſis Præſul Othonis Znoimenſis, & Olomucenſis Principis filius circa annum 1150. terris ereptus illuſtre Præmonſtratenſium Ordini Cœnobium extruxit, quod montem Olivetum nuncupavit, à Wladislao Rege anno 1167. novis muneribus cumulatum; at præcipuum hujus decus à magnanimo Caroli IV. Cæſaris zelo, pietateque profluxit; hic enim anno 1344. à Clemente VI. Summo Pontifice exoravit, ut Litomislienſis Epiſcopatus in eo Monaſterio erigeretur, prout præſtitum teſtantur Pontificiæ Bullæ ex Bohemico in latinum idioma à Balbino translatæ verba hìc ſubjicienda: *Villam Litomisl, qui eſt locus inſignis in Epiſcopatu Pragenſi, ad honorem nominis Dei, & venerationem, in Civitatem erigimus, & Civitatem facimus; item Eccleſiam Monaſterii hujus novæ Civitatis, Ordinis Præmonſtratenſis in Epiſcopalem erigimus, cui ab Epiſcopo Olomucenſi, & etiam à Pragenſi aliquæ partes ditionum attribui debent.* Primo hujus infulæ ſplendore enituit Joannes Lucenſis Monaſterii in Moravia Abbas, cujus, ac ſucceſſorum dotem non modò ipſa Litomislienſis Civitas, ſed & binæ Arces, Landskrona nempe, & Landsberga novo Epiſcopatui additæ conflabant; donec octavo, eoque poſtremo Præſule, itidem Joanne poſt annum 1418., quo aſſumptus fuerat, fatis cedente, atque Heterodoxis in Eccleſiæ bona involantibus, ea Sedes defecerit ſpiritualium adminiſtratione Priori Svitavienſis Præmonſtratenſium Collegii demandatâ. Alterum in hac Urbe Cœnobium D. Auguſtini Eremitis anno 1356. excitaverat Joannes de Novoforo Litomislienſis, dein Olomucenſis Antiſtes, verùm ex eo hodie ne veſtigium quidem videre eſt, nisì in Decani ædibus anguſtum S. Margaritæ Virginis Sacellum: tanta fuit Hæreticorum, præſertim Piccardorum, quorum ibi celebrem ſcholam Koſtkarum familia aperuerat, ſacra loca dejicientium rabies. Parem experta fuit ſortem Litomislienſis Carthuſia, quæ Mariæ Rubus dicebatur, ab Alberto de Sternberg ejuſdem Urbis Epiſcopo juxta Pagum Trzka anno 1378. conſtructa. Prima Huſſitarum irruptio fuit Pragenſium, qui captam anno 1421. Urbem Dionyſio Borzek defendendam tradiderant, Catholicis adnexo adhuc Caſtro potientibus: ſecunda verò, & atrocior fuit Orphanorum, quibus anno ejuſdem ſeculi 25. poſt deditam à Dionyſio Civitatem, toto conniſu omnique ex parte in Arcis mœnia aſſilientibus tanto ibi ardore pugnatum eſt, ut etiam animam agentes dimicarent: tandem victores Orphani nullo ætatis, ſexûs, aut dignitatis diſcrimine obſeſſos omnes, utpote Orthodoxos, concide-

derunt. Diu Litomislium Koſtkis paruit, qui Eccleſiaſticorum bonis maximè inhiabant; ab his conjugiò ad Pernſteinios devenit, qui ipſi Cathedralis Templi ſolo perelegantem Arcem impoſuerunt; denique ab his quoque ad Comites de Trautmansdorff devolutum eſt.

MIELNICIUM

Mielnicium vulgò Melnick Boleslavienſis Diſtrictûs Urbs prope Muldavæ in Albim ſe exonerantis oſtium ſita, & Pragâ 4. milliaribus in Boream remota, inter Reginæ dotales recenſetur; libertate tamen Regiis Urbibus pari ſemper fruita, adversùs invidas Præfectorum molitiones illam ſtrenuè pluries defendit; imminet enim Mielnicio Regia Arx, quæ unà cum adſito territorio pignoris titulò diverſis Proceribus poſſidenda tradebatur, nunc autem non nisì in ruinis incolitur. Initium huic Civitati dedit ſecundùm Hagecii calculum anno 757. Nobilis quidam Beſchus, à quo primùm Bſchowka vocata, ob molarum deinde frequentiam à voce Melnik, ſeu à molendo uſurpatum hodie nomen adepta eſt. Mœnibus verò eandem circumdedit anno 877. Slaviborus totius ditionis Princeps, qui unà cum filia ſua S. Ludmilla Borziovii primi Chriſtiani Ducis conjuge, à D. Cyrillo ſacris undis ibidem ablutus Evangelio ſe mancipavit. Nobile hìc Cœnobium Ordinis Eremitarum S. Auguſtini anno 1264. unà cum Eccleſia D. Laurentio devota liberaliſſimè fundavit Smilo de Cetow, ab Ottocaro Rege quadriennio pòſt datis literis confirmatum. Bohemia ſub Svecorum tyrannide gemente intra quinque annos à 1640. ter hoſtes Mielnicii fores perruperunt. Maximè in toto Regno celebratur vinum rubrum ex botris expreſſum, quos in hujus Urbis pomœriis allatæ ex Gallia ſub Carolo IV. Cæſare in melle vites hactenus progenerant.

MIZA.

Miza, ſeu Argentina vulgò Germanis Mies, Bohemis Strzibro Regia Civitas commodè munita, exorta eſt Sobieslai I. Ducis induſtriâ, qui eam anno 1131. in Pilsnenſi Diſtrictu ſupra lævum Mizæ amnis littus 13. milliaribus Pragâ diſſitum excitavit. Bohemicum nomen, quod argentum ſonat, nacta eſt ab argenteis glebis, in quas operæ mœniorum fundamenta effodientes ligonem fortuitò impegere. In Huſſiticis turbis Przibicus Clenovius, colludentibus ſecum Civibus hæreſi infectis, anno 1426. hac Urbe potitus, Bavarorum obſidionem ſequenti æſtate eluſit, Catholiciſque expulſis, indè decedere renuit, nisì factâ ſibi à Sigiſmundo Rege per Volinenſe dominium compenſatione. Magnam Mizæ famam conciliat alba ex tritico cerviſia, quæ utpote primæ notæ non tam per Bohemiam, quàm per reliquam Germaniam latè diſpenſatur. In Civitatis porrò vicinia longo tempore præſertim ad Rombsbergam eruebatur ex fodinis argentum, ſed modò illius venæ omninò exaruerunt: gemmam verò leucachatem miræ elegantiæ, quibuſdam nempe nigris punctulis, & ſæpè purpureis maculis decorè ſparſam ibidem adhuc legi aſſerit ex Boëtio Balbinus. (a) Hæc amœna, illud autem funeſtum, quod anno 1427. contigit, quando ſcilicet immiſſus à Sigiſmundo Cæſare in Bohemiam exercitus ex tribus Imperii Circulis, Saxonico, Bavarico, & Franconico conſcriptus, oblatâ ab Heterodoxis ad Mizam pugnâ panico timore correptus regredi cœperat; quare inſecuti hoſtes memorabili clade ſupra decem cæſorum millia aſcendente Catholicos proſtravere.

(a) Miſcel. Boh. dec. 1. l. 1. c. 23.

NIMBURGUM.

Nimburgum vulgò Nimburg Regia Urbs in Reginohradecenſis, & Boleslavienſis Diſtrictuum confinio poſita, ita ut à nonnullis huic, illi verò ab aliis authoribus adſcribatur, in patenti jacet planitie, loco propulſandis hoſtium inſultibus valde idoneo, à Vicamilo Dynaſta anno 779. inter Albim & Malinam ſimul confluentes extructa, lateritióque murò, & profundâ amni alveum præſtante foſsâ probè firmatâ. Civitatis author à ſuo quidem nomine Vicemilovum eam vocari præoptaſſet, verùm ſubditi ob frequens aprorum in ſtagnantibus ibi paludibus volutabrum, Svini-Brodam dicere maluerunt: donec advenientibus in eas oras tardiori ævo Germanis, præſens Nimburgi nomen vetuſtiorem nomenclaturam obſcuravit. Cœnobium Ordinis Prædicatorum, quod hìc viſitur, Beatiſſimæ Virgini conſecratum noviſſimè quidem jus Prioratûs, ùt vocant, impetravit, anno ſcilicet 1694.; erectum tamen primò dicitur circa ſeculi decimi tertii finem, & à Comitibus de Berneck novis proventibus poſtmodùm auctum. Wenceslaus II. Rex pronum in hanc Urbem animum prodidit, quando ædificiis, & privilegiis auctam Regiarum albo juſſit inſcribi. Crudelè econtra Saxonum efferbuit odium, quando à præſidii militaris Præfecto, ignorantibus Civibus, per ſummam perfidiam in Civitatem admiſſi non

modò puberes omnes, ſed non parvam etiam imbellis ætatis turbam peremerunt; ita ut effuſi cruoris rivi per compita in fluvium decurriſſe ferantur, idque factum biennio pòſt, quàm illi anno 1632., deſperata ejuſdem expugnatione, miſſilibus ignibus totam unà cum ponte, qui Albim tegebat, Vulcano devoviſſent. Præluſit huic ſævitiæ Taboritarum barbaries, qui anno 1425. capto Nimburgo Georgium Rowohladum loci Decanum, quòd Sacramentum extremæ unctionis populo adeò commendaſſet, unà cum Sacellano currui imponunt, oleum vehi clamantes, deinde extra Urbem in vas pice illitum intruſos ſuccendunt, ubi poſtea & cœleſtis harmonia audita, & noctu ardere lumina viſa ſunt: vicinaque ſupplicio porta S. Georgii ab eo hactenus cognominatur. Singularis iſtic eſt cœlò licèt perfrigido æſtivorum fructuum ubertas, præſertim peponum, qui ardentiores aliàs ſoles ad maturitatem expoſcunt.

NOVA DOMUS.

NOva Domus, aliàs Henrici-Hradecium vulgò Neuhauſs, ſeu Gindrzichu Hradecz Urbs eſt ſatis ampla, ſplendideque ædificata in Bechinenſi Diſtrictu, 14. milliaribus Pragâ in Auſtrum abſcedens. Pluribus ſeculis dominabantur huic celebres in faſtis Dynaſtæ de Nova Domo appellati auream roſam in clypeo geſtantes, & Apoſtolicæ Sedis, Catholicæque Religionis contra Heterodoxum Regem Georgium Podiebradium acerrimi defenſores; cujus inclytæ ſtirpis penultimus ſurculus Adamus inſigne Societatis Jesu Collegium in hac ſua Urbe dotavit. Deficiente autem priorum Procerum familiâ, decidit locuples hæc ditio anno 1618. ad Comitum Slavatarum proſapiam, quorum habitationi deſtinata Arx non levem Novodomenſi Urbi adjicit ſplendorem, ex eo etiam peculiariter commendanda, quòd exactas omnium Bohemiæ Ducum, Regumque effigies longo ordine appenſas exhibeat, quæ ex antiquioribus Arcis Pragenſis iconibus deſumptæ, illis incendio abſumptis, primatum ſibi vendicant, verè enim dignæ ſunt, quæ ut præclariſſimum totius Regni cimelium, ſolicitè cuſtodiantur. Luculentum quoque exigit præconium illa ab omni retro memoria uſurpata hujus Arcis conſvetudo, qua quintâ ſanctioris hebdomadæ feriâ pauperibus ſeptem millium numerum ſaltem adimplentibus lautum inſtruitur convivium, dulcis pulsvocitatum, quamvis propriè hac voce non niſi ultimum, quod poſt opiparas ex piſcibus dapes apponitur, obſonium ex piſis, panico, lentibus, aut alio legumine confectum indicetur. Hujus diſtribuendæ pultis originem narrabant Balbino (a) ſenes, ùt à patribus acceperant, à quadam matrona duci, quæ pupillorum Dominorum de Nova Domo curam gerens, cùm in extruenda Arce annos plures inſumeret cum magna ſubditorum in eo labore deſudantium moleſtia, feſſos ſolari conſveverat, dulcem pultem (phraſis hæc erat veterum ad epulas invitantium) poſt conſummatum opus ſæpius pollicendo: quod etiam fideliter præſtitit, ſtatuens præterea, ut ſolenne illud convivium in ſeros nepotes quot annis inſtauraretur, cúmque autumni tempore, quo Arx apicem attigerat, id primitus fieri ſoleret, aptiùs poſtmodùm loci Dominis viſum ad prædictam diem hoc epulum transferre, qua nimirum paupere à quibuſdam ditioribus Chriſtianis lautiori cœna excipiuntur. Memoratam verò matronam eandem prorſus eſſe credebant, quæ ſub notiſſimo omnibus accolis ſpectro hujus Arcis viciniam, ipſamque Arcem, affixo interdum ad cingulum clavium faſce, ſæpiſſimè obambulat, & ob veſtium, quibus tegitur, candorem Alba Domina nuncupatur. Teſtes ſunt aliquot Societatis Jesu Patres, aliique quamplurimi omni exceptione majores, ex quibus unus tunc Olomucenſis Contubernii Regens, poſtea Clementini Collegii Rector non ſemel præcitato Balbino affirmavit, vidiſſe ſe Albam Dominam meridie, cùm è feneſtra Arcis ſubjectam Urbem Novodomenſem, & in ea forum contemplaretur: albam fuiſſe totam, operto etiam tæniis albis capite, proceram, & modeſto vultu ſtetiſſe; quæ cùm omnium digitis oſtenderetur ex foro, ſeque aſpici adverteret, minor ſemper, ac minor facta tandem deſierit apparere. Claudat demum hujus Urbis memorabilia, quod fortè reliquis præire debuiſſet, primarium ſcilicet Dei Genitricis Templum ob altiſſimas fornicum ſuſpenſiones, & auguſtam partium ſymetriam ab architectonices peritis ſummopere dilaudatum.

(a) Miſcel. Boh. dec. 1. l. 2. c. 15.

OSSECANUM COENOBIUM.

OSſecanum Cœnobium in Litomericenſi florens Diſtrictu ſacro Ciſtercienſium Ordini erexit anno 1207. Slavicus Bilinenſis Comes; namque Ottocarus I. Bohemiæ Rex, quem aliqui conditorem vulgant, ſuo diplomate tantummodo ſtabilivit: ſed anno 1421. adorti illud Pragenſes, cùm inquilini eos adventare præmoniti in propinqua nemora jam evaſiſſent, converſo in lapides furore, nec ſpeciosâ tanti

ædi-

ædificii gratiâ deliniti, nec ſumptuoſa majeſtate deterriti ferales faces eidem ſubjecere. Reverſis paulò pòſt ad Monaſterii buſtum Religioſis, recruduit & in Hæreticis rabies, qui anno 1429. improviſò regreſſi, plurimos Romanæ Religionis ergò inviſos trucidarunt, quorum laureas Ciſtercienſe Menologium his verbis commemorat: *Apud Bohemos paſſio Beatorum Martyrum Sanctæ Mariæ de Oſſek Ord. Ciſtercienſis, qui in confeſſione fidei conſtanter perſiſtentes, immaniter interempti cum palma martyrii victores evolarunt in Cœlum.* Deſertum poſthac diu jacuit Cœnobium, poſtremis tamen temporibus novam, eamque magnificam induit faciem, Templo antiquam dignitatem obtinente.

PARDUBICIUM.

PArdubicium vulgò Parduwiz Chrudimenſis Diſtrictûs ad Albim Civitas 12. milliaribus Pragâ diſtans, ſi non ob amplitudinem, ob venuſtiſſimum certè domorum ordinem ſingularibus celebrari laudibus promeretur. Hujuſmodi ornatûs authores fuere Perenſteinii Proceres, quorum ſumptuoſiſſima Arx Urbi addita, velut gemma aureo annulo inſerta renidet. Præ reliquis emicat inibi turris inauratis eleganter pinnis redimita, ita ut apud Bohemos in proverbio ſit, rem aliquam ad inſtar Pardubicenſis turris irradiare. Venuſtati ſociata munitio neque illi officit, neque ab ea viciſſim labefactatur; cujus rei clarum nobis argumentum offert annus 1645., quo à Dorſtenſonio Svecorum Archiſtratego acriter oppugnata, & injecto per machinas igne ſuccenſa, hoſtium minas generosè irriſit, vireſque uſque ad eorundem deſperationem fatigavit. Ditio hæc Pardubiciorum quondam Equitum, pòſt Koſtkarum, & Perenſteiniorum, emptione demum ad Regis Cameram pervenit, & ſanè eam Rege dignam deprædicant tum frequens in ſaltibus venatus, tum opulenta, & voluptuoſa piſcatio; quadringentæ enim circiter piſcinæ, quarum una ad tria milliaria diffunditur, ibidem numerantur deductis magno impendio canalibus repletæ.

PILSNA.

PIlsna, ſeu Pelſina vulgò Plſen duplex eſt, Vetus nimirum ſub Radinio Caſtro anno 775. primùm condita, & ab effoſſa ibidem limacum copia, quos Plze Bohemi vocant, nomen mutuata; apud quam anno 976. caſtrametatus Otto II. Imperator à Boleslao Pio Bohemiæ Duce ſubitò irruente acciſus ſtationem ſuam ægerrimè propugnavit. Verùm ea jam in Pagum tranſiit, Cives enim ad locum indè unò, Pragâ verò 10. milliaribus diſſitum à Joanne Bohemiæ Rege invitati conceſſere, ubi eorum induſtriâ, Regioque favore elata nova Pilsna Regia, celebriſque Urbs inter Mizam, & Cadburzem amnes, tuto à natura loco ſplendidè aſſurrexit, ab Imperatoribus Sigiſmundo, & Ferdinando immunitatibus, opibuſque deinceps illuſtrata. Hæc quidem anno 1417. primum Ziskæ aſylum præbuit ex perturbata jam Pragenſi Metropoli recedenti, pulſiſque Catholicis Civibus pro ejus poteſtate regebatur, ſed anno 1420. eò per Bohuslaum Swambergicum Urbe excluſò glorioſa audiit hæreſeos omnis triumphatrix: ſiquidem memorati ſeculi anno 21. ab ipſo Ziska ſeptendecim dies, anno 31. à Procopio Raſo cum Pragenſibus, Taboritis, & omnium pene Bohemicarum Urbium ſubſidiis, atque anno 33. ab iiſdem majori adhuc conniſu obſeſſa, ſemper invicta frendentium hoſtium machinationes fœliciter contempſit, nec quidquam altius Hæreticorum animis inflixit vulnus, quàm amarum illud convicium quod Pilsnenſes ex mœnibus quotidie iterabant: videlicet à patibulo coram Civitate ſtante Huſſiticam ſectam vetuſtate ſuperari. Acerrima inter has obſidiones habetur poſtrema; eâ enim in ſequentem annum 10. menſibus protractâ fame evincere conabantur hoſtes, quod ferocibus aſſultibus aſſequi nequidquam tentaverant; cùm in his ſemper obſidentium ſanguine muri, foſſæque maximè rubuerint: jamque arctior in Urbe commeatus ſecuturæ mox deditionis metum Catholicis incuſſerat. Quare Concilii Baſileenſis Patres privata liberalitate magnam frumenti vim congregarunt, cujus partem Przibicus Clenovius, qui paulò ante à Taboritis deſciverat, apertâ ſibi per medios hoſtes viâ, partem alia die, deluſis ſtratagemate obſeſſoribus Pilsnam fauſto ſemper intulit eventu. Obſeſſi interim geminatis excurſibus Hæreticorum caſtra audacter vellicabant, in quorum uno camelum Poloni cujuſdam Belliducis (rarum id temporis animal, quod ille captum ex Pruſſia adduxerat) in Urbem raptarunt, ob quod egregium facinus Sigiſmundus Cæſar limaci, & cani, quæ Pilſnenſes in militari clypeo geſtabant, cameli effigiem adjunxit. Tandem Procopius acceptò Veteris Pragæ cum Nova digladiantis nunciò, ut huic ſuppetias ferret, obſidium diſſolvit. Non ita proſperè Pilsnenſibus res ceſſit anno 1618., quo Erneſtus Mansfeldius Ordinum Bohemiæ à Cæſare deficientium nomine Civitatem

hanc in binis partibus aggreſſus vi in eandem irrupit, & multis defendentium Civium cædibus replevit: anno tamen ejuſdem ſeculi 21. famoſus Cæſareorum Dux Tillius illam ad ſui Principis obedientiam deditione revocavit. Pilsnenſibus Templis præeminet inſignis D. Bartholomæi Baſilica inter totius Regni nobiliores recenſenda. Huic ſuppares ſunt aliæ Religioſorum Eccleſiæ, quarum una à S. Spiritu, poſtea à S. Margaretha denominata, cum adjacenti Prædicatorum Monaſterio Theobaldum de Kizenberg ab anno circiter 1300. ùt conditorem reveretur. Pilſnenſis vicinia duo egregia complectitur Cœnobia, unum nempe, quod ſacris Præmonſtratenſis Ordinis Virginibus dotavit B. Hroznata ex Comitibus de Mielnik anno 1217. vitâ functus, & Chotieſſovium, quaſi ſponſarum Domum dici voluit; alterum Plaſſenſe à Wladislao II. Rege Religioſis Ciſtercienſis Inſtituti viris erectum: ambo poſt Ziskianum anni 1421. excidium decorè renovata. In ejuſdem Urbis territorio colligitur lapis ætites, qui alium in ſe lapidem callimum dictum continet intus agitabilem, & quia ab aquila ad promovendum partum adhiberi creditur, aquilinus appellatur.

PISECA.

PIſeca ſeu Arenaria vulgò Piſek, quod Bohemis arenam ſignificat, anno 760. in dextro auriferi amnis Vataväe ab iis incepta, qui auri puriſſimi ramentis ab arena ſecernendis operam dantes ibi commorabantur; qua etiam de cauſa à quibuſdam eruditis Urbs hæc Hammonia vocitatur. Indè ſenſim tum populi multitudine tum ædificiis, & munitionibus dilatata inter Regias Civitates aſſumpta eſt, ſpectatque ad Prachenſem Diſtrictum 13. milliaribus Pragâ recedens. Summis extolli laudibus meretur hìc triumphale Religioſorum ex D. Dominici Ordine martyrium, qui anno 1419. non primo furore, ùt aliàs contigerat, perempti, ſed habita ab Huſſitis optione, vel è veſtigio ad aras faciendi, licèt jam ſol ad occaſum properaret, & laicis ſub utraque ſpecie Hæreticorum ritu Euchariſtiam porrigendi, vel extremos inter cruciatus pereundi, heroicâ conſtantiâ, & à primis Eccleſiæ ſeculis nil degenerante, quamlibet acerbam mortem prælegerunt. Eorum verò Cœnobium ad S. Crucem ſub annum 1280. à Bohemiæ Regibus fundatum poſt extinctas hæreſes reviviſcens hodieque perſeverat.

PIWONCKA.

PIwonckanum Pilsnenſis Diſtrictûs Cœnobium monumentum eſt Brzetislai Bohemiæ Ducis, qui illud Dei Genitricis honori excitavit poſt famoſam victoriam contra Henricum Germaniæ Regem anno 1040. eo in loco, inter Hercynios ſcilicet ſaltus, fœliciter obtentam. Belli originem pugnæque eventum ab Ænea Sylvio (a) hæc eximiè perſtringente diſcamus: (a) Hiſtor. Boh. c. 19.

Brzetislaus, inquit, *Cracoviam armis captam funditus evertit, Gneſenium quoque metropoliticam Urbem diripuit, multorumque Martyrum ſacratiſſima inde corpora aſportavit, & crucem auream CCC. penſantem libras. Quod cùm Imperator Henricus ejus nominis Secundus accepiſſet, indignatus injuſſu ſuo Poloniam vaſtatam eſſe, Brzetislaum vel reſarcire Polonis damna, aut bellum exſpectare juſſit. Ille nihil ſe Imperatori, niſi tributum debere reſpondit, à majoribus inſtitutum (Pendebat autem Dux Bohemiæ Romano Imperio quot annis centum, & viginti boves, & argenti puri centum quinquaginta marcas) ſi quid ampliùs juſſerit Imperator à bono, & æquo recedere, ſe libertati gentis nihil detracturum. Imperator his auditis ex Ratiſpona in Bohemiam copias traduxit. Ingreſſus ſylvam, quâ Bohemiam cingi diximus, præciſis arboribus iter interceptum reperiens, milites viam ſecuribus aperire jubet. Magnus hic labor equiti, erant enim vaſtæ magnitudinis arbores, multaque robora incidenda, priuſquam via pateret. Ob quam rem quum jam opere peracto ad interiora perveniſſent, nec hoſtis in conſpectu uſquam daretur, feſſi, ac ſitibundi projectis armis flumina petunt. Brzetislaus ex inſidiis prodiens palantes, atque inermes aggreſſus, ſtragem haud parvam effecit. Imperator repentino commotus malo multis ſuorum deſideratis, fugâ ſalutem petit.* Nunc ad Cœnobium redeamus, quo primùm potiti ſunt Guilielmitæ, quibus anno 1266. cum S. Auguſtini Eremitis in unam Religionem coaleſcentibus, ad hos utpote leges, nomenque ſuum retinentes illud deveniſſe dicendum eſt; & licèt ab Huſſitis dirutum iis in prædam ceſſerit, rurſus tamen nitori ſuo redditum de Hæretica impietate hodieque triumphat.

PLANA.

PLana Urbecula eſt Pilsnenſis Diſtrictûs Pragâ 16. milliaribus abſens Sebergiorum quondam Procerum, dein Schlickiorum ditio, quos aliquando admodùm ditarunt propinquæ argentifodinæ S. Annæ patrocinio peculiariter demandatæ. Commemorat earum divitias Agricola, (b) & alio (b) De vet. & nov. metal. l. 2.

alio in loco ita de iisdem differit: *Ad Planam Bohemiæ Oppidum sunt nonnulli specus, qui quibusdam anni temporibus halitum ex acidulis emittunt lucernas extinguentem, & fossores diutius in eis morantes, necantes.* Testis item est hic author, carbunculos in Planensi vicinia reperiri; quod subjunctis verbis exposuit: (a) *Arenæ fontium, & rivorum lavantur, & quidem ut carbunculi carchedonii eximi possint fontis, qui est in Bohemia inter arcem, quam Regiam speculam vocamus, & Planam Oppidum.*

(a) Fossil. l. 6.

PRACHATICIUM.

PRachaticium vulgò Prachatice Civitas est ad Prachensem Districtum pertinens, limiti Bavarico proxima, & Pragâ 16. milliaribus remota. Wissehradensi Præposito antiquitus suberat, sed libertate postmodùm donata Crumlovienſium Ducum tutelam nihilominus admisit. Ampliſſimum hìc patuit Ziskianæ feritatis theatrum; vix enim alibi Bohemicus ille Nero adeò immane, & atrox edidit spectaculum. Annus fluebat 1420., quo Ziska, cùm dedi sibi Prachaticium imperasset, neque id ab Orthodoxis Civibus obtinuisset, in furias actus toto copiarum suarum impetu muros adoritur, negatàque implorantibus veniâ, in Urbem irruens potiorem Civium partem primò cædit, aliis super alios in cadaverum acervum prolabentibus; mox Templum petens, quò Sacerdotes, ac promiscuum vulgus cum fœminis & infantibus sacro freti asylo confugerant, suppositò igne unà cum tanto innocentum numero immitibus flammis delevit, acerbissimam ingeminans irrisionem: *Sic nos Catholicorum cædibus oportet implere omnem justitiam.* Addit his synchronus quidam author tria insuper hypocausta Civibus repleta in cineres concidisse.

PRZIBRAMUM.

PRzibramum Urbecula est Podbrdensis Districtûs, præterfluentis Muldavæ crepidini 7. supra Pragam milliaribus incumbens. Villa hæc primùm fuerat Dynastæ cujusdam nomine Przibral, anno 755. erecta occasione fodinarum, quas argenti gravidas ibidem repererat, à Libussa magicis artibus deditissima ante 22. annos indicatas; dein aperientibus sese indies largiùs pretiosi metalli venis, cœperunt cupidi mortales affluere, & extructis ædibus locum ampliare, donec tandem accedente Regum placito in Civitatem evaserit. Locupletem hanc, pulcherrimamque ditionem Ernestus Pragensis Antistes à Caroli IV. generositate pro Ecclesiæ suæ patrimonio dono acceptam, nobili Arce sub annum 1341. à se condita exornavit, cui ab Hæreticis quondam dejectæ Matthæus Archiepiscopus paucis abhinc lustris decora reparatione subvenit, Civitate tamen ad Regium Fiscum jam pridem devolutâ, & illi etiamnum subjacente. Przibramensia insignia, quæ Pragensis Metropolitanæ chorum repræsentant, præmium sunt operæ in illius emolumentum liberaliter navatæ: merita enumerat Zbygnæus Archipræsul in literis anno 1406. exaratis, videlicet *Przibramensium Civium ope, debita maxima Archiepiscopatus Pragensis exsoluta, eorum impensis, & pecuniâ Cathedrale S. Viti Templum è ruinis iterum surrexisse, & Przibramensi Civitati restituta illius sumptuosissimæ Basilicæ gloriam deberi.* Privilegia autem omnia à Regibus huic Urbi collata longè post se reliquit rara Ferdinandi I. Cæsaris gratia, qui jus asyli eidem concessit, ut nempe quivis ex terris Imperio Romano, vel Bohemiæ subjectis ob debita, aliasve causas (furtum, aliudque maleficium excepit) ad illam confugerit, non ampliùs indè avelli, non in carcerem conjici, nec ullâ aliâ pœnâ possit molestari, idque cum reliquis immunitatibus ratum habuit Ferdinandus II. *hac de causa*, ut ipsemet dictavit, *quòd post victoriam Pragensem Przibramenses fidei Catholicæ accesserint primi.* Occiduam territorii plagam circumvallant montes ita argento fœti, ut fodinarum, quæ â Przibralli ævo patuere, calculus iniri nequeat, quòd annis propè singulis novæ, ac novæ inventæ ferantur; certè uno eodemque anno 1553. in earum triginta fervebat fossorum labor, unde mirum videri desinet, indè ad annum usque 1584. supra quinquaginta quinque argenti centenarios ex Przibramensibus fossis in Regium ærarium transmigrasse, quamvis jam tunc cœperint proventus imminui, montesque â cultoribus deseri, donec totum ferme opus penitus interiret; Balbini tamen recentis scriptoris tempore in S. Josephi, ùt vocant, fodina adhuc maximè sudabatur. Fœlicius igitur est ab Oriente Przibramum, ubi inexhauribiles cœlestium gratiarum fodinæ perpetuò referantur, quas scilicet Misericordiæ Mater etiam prodigiis consignatas supplicibus elargitur: surgit enim ab ea parte mons, quem Sanctum vocant, ejusque nominis originem ad nobilem quendam Equitem nonnulli referunt, quem venandi gratiâ nemora ingressum adorti ex insidiis prædones, fugatò famulitiò, Dominum, ubi major prædæ spes, unicè petunt; cúmque nulla adesset effugii via, nullum in armis contra adversarios præsidium,

Eques positis humi genibus Deiparæ opem ardentissimis suspiriis implorat, atque exauditus à latronum oculis momento evanuit, ita ut quamvis densati circa eum locum errarent, ubi is consisteret, videre nequiverint. Incolumis itaque Eques sospitæ suæ Templum extruxit, propter quod Sancti cognomen monti accessit; idque ante quinque circiter secula memorant accidisse. Aliorum autem est opinio, montem hunc tum à frequenti, & divinitus immissa luce, qua per noctes frequentissimè micabat, tum ab aliis quibusdam portentis (ùt, quòd cœlestis formæ pueruli candidissimo in habitu cum accensis faculis eum locum obire visi sunt) id tandem à populo meruisse, ut Sanctus diceretur. Quidquid de his sit, montem hunc hodie consecrat Sacellum viginti duabus ulnis in longitudine, & ferè duodecim in latitudine extensum, nec nisi septem in altum elevatum, quod, utì illud depingit Balbinus, (a) plus vetustæ simplicitatis, quàm elaboratæ ostentat elegantiæ; sed pretiosissimum tamen recondit pignus, bicubitalem nempe Beatissimæ Virginis miraculis claræ, Jesulum in siniſtra gerentis statuam, quam Archiepiscopus Ernestus in Przibramensis Arcis Odæo primus coluerat, unde tumultuum tempore, quos in hac Urbe intra paucos annos à se quater expugnata Hanussius de Kolowrat excitarat, pii alicujus hominis cura, ut illam à periculo subtraheret, in Parochiale S. Jacobi Templum asportavit; at cùm paulatim hæreseos dogmata Civibus arriderent, in Suburbanam S. Joannis Ecclesiam Divæ nostræ effigies abjecta est potiùs, quàm translata; neque hìc diuturnam figere potuit stationem; nam Templo hôc ignibus fœdatô, ideoque collabente, ad Sancti hujus Montis Sacellum ultimò ascendit; quò etiam secutus eam est postea sacratus lapis, in quo prælaudatus Præsul divina peragebat, ubi hodieque summæ aræ substratus sacrificantibus inservit. Gravissimas hìc pertulit injurias ab Heterodoxorum militum petulantia Mitissima Dei Mater, sacrâ etiam Ædiculâ à Saxonibus in stabulum conversâ. Quare fimo oppleta squallebant omnia, donec Neopragensis quidam mendicus ætate gravis, oculisque orbatus Joannes Prochazka nomine anno 1632. repetitis sæpius venerandi cujusdam viri per noctem apparentis monitis, minisque adactus, puero nepote suo duce ad S. Montem proficiscitur, ablatis sordibus expurgat, lævique oculi usum, dextro in sua cæcitate permisso in præmium recuperat. Dein fixô ibi domicilio, cùm aliquando siti æstuaret, & prolixum ad Suburbia descensum longæva senectus non nisi ægerrimè ferret, tentatâ ligone humô in limpidissimum incidit fontem, ex quo perennis etiamnum exsilit aqua ægrotis, præsertim visu laborantibus salutaris. Hujus tanti miraculi famâ citò, ùt fit, ac latissimè pervagatâ, & iteratis à D. Virgine gratiis auctâ, cœpit Mons crebra peregrinorum pietate frequentari, quibus ut maximum illud solatium, quo conscientia noxis expiata perfunditur, semper præstò esset, anno 1647. postulante Podbrdensi Nobilitate, & Ferdinando III. pientissimo Cæsare libenter annuente, Societati Jesu Mons Sanctus donatur, ubi erecta ejusdem Residentia Collegio subjicitur, quod Brzeznicii Prachensis Districtûs Urbe binis ferè milliaribus indè distante, loci Dominus Adauctus de Augezd cum magnifica Divi Ignatii Ecclesia benevolè excitavit.

(a) Histor. S. Montis l. 2. c. 9. §. 4.

RACOUNICIUM.

RAcounicium sive Racona vulgò Rakownik Urbs modica, & mediocriter munita, exigui Districtûs Caput, sex milliaribus Pragâ in Occasum removetur. Nomen à cancro, quem propterea in insigni gestat, obtinuit; is enim Bohemis Rack nuncupatur. Saxonibus, Sveciſque Bohemiam depopulantibus, multiplici ærumna, utì & reliquæ per Bohemiam Urbes, pressa sæpius ingemuit. Immunitates quidem aliquas Regiis, liberisque Civitatibus proprias à Joanne Rege anno 1319. acceperat, sed omnimodam libertatem consecuta primò est anno 1588., cùm antea à Regia Camera dependeret. Non procul Racounicio trans Mizam fluvium insignem condidit Arcem Wladislaus I. Regii thesauri custodiæ, magnorumque Principum carceri destinatam. Inter hos memoratur Otto Moraviæ Marchio, Henricus Joannis Regis Cancellarius, aliusque Henricus Archidux Austriæ; qui dum quoddam Arcis conclave ingrederetur, ubi præcipuorum Europæ Principum clypei pendebant, immotis cæteris omnibus, Austriacus in pariete cum iis suspensus fertur ante Henrici pedes procidisse. Antiquum Arci nomen Krziwoklad: nunc Burglays, seu Pürglitz dicitur. Obsidet eam sylva, ex qua singulis annis ingens lignorum multitudo, secundo flumine Muldavam subeunte, Pragensi Tripoli suppeditatur.

RAUDNICIUM.

RAudnicium peramplum Slanensis Districtûs Oppidum, venustius quondam & opulentum, ab Ernesto Archiepiscopo muris cinctum quinque milliaribus Pragâ di-

distat, adnexamque habet Arcem ab eodem Præsule pulcherrimè ornatam, cujus tanta olim erat firmitudo, ut quodvis militare robur retundere posse jactaretur; assilientium tamen militum virtute Rex Georgius anno 1466. captam, incensamque solo æquavit. Ditioni huic olim dominabantur Pragenses Archiepiscopi, postea Smirzicii Proceres, tum Rosembergici, tandem Lobkovicii, ex quibus Princeps Wenceslaus memoratam Arcem pereleganter restituit. Magnificum quoque hìc opus Rex Joannes Lucemburgicus extruxerat, solidum scilicet è grandi saxo pontem, quo præterfluentis Albis littora colligavit, adjectis Nosocomio, & Hospitali pauperibus Domo: neque in his metas posuit suæ munificentiæ, nam locuples etiam Collegium pro viginti Canonicorum Regularium alimento ibidem dotavit: sed Ziska Religiosorum sanguinem maximè sitiens, anno 1421. Raudnicium ingressus, visâ nobilissimâ Deiparæ Basilicâ, in eam involat, ubi Waldemarô Præpositô à militibus primùm cæsô, complures Canonicos idem fatum involvit, paucis duntaxat in subterraneis quibusdam latibulis à truci illius tigridis rictu subductis. Despectat hanc Urbem S. Georgii mons, qui magnete abundat mundi polos quidem indicante, sed ferrum non attrahente.

REGINOHRADECIUM.

REginohradecium vulgò Germanis Königingrätz, Bohemis Kralowohradecz vasti sui Districtûs Metropolis 13. milliaribus Pragâ absens in editiori, ac peramœno assurgit solo, quod rigat Albis Bohemicorum fluminum Princeps, ubi ab Aquila amne novis undis ditatur. Ex Castro (id enim hradecz vernaculè sonat) anno 782. Civitas evasit à Dynasta quodam Dobroslao condita, nunc elegans, & populosa. Summam huic peperit gloriam primum totius Bohemiæ Templum istic excitatum, quod antiquissimus, iisque temporibus proximus scriptor Christannus Boleslai I. Ducis filius in S. Ludmillæ Vita apud Balbinum excusa, post narratam Borzivoii Bohemiæ Ducis ad Christum conversionem per S. Methodium apud Moravos obtentam, his verbis testatur: *Mane facto*, Methodius *ipsum Ducem cum suis triginta, qui advenerant, catechizans, peractis jejuniorum ex more solenniis, sacrosancto baptismatis fonte innovavit, plenitérque eum de fide Christi instruens, multis locupletatum donis ad propria redire concessit, tribuens ei Venerabilis vitæ Sacerdotem nomine Caich, qui reversi in sua, in Castello, cui vocabulum inerat Hradecz, supradictum Sacerdotem statuunt, fundantes Ecclesiam in honorem B. Clementis Papæ, & Martyris.* Templo huic post multa secula additum est Sacri Prædicatorum Ordinis Cœnobium, quod qua ratione abolitum, & in Curiam conversum sit, historicos latet. Plura tamen adhuc Templa hæc Civitas complectitur, quorum primarium Spiritui Sancto dicatum Archidecanatu olim, nunc Episcopali fulget dignitate anno 1664. à Summo Pontifice Alexandro VII. instituta. Inter cætera recensentur S. Joannis Baptistæ, & Beatissimæ Dei Matris Templa ad Minores S. Francisci, & Jesu Societatem pertinentia. Ditionem hanc Brzetislaus Dux anno 1055. Jaromiro filiorum natuminimo ad Pragensem Insulam jam destinato, & Wladislaus I. anno 1115. Sobieslao fratri contulere: sed posteriori ævo Bohemiæ Reginis dotis titulô attributam à dotalium Urbium albo nemo ampliùs expunxit; unde exorta prima nominis pars Reginohradecio hactenus adhæret. Multis interea bellorum fluctibus agitata Urbs non leviores, quam aliæ per Bohemiam sparsæ, sustulit calamitates, quas chronologiâ duce in brevem de more redigam synopsim. Anno 1420. Heterodoxi præsidiario milite, quo Sigismundus Imperator Reginohradecium firmaverat, per stratagema elusô, atque interemptô, Urbem expugnant, quam à Ziska occupatam ægrè ferentes Hæretici Pragenses anno 1423. Suburbiis exercitum admovent, quasi illum ad certamen provocarent, neque hìc diu cunctatus in campum prodiit, tantaque strage hostes accepit, ut pauciissimi evasisse ferantur, cæcâ fortunâ cæco etiam Ziskæ singulariter favente. Anno 1628. Rusticorum turba ex toto pene Districtu repentè coaluit, qui Præfectorum avaritiam suo furori prætexentes raptis, quæ occurrerant, armis regionem fœdé vastabant, pingui præda ex Catholicorum præsertim bonis sæpius avectâ; sed utì Balbinus loquitur, carpebantur paulatim, ùt aves autumnales in aucupiis, ac primò Kostelecenses, & Czastolovicenses Cives aliquam eorum partem, aut gladio confoderunt, aut carceri mancipaverunt, reliquâ à legionariis militibus Pragâ submissis protinus dissipatâ. Anno 1621. & ejusdem seculi 40. Cæsarei è rebellium, & Svecorum manibus arcta obsidione non modò Urbem extorsere, sed eam sunt adeò fortiter tutati, ut anno 1645. Dorstensonius hostium Archistrategus Reginohradecium incassùm aggressus nil nisì ignominiam indè reportaverit. Arx quoque Civitati adjacet lateritio opere non ineleganter primitus ædificata, sed anno 1423. à Civi-

bus ipſis, ut Ziskæ gratiam aucuparentur, everſa ſui reparationem hiantibus ubique muris etiamnum implorat.

ROKYCZANUM.

ROkyczanum vulgò Rochyzany Urbs olim Archiepiſcopalis, nunc Regia & Praga 8. milliaribus remota in clivoſa ferè, & ſylvoſa, feraci tamen clauditur regione ad Pilſnenſem Diſtrictum pertinente. Hæc mundo dedit famoſum illum Hæreticorum Patriarcham Joannem Rokyczanum à Georgio Rege ita adamatum, ut hic cor ſuum apud Joannis cineres recondi juſſerit. Splendidum iſtic Collegium Regularibus S. Auguſtini Canonicis magnanimus ille Præſul Erneſtus circa annum 1349. excitaverat: verùm Ziska ad ſacrarum Ædium excidia natus anno 1421. Urbi appropinquans admitti à Civibus poſtulat, nihil hoſtile ſe in eam moturum pollicitus, dummodo feſſus tot præliis miles ſubminiſtratis alimoniis tantiſper recrearetur. Annuunt Rokiczanenſes, & ingreſſas Ziskæ copias inſtructis per domos menſis opiparè excipiunt. Saturi jam Taboritæ in prædictum Collegium toto impetu feruntur, Religioſos è trabibus ſuſpendunt, & ex iis canum notiſſimæ virtutis ſenem vaſi picato incluſum barbarè ſuccendunt, dein conversâ in ſupellectilem, & Domum rabie cuncta deprædantur. Hæc intuiti Cives Ziskam adeunt, & datæ fidei meminiſſe velit, comiter admonent, ille reſponſi loco expilari Civitatem jubet, quo de more id eſt crudeliſſimè peracto, exercitum abduxit. Civibus interea in hæreſim per duo deinceps ſecula prævalentem lapſis, Templumque occupantibus, nunquam licuit Canonicis ſuas Ædes reviſere, quarum extantia hodieque rudera antiquam operis magnificentiam demonſtrant.

SEDLECIUM.

SEdlecenſe Ordinis Ciſtercienſis Monaſterium in Czaslavienſi Diſtrictu prope Cutnam ſitum Danieli de Lippa Pragenſi Epiſcopo velut conditori ad annum 1149. Hageeius adſcribit, ſed refragatur apud Balbinum Euſtachius, ſexennio priùs à Dynaſta quondam Miroslao ejuſdem exordium duci, ex originalibus Sedlecenſium literis liquidò declarans: quæ diſcrepantia illico tolleretur, ſi aſſeri poſſet, Miroslaum initium poſuiſſe, Danielem verò majori incremento cœptum opus coronaſſe. Veterem hujus dignitatem, & ſummam apud circumſitos populos æſtimationem loquuntur & hodie referta humanis oſſibus cœmeteria, & celebris illa ſpatioſaque oſſuaria, in qua ſtant longo ordine prælta oſſium mœnia velut in acie diſpoſita, & plateolis diviſa, quæ locum obeuntibus commodum ubique tranſitum aperiunt; ingens ſiquidem mortalium copia non modò ex Bohemia, ſed ex adjacentibus quoque Provinciis ad hoc unicè aſpirabat, ut poſt mortem Sedlecenſi terræ mandaretur. Miræ hujus frequentiæ cauſam nonnulli opinantur fuiſſe binas ſodalitates, nempe Sanctiſſimi Chriſti Corporis, & Dominici Sepulcri ibidem florentes, quas Bonifacius IX. Summus Pontifex à ſe confirmatas plurimis, ùt vocant, indulgentiis rariùs eo tempore concedi ſolitis locupletaverat. Verùm alia, eaque potiſſima ab aliis adfertur ratio; quòd ſcilicet totum illud, quamvis vaſtum cœmeterium terrâ ex Paleſtinæ oris advectâ non ſolùm conſperſum, ſed penitus repletum eſſe omnibus conſtaret, & magnum iis prodigium videretur, condita inibi cadavera intra diei ſpatium, relictis tantùm candidiſſimis oſſibus, conſumi. Tot tamen mortuorum phalanges nihil metuens Ziska, anno 1421. eorum potiùs numerum auxit, quando immiſſis in illud militibus, veriùs orci ſatellitibus, Religioſorum magno ibi numero cæſorum ſanguine pavimenta natabant; in comperto quippe eſt, quingentos circiter divinis laudibus diu, noctuque continuatis in eodem Cœnobio vacaſſe. Patratâ tot inſontium cæde Taboritæ pulcherrimæ B. V. Eccleſiæ, & auguſtæ ædificii moli faces ſubjiciunt, invito licèt Ziska, qui ſaltem in lapides ſemel miſericors, adeò præſtanti, amplæque fabricæ jam parcere decreverat; quare viſis flammis, ac ſi rem ſibi gratam ſpectaſſet, proclamari confeſtim juſſit, ut quiſquis primus ignem admoviſſet, magnam pecuniæ vim in præmium recepturus adveniret, cúmque ſacrilegus adeſſet, liquatum aurum, argentumque mandante Ziska in ejus os infuſum eſt, donec occluſis faucibus expiraverit. Poſt enervatas tamen hæreſis vires nobile hoc Cœnobium, etſi priſtinam dignitatem haud aſſecutum, ſplendidè tamen innovatum reſurrexit.

SLANA.

SLana vulgò Slaney Urbs cognominis Diſtrictûs primaria, quondam Regia, & opulenta poſtea Comitibus de Martiniz ſubjecta, Pragâ 4. milliaribus ſolummodo abeſt. Illius natales in annum incidêre 750., quos Nezamyslo Duci debet; hoc enim præcipiente, veteres ſalis coctores in vaſti montis radicibus, ex quo ſalſæ aquæ fons in ſalinas derivatus exſiliebat, eandem exci-

excitavere: neque eo paulò poſt exareſcente, aut ſecundùm alios ab invidis Zatecenſibus irreparabiliter obſtructo, aliò profecti ſunt, ſed ad agrorum culturam, atque parandam cerviſiam curas, animumque converterunt. Hinc creſcente indies commercio, etiam Civium augebantur divitiæ, Urbiſque gloria eò latiùs refulgebat. Luſit tamen more ſuo fortuna læta triſtibus funeſtans; anno quippe 1371. cùm celebres ibidem nundinæ Pragâ, & ex aliis Urbibus magnam advenarum multitudinem invitaſſent, exortum repentè incendium tanta velocitate domos omnes corripuit, ut duo hominum millia interjerint, aut ab igne exuſta, aut ob ingentis populi ex portis turmatim erumpentis compreſſionem ſuffocata. Alterum infortunium idem fuit, quod tota deflevit Bohemia, Huſſitica nimirum barbaries, qua graſſante, Slanenſis Urbs anno 1425. ab Orphanis proditione capta unà cum Collegiata, ùt vocant, S. Gothardi Eccleſia grave paſſa eſt excidium, Civibus, & Nobilitate ferrò, Senatu verò flammis deletò. Reſtauratam poſtea Civitatem exornant hodie bina Templa, Parœciæ ſcilicet, & Minorum S. Franciſci magnificè extructa.

SUSSICIUM.

SUſſicium vulgò Suſlyce Urbs Regia Prachenſis Diſtrictûs 15. milliaribus Pragâ diſtans à voce Bohemica ſuſſiti, id eſt latinè ſiccare, nomen ſumpſit; auri enim ramenta ex propinquo amne Vatava collecta, crebriſque ablutionibus madentia ibidem exſiccabantur; cui labori non modicam utilitatem afferenti, cùm magna hominum frequentia cœpiſſet operam dare, effectum eſt, ut tenuis, qui antea extabat, Vicus in ampliorem formam dilatatus conſuetis Civitatum juribus à Mnatha Bohemiæ Duce anno 790. donaretur. His acceſſit poſteriori ætate ſub annum ſcilicet 1325. egregia S. Auguſtini Eremus à Joanne Rege, vel à pia potiùs Eliſabethæ Reginæ liberalitate extructa & novis cenſibus à Carolo IV. Cæſare anno 1360. largiùs dotata. Mirus hìc erumpit fons Wodolanka vocatus, qui præter probatiſſimam plurium pellendarum ægritudinum virtutem, id ſingulare habet, quod in communi agrorum & fontium ſiccitate, aquis jugiter abundet, & quod ampliùs mirere, ruſtici hauſtam tunc indè aquam in aridos ſuos puteos infundunt, certam eo pacto pluviam, quæ campos recreet, opperientes, neque ſpe ſua unquam falli dicuntur.

SKALENSE COENOBIUM.

SKalenſe Ordinis D. Benedicti Aſcetærium in Podbrdenſi Diſtrictu premit humum, quam olim conſecravit S. Ivanus ſeu Joannes Geſtimuli Dalmatarum Regis à Lothario I. Cæſare anno 845. in prælio cæſi primogenitus; hic enim remiſſò paternæ ditioni nunciò ſolitudinem quæſiturus, in qua Deo ſoli famularetur, Angelo duce ad Bohemiam tandem appulit, ubi diuturno tempore moratus plura incoluit antra, ex quibus hoc Skalenſe poſtremis 14. vitæ ſuæ annis virtutibus, ac prodigiis coruſcans maximè illuſtravit. Oſtenditur etiamnum in propinqua petra, quæ vernaculè Skale ſonans loco nomen indidit, ſpelunca, in qua S. Ivani flectentis, ſtantis, ac ſedentis veſtigia emollitis duriſſimis ſaxis divinitus, utì fertur, impreſſa incolæ venerantur. Poſt Sancti mortem, quæ ſecundùm Hagecium in annum incidit 910., Bohemiæ Duces Sacellum ſuper ejuſdem tumulum S. Crucis, Dei Matris, & S. Joannis Baptiſtæ honoribus devoverunt, ad quod Hazembergica, utì putatur, proſapia D. Benedicti Religioſos addito Cœnobio poſtmodum adduxit.

TABORIUM.

TAborium, vulgò Thabor, ſeu Hradiſtie 10. milliaribus Pragâ diſſitum Joannis Huſſi aſſeclæ, quorum 40. millia in Bechinenſis Diſtrictus monte à Tabernaculis Thabor dicto, convenerant, anno 1420. condidere, poſtquam Ziska Pilsnâ excluſus ad eos accedens, atque ad ſumenda arma, & validiſſimum eo in loco munimentum quamprimùm extruendum hortatus, ſe illis in Ducem obtuliſſet; approbatò enim conſiliò Hradiſtienſe Caſtrum primò occupant, Auſtam Urbem diruunt, dein ſinguli, ubi tabernacula caſtrorum more prius fixerant, domum excitant; quod cùm factum eſſet, ordinatiſſima, & plateis plurimis diſtincta Civitas apparuit. Hanc libertate donavit poſt ſtabilitum in Bohemia ſolium Sigiſmundus Imperator, & privilegiis ornatam Regiis Urbibus accenſuit. Surgentem adhuc Civitatem aggreſſus eſt Sigiſmundo jubente Udalricus Roſenſis Auſtriacis, & Bavaricis copiis ſtipatus, ſed Nicolaus Huſſus, qui clam ad obſeſſos irrepſerat, in obſidentes inopinatò erumpens, magna edita ſtrage fugavit. Neque plus profecit Sigiſmundi ſucceſſor Albertus II. Cæſar à Taboritis Caſimiro Polono faventibus rejectus

tus: ſiquidem hic anno 1438. cùm obſeſſam quadraginta diebus Urbem ſtrenuis interim aſſultibus tricies attentaſſet, deſperato quaſi rei eventu diſceſſit: monet tamen hìc Balbinus, Albertum non neceſſitate, ſed conſiliô eam obſidionem deſeruiſſe. Glorioſiùs Taboritarum pertinaciam fregit per Ducem ſuum Balthaſarem de Maradas Ferdinandus II. Imperator, eorum Urbe anno 1621. ad ſe Principi ſuo ſubmittendam acri obſidione compulsâ.

TEPLA.

TEpla Urbs eſt Diſtrictûs Pilsnenſis adnexo Præmonſtratenſium Monaſterio ſubdita, & 13. milliaribus Pragâ recedens. Fundavit id B. Hroznata è Comitibus de Mielnick poſtea Guettenſteiniis año 1217. martyrii palmam adeptus, terram ipſe è ſolo eggerens, dum extrueretur. Tradunt pervetuſti Candidiſſimi Ordinis annales, conſummatô jam Cœnobii ædificiô Chriſtum Dominum Beato Conditori per quietem apparuiſſe, dixiſſeque: *Hroznata audivi orationem tuam, & elegi domum iſtam mihi in domum ſacrificii*; ſolemnem tamen Eccleſiæ conſecrationem ad annum 1232. differt Balbinus, quo eam Joannes Pragenſis Epiſcopus Beatiſſimæ Dei Genitricis honoribus conſvetis ritibus addixit, & ùt in veterum faſtis conſignatum legitur, toto eo die, quo dedicatio celebrabatur, ſtella miri ſplendoris Templi culmini impendens conſtanter rutilavit. Quænam furentium Huſſitarum tempore iſtic fuerit rerum facies, ambiguum mihi eſt, nec, quò me vertam, proſpicio; in bivio ſiquidem me deſerit, fidelis aliàs per Bohemiam dux Balbinus (a) cùm in rerum Bohemicarum Epitome aſſerat Teplenſe Cœnobium à Taboritis incenſum, & funditus everſum; in miſcellaneis (b) autem à Svihoviis Guettenſteiniis, aliiſque Catholicis Proceribus contra eoſdem fortiter defenſum diſertè affirmet. Quidquid de his ſit, floret hodieque nobiliſſimum Cœnobium multis à natura donis locupletatûm; in illius enim fundis ſeculo decimo ſexto repertæ argentifodinæ, & ingenti foſſorum frequentia excultæ magnam metalli copiam liberaliter obtulerunt, ex quo conflatæ plurium Sanctorum ſtatuæ, cruces, aliaque hujuſmodi Templorum ornamenta noſtra etiam ætate perdurant; ſed hæreſis, & bellum hæreſis proles perutile illud opus interturbavit. Ejus tamen vices videntur expleviſſe inventæ poſtea ferri optimi fodinæ, & antimonium vi, & efficacia Hungarico par ibidem effoſſum. Dicuntur præterea facilè ſexaginta aciduli fontes illam ditionem irrigare.

(a) Lib. 4. c. 7.

(b) Dec. 1. l. 4. part. 1. §. 110.

TEPLICIUM.

TEplicium vulgò Teplice Litomericenſis Diſtrictûs Urbs ob vicinas thermas famoſiſſima 10. milliaribus Pragâ removetur. Detectæ eæ ſunt anno 762. anſamque dedere accolis Caſtrum duplici ſepimento cinctum ibidem exſtruendi, quod ſenſim in commodam excrevit civitatem. Earum naturam, virtutes, atque uſum latè deſcribunt Archiatri, quorum maximè intereſt; hìc verò abundè de iis dictum fuerit, ſi Kircheri encomium adduxero, quod ita ſe habet: *Thermæ Teplicenſes in Bohemia ſulphure, nitro, alumine, bitumine, & ſaxo calcarico conſtant: nullum eſt fermè morbi genus, cui non proſint.* Mirum eſt, quod de iiſdem tanquam communi fama compertum prodidit Dreſſerus, videlicet, cùm olim quæſtui haberi cœpiſſent, aquam evanuiſſe, donec impoſitum vectigal abrogaretur. Apud has thermas prima Wladislai Ducis conjux Gertrudis S. Leopoldi Auſtriæ Ducis filia, vel ùt alii malunt, ſecunda Juditha nomine ſacris D. Benedicti Virginibus anno 1146. Parthenonem excitaverat, ampliſſima Teplicenſi ditione iis in dotem aſſignata, ſed Huſſiticus turbo illud ita proſtravit, ut ne minimum quidem Cœnobii veſtigium ibi liceat obſervare. Dives autem Urbis dominium Georgius Rex Wrzeſoviciis Equitibus anno 1467. in perpetuum tranſcripſit, quibus Chinskii, & Comites de Clari deinceps ſucceſſerunt.

TETINUM.

TEtinum Caſtrum eſt Podbrdenſis Diſtrictûs in alta abruptaque petra ex Mizæ fluvii littore aſcendente 5. milliaribus Pragâ diſtans, & ob inſignes potiùs venerandæ vetuſtatis memorias, quàm ob præſentem dignitatem celebrandum. Erexit illud anno 712. juxta Hagecii Chronologiam Tetka Croci Bohemiæ Ducis filia, & Libuſſæ poſt Crocum patrem imperantis ſoror; ſacravit verò Borzivoius primus Chriſtianus Bohemiæ Dux cum conjuge S. Ludmilla, qui abdicatis mundi deliciis, depoſitiſque Principatûs inſignibus uni Deo in hac Arce vacabant, cúmque maritus ante Ludmillam obiiſſet, hæc à Drahomira nuru Catholicam religionem averſante per ſubmiſſos ſicarios confecta glorioſô martyriô vitam coronavit. Caſtrum hoc ab Huſſitis anno 1422. ferrô, flammiſque vaſtatum propendentibus in ruinam muris, ne prorſus concidat, nunc ægrè prohibetur.

TIE-

TREBONA.

TRebona vulgò Trzebon ſeu Wittengau Bechinenſis Diſtrictûs Urbs cum Arce nobiliſſima 15. milliaribus Pragâ in Meridiem abſcedit. Arcem, quam pretioſiſſima bibliotheca aliquando condecorabat, primò extruxit anno 1482. Wokus Roſenſis, eamque juxta illius ævi regulas ita vallavit, ut inter meliores, & totius Bohemiæ munitiores haberetur: Civitatem verò anno 1506. Petrus Roſenſis foſſis, propugnaculis, atque hujuſmodi molibus cinxit, ne prædictæ Arci ampliùs invideret. In ampla jacet planitie per paluſtre ſolum explicata, quod ſubterraneum hoſtibus acceſſum reddit difficillimum. Magnis nihilominus impendiis Roſenſes Proceres Urbem totam cum Arce ſuffoderunt, admiſſis ſubter lacunis, & firmatis ſupra ſolidiſſimos palos à putredine immunes ædificiis. Ad fallendos autem hoſtes procul extra Urbem factæ ignotæ quædam viæ, tum cellæ, & concamerationes, ut quoties luberet, inſtabile ſolum obſidentibus redderetur. Opulentum iſtic Collegium quatuor Roſenſes fratres anno 1367. Regularibus S. Auguſtini Canonicis erexerunt, qui, adveniente alterò ſeculò Ziska, ad S. Florianum in Auſtriam tranſmigrarunt, ſed à Ferdinando II. Cæſare ad Ædium ſuarum rudera poſt annum 1626. revocati præteritam jacturam repararunt.

ZATECIUM.

ZAtecium vulgò Ziatecz, ſeu Saz Regia, præclaraque Urbs proprii Diſtrictûs Metropolis 10. milliaribus Pragâ abſens exorta eſt anno 718., & Luczko à pratorum, quibus ambitur, amœnitate primò dicebatur, à flexuoſo dein præterlabentis Egræ fluvii curſu hodiernum nomen contraxit. Anno 854. à Wladislao ſingulari Zatecenſis Diſtrictûs Duce munimentis circumdata cœpit Urbis prærogativam majori dignitate tutari. Sic anno 1422. à quibuſdam Germaniæ Principibus obſeſſa ſexies eos aſſilientes ſemper retudit, mœnibus hoſtili cruore plurimùm madentibus, donec Cives factâ eruptione etiam è caſtris hoſtes depulerint, horum ſexaginta in captivitatem raptatis. Verùm anno 1547. gravibus pœnis mulctata eſt Zatecenſis Civitas portarum etiam valvis exuta, ita ut longo tempore diu noctuque patuerit, jubente id fieri Ferdinando Romanorum Rege, qui bellum Joañi Friderico Saxoniæ Duci moturus, cùm Zatecium ſubire vellet, ut Cives ad ſocianda ſecum arma compelleret, portas repererat ſibi in faciem obſeratas. Receptas poſtmodum valvas Urbs proniùs patriæ hoſti diduxit, anno nimirum 1619. Friderico Palatino ad Bohemiæ coronam aſpiranti, quem feſtiva populi acclamatione exceperat. In Saxonicis demum, Svecicique motibus, aut dolo circumventa, utì anno 1632. à Joanne Georgio Saxoniæ Electore, aut armis coacta eaſdem fores ſæpius invitè reſeravit.

Plura quidem memoratu digna tum Urbes, tum Oppida, ac Arces ſupereſſe non diffiteor, verùm cùm non tam uberem ſcribendi ſuggeſſerint materiam, ut ſingula ſingulis exhibeantur deſcriptionibus, eorum nunc memorabiliora ſuis Diſtrictibus aſſignata, unam in ſeriem congeram, & quidem in Bechinenſi latere renuit Chauſtricenſis Urbs Arce pervetuſta, & originaria Dominorum de Chauſtnik inſtructa. Landſtein Arx olim inter munitiſſimas. Hluboka Arx quondam inexpugnabilis habita. Kamen Arcula quidem, at naturâ tamen loci munitiſſima. Wezelnicium Eccleſiâ Wencelicorum Equitum ſepulchris plenâ illuſtre. Milovicenſe Præmonſtratenſium Cœnobium. Paczovium Maltveciorum pervetuſta Ditio, quod ipſa confirmat Eccleſia pilarum loco dimidiis equis, ipſis ſcilicet Maloveciorum inſignibus, inſiſtens.

In Boleslavienſi Diſtrictu ſilentio involvendum non eſt Oppidum Gablona dictum, quod B. Zdislavæ ſuæ quondam Dominæ ſacrum corpus ſepultum conſervat. Benatki Arx à Tychone Brachæo diu inculta & Benachia ab eodem in cœleſtibus ejus operibus appellata. Wyſoka Oppidum gemmarum meritò patria. Skaly ejus nominis Caſtrum duplex naturâ loci munitiſſimum. Mſeno, ubi vaſti hiatus, unde ventos Septentrionales Bohemiæ oriri, veteres tradiderunt.

In Caurzimenſi Diſtrictu præter alia jam relata memorandum Koſtelecium Albenſe in ipſo nempe Albi fluvio olim munitiſſimum, & aliquot præliis nobilitatum. Auwal S. Procopii natalis locus. Skara Caſtrum ad Auwal dejectum, in quo B. Erneſtus Pragenſis Archiepiſcopus primam lucem aſpexit. Launiovicium, quondam Cœnobium Præmonſtratenſium Virginum ſub Præpoſito viventium. Radbortium granatis gemmis celebre. Nerawicium, Obrziſtvo, atque Chwatieruby à ſalmonum piſcatu notiſſima. Tauſſim habitatione quondam Caroli IV. Cæſaris illuſtratum. Poſtupicium, unde nobiliſſima Koſtkarum Stirps originem traxit.

Cubitenſem Diſtrictum notabiliorem quoque facit Slawkovium Civitas ſtanni

(quod in vicinia foditur) feraciſſima. Lichtenſtadt locus in medio hujus Provinciæ ſitus à Comite Hroznata ex Bohemiæ Proceribus jam circa annum 1217. poſſeſſus, atque (ut in teſtamento videre eſt) Teplenſi Cœnobio abs ſe extructo donatus.

In Czaslavienſi Diſtrictu prætereunda non eſt Przibislavia Urbs Ziskæ obitu famoſa. Wilimovium celeberrimo quondam Benedictinæ Familiæ Cœnobio clarum. Fraventhal, & Zdiar Cœnobia, illud Virginum hoc Virorum, utrumque Ciſtercienſis Inſtituti. Jenicovium ob Beatiſſimam Virginem Lauretanam, quæ ibi ſumma pietate colitur, maximè celebratum.

Ab Egrenſi Diſtrictu celebratur Culma olim Chlum Oppidum cum Eccleſia D. Virginis effigie, ac beneficiis nobilitata.

In Glacenſi Diſtrictu meminiſſe juvat Neuſterlein Urbeculæ olim Cœnobio Camencenſi à Joanne Rege donatæ. Civitatulæ Wilhelmſtahl, quæ à ſui reparatore Wilhelmo Oppersdorffio ſupremo in Bohemia monetæ Præfecto anno 1518. ſic dicta, auro, & argento avorum memoria ad aliquam nominis claritatem non in noſtra uſque tempora duraturam pervenerat. Landeka, cujus ſaluberrimas thermas, earumque in morbos virtutes Curæus Medicæ artis peritus fusè deſcripſit.

Ad Litomericenſem Diſtrictum pertinet Oppidum Hrob, ſeu Grab, & Roztok, ubi olim argentum eruebatur. Podsedicium 7. Pragâ milliaribus diſſitum; ubi gemmarum fodinæ reperiuntur. Dubezovium cum Arce egregia Civitas, quæ Nobilitati paret, & non parvis videtur ſumptibus extructa.

Podbrdenſi Diſtrictui adſcribitur Camarovium originaria Sedes Equitum Peſſekiorum celebribus ferrifodinis inſtructa. Svatopole olim Nepomucenſis Cœnobii Præpoſitura. Korkinie originaria Sedes Bohemæ & Polonæ Nobilitatis, quæ ſuis in inſignibus rates geſtat. Suchomaſti vetuſta Swarowarum Sedes multis immunitatibus gaudens. Montes Baſtinii à ſimilitudine propugnaculorum ſic dicti, ac montes Brdii cervis per Bohemiam facilè optimis abundantes. Cœnobium S. Benignæ Auguſtiniani Ordinis, quod olim inſulanum vocabatur, anno 1263. ab Udalrico de Waldek liberaliſſimè fundatum, ſed ob iteratas Huſſitarum, atque incendiorum injurias ad ſolitudinem pene redactum.

In Prachenſi Diſtrictu inter Civitates quoq; numeratur Strakonicium cum Arce Magni Prioris Equitum Melitenſium Sedes. Præterea Welhardicium Caſtrum antiquiſſimum Procerum de Welharticz (qui ab eodem cum Dominis de Nova Domo deſcenderant, licèt clypeo differrent) in quo Ziskianis temporibus Regni corona aſſervabatur, cùm ob eam Carlſteina obſideretur. Trzebsko, in quo celebrem & ædificio & imaginibus Eccleſiam extruxit Eques Czaſtolar. Arx Zwikuw in qua velut inexpugnabili antequam Carlſteina conderetur, coronam Regni cuſtodiri ſolitam accepimus. Helffenburgum ſpectris infeſtum, naturâ loci invictum. Blatna Oppidum cum Arce, & ingentis magnitudinis piſcina, ſeu lacu, ex quo Uslava fluvius naſcitur. Lechnicium Oppidulum fide in Cæſarem, & ejus Ducem Bucquoium olim in motibus Bohemicis poſt annum 1618. exortis celebre, ex quo is nuncios, itinerum duces, & exploratores fidiſſimos ſibi delegerat. Rabi Arx peregregia à Swihoviis Proceribus condita, & veterum in muniendis Arcibus methodum hodieque exhibens, ubi anno 1421. Ziska jam pridem uno oculo orbatus, & alterum amiſit ſagitta transfixum.

In Reginohradecenſi Diſtrictu præter Bydzovium Novum, Trutnovium, & Curiam Reginæ dotales Urbes, emicat Arx Nachodia anno 1427. à Sileſiorum exercitu nequidquam obſeſſa, & anno ejuſdem ſeculi 42. fœliciùs expugnata; ubi maximè inclaruit aliquot abhinc luſtris eximii Belliducis Piccolominei Principis virtus, quando eam ab extremo, quod imminebat, excidio gloriosè ſubduxit. Herzmanicium Alberti Ducis Fridlandiæ natalibus inclytum. Paka prodigiosâ Deiparæ icone illuſtris, ad quam ſupplicationes plurimæ ex circumſitis regionibus ducuntur. Trosky geminæ Arces duplici in rupe æquali etiam ferè ædificio prope ſeſtantes, & quaſi mutuò reſpicientes: ex his, quæ Pragâ ſpectantibus dextra eſt Baba, id eſt vetula, quæ ſiniſtra eſt, Panna, id eſt virgo, irritâ Ziskæ obſidione celebris vulgò appellatur.

Slanenſem Diſtrictum exornat celeberrimus mons Zrzit nomine, qui Cſecho in has oras adventanti ſpeculæ vicem primò præbuit, dein etiam ſepulchrum aperuit, in quo eum conditum fuiſſe veteres hiſtorici memoriæ prodidere.

TOPO-

Ducatus SILESIÆ Tabula.

Studiô et operâ cujusdam Geographi Societ. IESU.

I. A. Pfeffel et C. Engelbrecht fec. et exc. Vien.



TOPOGRAPHIA DUCATUS SILESIÆ.

SIlesia vulgò Schlesien inter Moraviam, Poloniam, Lusatiam, & Bohemiam ad quadraginta milliarium longitudinem protenditur, & ad viginti circiter latitudinem explicatur. Quà Moraviam ad Austrum attingit, Quadorum non tamen omnium, erat sedes; hos enim ad Danubium usque propagatos fuisse suo loco ostendemus. Reliquam verò partem, quæ in Septentrionem, & Æstivum Ortum usque ad Lusatiam procurrit, ab aliis populis habitatam docet nos Tacitus (a) ita eos recensens: *Nec minùs retrò valent Marsigni, Gothini, Osi, Burfii: terga Marcomannorum, Quadorumq; claudunt, è quibus Marsigni, & Burii fermone, cultuq; Svevos referunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos: & quòd tributa patiuntur, partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gothini, quò magis pudeat, & ferrum effodiunt. Omnesq; hi populi pauca campestrium, cæterùm saltus, & vertices montium, jugumq; insederunt.* Prædictas ferri fodinas videtur intellexisse Ptolomæus, (b) dum ait: *Sub nemus autem Orcynium Quadi, sub quibus ferri minera, & Luna sylva.* Minùs aptè econtra Silesios ab Elysiis populis, qui Lygiorum pars fuerant, non pauci derivant, ab aliqua nominum consonantia ad id sentiendum inducti; namque & ab hoc situ Lygios removet Tacitus, dum post priora verba sic pergit: *Dirimit enim, scinditq; Sveviam continuum montium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt, ex quibus latissimè patet Lygiorum nomen in plures Civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Naharvalos:* & Silesiæ vocabulum quinque secula non multùm superat; unde eo tempore enatum est, quo jam pridem Elysiorum fama, nomenque senuerat. Hinc novas alii fingunt Silesiæ etymologias, inter quas aliquam veritatis speciem habet, quæ à multorum populorum confluxu creditur emanare; Slesii enim sive Slezaci linguâ Polonicâ quasi convenæ dicuntur. Latiores item olim extitisse Silesiæ terminos Balbino in confesso est, siquidem Osvencimensis, & Zatorensis Ducatus, utì & Severiense Territorium ad eam pertinebant, quæ omnia ad Polonos redierunt.

(a) De mo. Germ.

(b) Lib. 2. c. 11.

Regio hæc, quà Septentrionem spectat planior est, nec nisì in amœnos tumescens colles, inter quos non minùs jucundæ, quàm frugiferæ valles aperiuntur, licèt superioribus seculis sterilis, & inculta passim saltibus horruerit: cultior quippe nunc Silesiæ tellus diversa frumenti, ac leguminis genera liberaliter effundit. Soli tamen bonitas non ubique eadem. Commendantur præ aliis agri Wratislavienses, Strzelenses, & Leobschienses, qui interdum sexto, septimo, octavo, nonnunquam decimo fructu cultores exhilararunt. Nec desunt viridantia prata, pascuaque enutriendis omne genus animantibus uberrima, neque sparsis adhuc per plana juxta, ac montana loca nemoribus sua gratia. Sed præcipuus Silesiis ex lino, & sativa rubia quæstus. Acori quoque radices tantâ hìc copiâ proveniunt, ut ad exteros etiam devehantur, magnumque indè incolis cedat lucrum. Vites, etsi ob frigidius cœlum minùs frequenter colantur, non ubique tamen iis caret Silesia, in Inferiore enim, præsertim ad Crosnam, Gubenam, & Grunbergam vinum rubrum non parùm laudatum colligitur. Auri, argenti, & cujusvis pene metalli ingens in hac Provincia ubertas, præterlapsis præsertim temporibus celebrata; neque è montibus tantùm effoditur, sed & fluvii, Cattus scilicet, Boberus, Zazus, Ilara, Goldbachius, aliique arenas auro divites secum devehunt. Gemmæ insuper quamplurimæ, & pretiosi lapides, præsertim sub Giganteis montibus leguntur. Feris omnis generis ad usus, & delicias hominum refertissima Regio est, nec minor suppetit volatilium, aut piscium copia, quos flumina, & lacus alunt: inter hos duo sunt ad gigantum montes immensæ profunditatis. Demum illud peculiare est, quod de monticulo, vulgò Toppelberg vocato, circumfertur, ollas nempe in plerisque ejus locis effodi, & aliarum figurarum vasa fictilia prope madida, molliaque, sed si aëri exponantur, indurescentia. Conjiciunt sepulcra illic gentilium fuisse, qui cùm urnis carerent, ollas interim cum exusti cadaveris cineribus tu-

mulo condiderint, mediaque inhumaverint arena, unde diuturnitate temporis factum, ut, madente terra assiduo humore, ollæ quasi liquescant, & si parum cautè eximas, non nisi lutum, atque argillam retineas; si verò cautiùs rem agas, ab exsiccante aëre solidentur, & pristinam formam, quam à figulo acceperant, conservent.

Inter Provincias Regno Polonico insertas, quod Lechus è Slavorum gente Czechi frater condidit, etiam Silesia quondam numerabatur; cúmque Wladislaus Poloniæ Dux Boleslai III. filius è solio exturbatus, atque in exilium ejectus extra Poloniam mortem oppetiisset, tres ejus filii Boleslaus Altus, Mieslaus, & Conradus Friderici I. Imperatoris auxilio freti, à Patruo suo Poloniæ Duce Silesiam hæreditario jure possidendam anno 1164. obtinuerunt, ita tamen, ut in Poloniæ Ducibus, seu Regibus supremum Dominium agnoscerent, iisque aliquatenus subjecti haberentur. Hac itaque ratione hæc Regio tunc primò à reliquis avulsa, suisque finibus circumscripta, proprios quoque Dominos venerata est. In tres tamen partes dividi debuit, ut totidem Principibus singularis ditio attribueretur; obtigitque Mieslao Superior, Conrado Inferior; Mediam verò cum Wratislavia, & Lignicio tenuit natu maximus Boleslaus, quem memoratus Cæsar Silesiæ Ducis titulo præterea decoravit. Sed cùm paternam deinceps hæreditatem filii omnes inter se partirentur, ingens succrevit Principum numerus, inter quos discissa Provincia crebris insuper bellorum motibus lacerabatur. Interea ineunte jam tertio supra decimum seculo, cœpit Germanorum Coloniis impleri Silesia, unde datum est simul initium cuidam à Polonia abalienationi, quæ novis indies fomentis aucta, tandem Silesiam à Polonis omnino abstraxit; nam cùm Silesiæ Principes, licèt à Wladislao Piastææ stirpis furculo (quæ apud Polonos 500. facilè annos regnavit) uti diximus, oriundos, tamen utpote Germanicis jam moribus imbutos, Poloni averserentur, neque in electionibus suorum Regum, præsertim Wladislai Loktici seu cubitalis, ullam eorum haberent rationem, offensi Silesii, ad id regnum occupandum Wenceslao II. Bohemiæ Regi aditum fecere. Hic defuncto sinè masculà prole Przemyslao Poloniæ Rege, à Griffina suæ matris sorore Cracovien-
(a) Miscel. Boh. dec. 1. l. 7. c. 22. si, & Sandomirienſi Provincia Balbino (a) teste donatus, cùm eas Poloni tradere renuerent, adversa contra illos signa anno 1292. per Silesiam duxit, & Cracoviam obtinuit, qua occasione usi Oppolienses, Ratiborienses, Bithonienses, & Teschinenses Silesiæ Principes Coronæ Bohemicæ se submiserunt. Anno dein 1300. rursus in Poloniam vocatus Wenceslaus cum exercitu venit, ubi ab Archiepiscopo Gnesnenſi solemniter coronatus, ut firmiùs Regno jungeretur, ad secundas nuptias transiit, ductâ in uxorem Richsâ, seu Elisabethâ Przemyslai II. Poloniæ Regis defuncti filiâ, atque unica Regni hærede, cujus jura inter Wenceslai successores, & Polonos Reges ex alia deinceps prosapia assumptos ingentem belli flammam suscitarunt; qua ardente cæteri quoque Silesiæ Principes Poloniæ throno semper excluſi, cœpere contemptûs sui dolore à Polonis discedere, & nevim ullam ab iis imposterum metuerent, Bohemicorum Regum potentiam respicere; donec demum impulsi exemplo Boleslai Brigensis Principis, qui anno 1329. cunctas suas ditiones Joanni Bohemiæ Regi obnoxias fecit, & tanquam feudum subjecit, idem pariter unanimes paulò pòst præstiterunt. Ne autem propterea nova tumultuum semina jacerentur, congregatis anno 1335. Wissehradi super Danubium tribus Regibus, videlicet Carolo Hungariæ, Casimiro Poloniæ, Joanne Bohemiæ, atque hujus filio Carolo Moraviæ Marchione, confecta est inter Bohemum, & Polonum transactio, quam ab ipso Carolo Marchione, & postea Imperatore ejus nominis IV., prout in suamet Vita eam retulit, & Balbinus indè decerpsit, quam optimè discemus: *Postquam*, inquit ille, *Pater noster accepisset possessionem Civitatis Wratislaviensis, omnes Duces Silesiæ, & Oppolienses subjecerunt se ditioni suæ, ac Coronæ Regni Bohemiæ perpetuò, ut defenderentur à Regibus Bohemorum, exceptis Duce Slesiæ, Domino Swidnicensi, & Münsterbergensi, cujus territorium devastavimus, prout in chronicis scriptum est: quod in tantum devastatum fuit, quòd ipse coactus est mediantibus placitis esse Vasallus Patris nostri, ac Coronæ Bohemiæ, sicut & alii Duces. His peractis arripuimus iter versùs Hungariam ad Patrem nostrum, quem invenimus in Wissehrado super Danubio apud Regem Carolum I., qui antea habuerat sororem Patris nostri, ipsâ verò defunctâ acceperat sororem Regis Cracoviæ Casimiri, cum qua genuerat tres filios: primogenitum Ludovicum, secundum Andream, tertium Stephanum. Ibiq; fecit idem Rex Carolus pacem inter Patrem nostrum, & Cracoviæ Regem, ita quòd renunciaret Pater noster juri sibi debito in Inferiore Polonia, scilicet Gnesnensi, & Calissiensi, & aliis inferioribus Provinciis Poloniæ. Rex verò Cracoviæ renunciavit Patri nostro, & Regno Bohemiæ pro se, & successoribus suis Regibus Inferioris Poloniæ in perpetuum de omni actione omnium Ducatuum Silesiæ, & Oppoliæ, & Civita-*

vitatis Wratislaviæ. Sileſia ergo hujus fœderis vinculo Bohemiæ juncta, & ad Ferdinandum I. Cæſarem cum eadem devoluta Auſtriacam potentiam ab Auſtro ad Boream latiſſimè produxit.

Quatuor modis univerſa dividitur Sileſia; Prima autem, & generalis diviſio erat olim in tres partes, nunc verò in duas, Superiorem ſcilicet, & Inferiorem: ſecundò tota Regio in ſexdecim diſtinguitur Principatus, ſeu Ducatus, ùt quidam eos vocant, & quatuor Baronatus, qui à ſua ſinguli Metropoli cognomen ſumunt, atque ideo cum eadem à nobis inferiùs deſcribendi: tertia diviſio, quæ quatuor abſolvitur circulis, ad rem militarem propriè attinet, ac ſecundùm diverſos belli caſus, diverſas etiam ſortitur partes: poſtrema ejuſmodi diviſio Defenſionis dicta, contigit anno 1578., per quam in primo circulo claudebatur Superior Sileſia, in ſecundo Epiſcopatus Wratislavienſis, & Brigenſis, in tertio, ac quarto Inferioris Sileſiæ Urbes bifariam diſtributæ: quartò demum Sileſia in duo latera bipartita eſt, Germanicum, & Polonicum; illud trans Viadrum Septentrionem, & Ortum reſpicit, hoc verò cis Viadrum ad Occaſum, & Meridiem vergit. Eſt autem Viadrus percelebre flumen à Ptolomæo memoratum, quod hodie Oderam nuncupamus: oritur in Moraviæ, & Sileſiæ confinio, & per hanc in duas partes ſecundùm longitudinem ſectam, perque Marchiam Brandeburgicam, ac Pomeraniam delabens, decem aliis ſat magnis fluviis, plurimiſque minoribus interim auctum, ſervato ſemper eodem à fontibus nomine infra Stetinum Urbem in mare Balthicum irrumpit. Sequentur modò præclariores Urbes, aliaque loca ob inſignem aliquam memoriam relatu digniora, conſveto Alphabeti ordine digeſta, poſtquam Metropolis fuerit antea de more perluſtrata.

WRATISLAVIA.

WRatislavia vulgò Breslaw ampla, & pulcherrima Urbs non modò totius Sileſiæ Princeps eſt, ſed & cognominis Principatûs caput, qui ad Orientem Brigenſi, ad Meridiem eodem Brigenſi, & Schwidnicenſi, ad Occidentem Lignicenſi, & ad Septentrionem Olsnenſi terminatur. Jacet in plano, humilique ſolo, ad Oderæ, & Olæ amnium confluentes, triginta tribus milliaribus Pragâ diſtans. Per octo portas Civibus, advenisque exitum, & aditum pandit; pervetuſtô enim ferè undique cingitur murô crebris turribus immixtô, extra quem latè mœnia, & prominentia in gyrum propugnacula, profundæque foſſæ terna Urbis latera muniunt; quartum verò vaſtus Oderæ alveus abundè tuetur. A quodam Wratislao Lucenſi, ſeu Zatecenſi in Bohemia Principe anno 660. ortum ſuum, nomenque duxiſſe tradunt Weleslavinus, & Cuthenus; ſed major, potiorque Authorum pars ſtat pro Wratislao Bohemiæ Rege, qui ſubacto ſibi haud modico Poloniæ tractu ſub annum 1086. locum hunc inſtauravit, & à ſuo nomine Wratislaviam dixit; quam ob cauſam in prædicti Regis honorem, & gratitudinis teſſeram, etiamnum hæc Urbs literam W in ſuis inſignibus geſtat. Inſtauratam autem, non primò conditam fuiſſe, ùt nonnullis placuit, luculentè convincit Coſmas Pragenſis Decanus anno 1125., ætatis ſaltem 80. vitâ functus, cùm in Chronico ſuo ad annum 1054. ita ſcriptum reliquerit: *Urbs Wratislai, & aliæ Civitates à Duce* (Bohemiæ) *Brzetislao redditæ ſunt Polonis ea conditione, ut quàm ſibi, tam ſucceſſoribus ſuis quingentas marcas argenti, & triginta marcas auri annuatim ſolverent.* Ubi Wratislavia per hiſtoricam tantùm prolepſim ita appellari Balbino videtur; namque is annus Wratislai Regis tempora præceſſit, quando vulgare duntaxat Urbis nomen Breslaw aliunde deductum viguiſſe opinor, & antiquiorem illius conditorem ſuggerit apud Dreſſerum Dugloſſus Mieslaum nimirum Polonorum Ducem.

Porrò reſtitutam rurſus Polonis vel ab ipſo Wratislao, vel ab aliquo ejus ſucceſſore Wratislaviam aſſerere oportet, cùm Boleslaum Altum ex Polona Piaſtæorum gente primum Wratislaviæ, & Lignicii Principem, atque Sileſiæ Ducem à Friderico Cæſare anno 1164. creatum antea dixerimus, & concors ſcriptorum ſenſus adſtipuletur. Boleslao ſucceſſit Henricus Barbatus, huic filius Henricus Pius, ſub quo Tartarorum incurſione adacti Cives, deſerta Urbe, quòd lignea eſſet, parumque munita ſeſe in Oderæ inſulam, ubi Principum Arx erat, recepere, incenſam interim à Barbaris patriam non ſinè lacrymis reſpectantes. Interim verò Henricus generoſus æquè, ac pius Princeps collectô, quàm maximô potuit, Chriſtianorum exercitu non formidavit aliquot centenis barbarorum millibus occurrere. In campum proceſſuro exiliens ultro ex Eccleſiæ pariete lapis omen dedit futuræ cladis, quam etiam D. Hedwigis Henrici mater prædixerat, jubens nihilominus ire filium, & in totius Chriſtiani Orbis conſpectu pro religione, & patria pulchrè mori. Profectus itaque Henricus hoſtilem impetum diu retudit, ita ut jam dubia ſtaret Tartarorum

victoria, sed Deo sic disponente demum gloriosè cecidit anno 1241., Henrico III. rerum potiente, cœpit Wratislavia anno 1260. denuo revivíscere, quo tempore interior quoque murus multis adhuc locis superstes erigebatur, tamque grata accidit Principi in eo opere magnamina Civium solertia, ut is multis immunitatibus, ac privilegiis crescentem Civitatem non parum promoverit. Sub Henrico IV., qui Probus dictus est, commissa est tota Urbis gubernatio Civibus, quos Princeps videbat libertatis suæ impensè studiosos. Henricum Probum secutus est Henricus V., qui Wratislaviam omnium suarum Urbium Metropolim haberi voluit, eoque regnante Joannis Bohemiæ Regis clientelam cum reliqua Silesia Civitas admisit; at cùm in Ecclesiasticorum, præsertim Nankeri Episcopi viri Religiosissimi, vexatione ei placere maximè studeret, sensit longiores Deo, quàm Regibus esse manus, tota cœlesti igne consumpta anno 1341., visum quippe Angelum exertum ostentare gladium, ignitosque carbones per tecta spargere Miechovius, & Cromerus apud Spondanum testantur. Hæc calamitas postea Carolo IV. Cæsari benignitatis, & munificentiæ Regiæ causam præbuit, qui delineatam à se ipso renovandæ Urbis symmetriam Civibus misit, multaque publica opera propriis sumptibus struxit: hinc tanta platearum concinnitas, qua Wratislavia pleraque Germaniæ Urbes post se relinquit; neque amplius ligneis, sed lapideis ædificiis ab eo tempore crevit, ut ignis violentia minùs in eam deinceps sæviret. Caroli filius Wenceslaus tanta in Wratislavienses quosdam benignitate, & indulgentiâ usus dicitur, ut etiam tumultui, qui anno 1418. Urbem implevit, ansam dedisse videatur; quando scilicet electum à Wenceslao Senatum plebs Urbana repudiavit, furoreque incensa Curiam invasit, & Senatores plurimos, vel sua, vel carnificis manu sustulit: unum verò de sublimi præcipitatum hastis confixit. At frater ejus Sigismundus biennio pòst Wratislaviam ingressus supplicium cœpit de 22. seditionis authoribus, & adhibito salutari temperamento cavit, ne vel Aristocratia in Oligarchiam imposterum prolaberetur, vel plebs de Procerum potentia queri posset; quibusdam etiam prudentioribus de plebe viris in Senatum advocatis. Hisce artibus provecta paulatim est hæc Urbs in eam prudentiæ, moderationis, ac pietatis famam, ut apud Blavium feratur ab eodem Sigismundo vocata, regula morum, exemplar, & speculum modestiæ, humanæque vitæ splendidum jubar. Quod præclarum encomium quò illustrius reddidit Hussiticæ vesaniæ proscriptio, eò fœdiùs Lutherana hæresis, anno 1525. statim introducta maculavit.

Episcopalem sedem, quæ antea fuerat Smogoræ exiguo nunc Pago, postea Bicinæ, Wratislaviam transtulit anno 1052. Casimirus Poloniæ Dux, propinquâ Oderæ insulâ Episcopo, & Canonicorum Collegio attributâ, additaque ad Ecclesiæ tutelam, Urbisque præsidium Arce, cujus hodieque supersunt vestigia post Templum S. Crucis; ubi ideo locus ille vulgò Burg appellatur. Smogorienſis verò Ecclesiæ author fuerat anno 970. Miecislaus I. Poloniæ Dux, qui à conjuge sua Dobrava Boleslai I. Bohemiæ Ducis filia, Christianam legem edoctus, adeò ferventi studio eam amplexus est, ut novem statim diversis in locis ornatissimas Basilicas maximis censibus dotatas extruxerit, ac inter eas Cracovienſem, & Smogorienſem, quam primus rexit Episcopus Godefridus natione Romanus, & Silesiæ Apostolus; quintus autem ab hoc Præsul Leonardus in Bicinenſem Urbeculam transtulit, ut à bellicis insultibus eam subduceret; demum septimus, nomine Hieronymus, ad hodiernam sedem concessit, Casimiro favente, cujus pietatem æmulati posteriores Principes multas certatim villarum, nemorum, Pagorum, Oppidorum donationes adjecerunt, ùt Wratislavienſis Episcopatus ad excelsum non modò dignitatis, & authoritatis, verùm etiam opulentiæ fastigium ascenderit, ideoque aureus nuncupari quondam meruerit, quod ex veterum Annatarum, ùt vocant, taxa colligi potest; quatuor enim florenorum millia, quantum pauciſſimi in Germania Episcopi, pendebat. Ceremoniarum ordinem, cantûs, & vestitûs normam ex nobiliſſima Lugdunenſi in Gallia Ecclesia in suam induxit Waltherus ex Equestri Zadoreorum ortus prosapia, decimus quintus à Godefrido Antistes. Suberat olim Wratislavienſis Episcopatus Gnesnenſi in Polonia Metropolitæ, nunc autem ab omni Archiepiscopali jurisdictione exemptus, sub Ecclesia Romana immediatè, ùt dici solet, consistit. Episcopus liberis suffragiis à Canonicorum Capitulo eligitur, & à Bohemiæ Rege Regalium, quæ habet, investituram petere, & ad Regiam coronationem accedere, quatenus Nissenſis Princeps obligatur. Decretum insuper olim fuerat, ut non nisi ex Silesia, Bohemia, aut Moravia assumeretur, sed id obsoleviſſe patet in Paulo Alberto Svevo, Carolo Austriæ Archiduce, Carolo Ferdinando Sigismundi Poloniæ Regis sobole, Friderico Hassiæ Landgravio, & hodie in Sere-

Sereniſſimo Franciſco Ludovico Philippi Wilhelmi Ducis Neoburgici, & Electoris Palatini filio, Wratislaviæ Epiſcopis.

Compilata hactenus Wratislavienſis in ſacris Capitibus hiſtoria ad reliqua membra ſacra nimirum ædificia de more percurrenda nos deducit. Cathedralis Baſilica in Oderæ inſula ex ligno primùm circa annum 1052. à Caſimiro Poloniæ Duce condita, & ſub memorato Præſule Walthero ex ſecto lapide cum cupreo tecto, ac binis præaltis turribus, conſtructa, D. Joannis Baptiſtæ honoribus conſecrata eſt, qui veluti Provinciæ Tutelaris à Sileſiis quondam colebatur, adeo venerabilis omnibus, ut etiam Principes illius nomen literis præfixerint, prout videre eſt in vetuſto Henrici Barbati diplomate, cujus hoc eſt initium: *Nos Henricus Dei, & Beati Joannis, Patriſq; mei Boleslai gratia Sileſiæ Dux &c.* Epiſcoporum, & Canonicorum obitus hìc certis prænunciabatur ſignis, videlicet in choro rosâ ſupra morituri ſedem jacente, aut ſede à ſe ipſa clauſa, vel etiam ære campano abſque ullius impulſu reſonante. Addit de ſuo ævo loquens apud Balbinum Æneas Sylvius: *Canonicos Wratislavienſes, dum horas canunt, rubeis cappis ornatos Cardinalium Romanæ Eccleſiæ morem tenere.* Auguſtum quoque eſt in eadem inſula Templum ab Henrico Sileſiæ Duce in delicti expiationem, quod in Epiſcopo, & Clero Wratislavia ejiciendo commiſerat, anno 1288. ſanctæ Crucis honori excitatum, cui alia inferiùs excavata ſubſtat Eccleſia D. Bartholomæo ſacra. Intra Urbem eminet cum excelſa turri S. Eliſabethæ Templum anno 1253. erectum, ſed à Luthericolis illud poſſidentibus profanatum; quod etiam accidit S. Mariæ Magdalenæ Templo inter duas elegantes turres magnificè aſſurgenti. Adnexa eſt utrique bibliotheca non tam librorum copiâ, quàm ingenti veterum numiſmatum numero commendanda. S. Bernardini Eccleſia ab ipſis Wratislavienſibus Civibus, dum in hac Urbe verſaretur S. Capiſtranus, anno 1452. pro Minoribus S. Franciſci de Obſervantia condita eſt, ſed anno ſequentis ſeculi 22. Lutherani iis ejectis Eccleſiam in Parochiam, Cœnobium in Hoſpitalem Domum converterunt. S. Jacobi Templum una cum Monaſterio S. Franciſci Sodalibus pariter erexerat Henricus Probus S. Hedwigis filius ibidem tumulatus, verùm ſub Ferdinando I. Cæſare inditum illi eſt S. Vincentii nomen, Canonicis Præmonſtratenſibus illuc è Suburbano Cœnobio translatis, quod à Petro During ex Dania Comite anno 1139. conditum, Wratislavienſes prætextu Turcarum Viennam obſidentium ano 1529. cum duabus aliis ſacris Ædibus ſolo æquarunt. Collegium B. Virginis in arena extra Urbem incolunt Regulares S. Auguſtini Canonici, qui, permiſſa Ordini Prædicatorum S. Adalberti Eccleſiâ ad tertiam ſtationem ſe contulere; primam enim ſub monte ſilentii vulgò Sobotka fixerant eo in loco, qui hodie Gorka nuncupatur; ſed nimius illius auræ rigor indè eos Wratislaviam ſe recipere coëgit. Deſertum itaque à Canonicis D. Adalberti Monaſterium ſuis Religioſis inſtruxit S. Hiacynthus, ibique Godinum, & germanum ſuum fratrem B. Ceslaum in ea Eccleſia poſtea ſepultum collocavit, qui fuſis ad Deum precibus, fertur ab Arcis Wratislavienſis obſidione Tartaros flammis cœleſtibus territos depuliſſe. Hoſpitalem S. Matthiæ Ædem poſſident Cruciferi de rubea ſtella ab Anna Ottocari Bohemiæ Regis filia, & Henrici Pii Sileſiæ Ducis conjuge ad Urbem invitati. S. Dorotheæ Baſilica reliquas tum intra tum extra Urbem Wratislavienſem Eccleſias magnifica ſua mole dicitur ſuperare; eſtque Caroli IV. pientiſſimi Cæſaris monumentum anno 1351. pro Eremitis S. Auguſtini excitatum, hodie verò à Minoribus S. Franciſci obtentum, quibus illud contulit anno 1612. Matthias Imperator: ejus condendi impulſum unà cum ſitu exprimit in ſuo diplomate Carolus his verbis apud Schickfuſium excuſis. *Nos ad honorem S. Auguſtini, quem præcipuo delectationis ſtudio veneramur, ut fœlix illa Religio nobilem Civitatem noſtram Wratislavienſem ſui & ſuorum honoret præſentia, aream illam, quæ olim fuit Joannis dicti Stillæ Civis Wratislavienſis in latere dextro, dum in via verſùs Eccleſiam Corporis Chriſti proceditur prope flumen Olaviam, cum omnibus metis, limitibus &c. pro Eccleſia, Conventu, & inhabitatione Fratrum ipſorum damus, &c.* Memoratam Corporis Chriſti Eccleſiam cum Commenda, ùt vocant, Melitenſium Equitum, ad quos antea pertinebat, Urbis Senatus occupavit. Terna quoque adſunt Sanctimonialium Cœnobia: horum præcipuum ſacris D. Claræ Virginibus circa annum 1260. poſt Henrici Pii conjugis mortem fundavit Anna Ottocari Regis filia, quæ iſtic in S. Hedwigis ſacrario condita miraculis dicitur claruiſſe. Reliqua autem duo S. Catharinæ, & S. Annæ dicata à Divorum Dominici, & Auguſtini Ordinis Monialibus obtinentur. Duodecim præterea alia Templa per Urbem diſperſa reperies, quorum unum à Societatis Jeſu Collegio adminiſtratur.

Inter profana ædificia præcellùnt Regium Palatium ſecus Oderam fluvium à Sigiſmundo Imperatore inchoatum, & à Ferdinando I. ad coronidem perductum, atque

magnifica, ac elegans Curia, in qua totius Provinciæ Comitia convocantur, ex quatuor ejusdem Statibus conflata: horum primus est Principum, alter Baronum, tertius Nobilium, quartus Civitatum. Ubi conventum est, peracta priùs à Legatis rogatione, Status in quatuor classes, seu consilia divisi de propositis capitibus seorsim consultant. Primum consilium conficiunt Principes, & Barones simul juncti; secundum Nobiles, tertium Civitates, quartum verò ipse supremus Silesiæ Præfectus, qui Comitiorum Director est, votaque colligit cæterorum. Ex Cæsarea quoque authoritate constitutum est Wratislaviæ Tribunal, quod Silesiacam Cameram vocant, ex viris dignitate conspicuis, legumque peritis constans, qui Cæsaris fiscum, ac patrimonium curant, causasque eò spectantes dijudicant, rem denique nummariam Principis universam tractant, & moderantur.

Studiorum Universitatem nullam habet Wratislavia, imò ne tota quidem Silesia, nam licèt anno 1505. Wladislaus II. Bohemiæ Rex, & Joannes Wratislaviensis Præsul totis viribus adlaborarent, ut Academia in hac Urbe excitaretur, Cracoviense tamen studium interceßit, & Polonorum Antistitum, ac Cardinalium collectæ sententiæ, tantùm apud Julium II. Papam effecere, ut ad Wratislaviensem Universitatem recipiendam, & confirmandam, aut consvetis privilegiis ornandam induci nunquam potuerit. Emporium pariter ab Wratislao Rege hæc Civitas impetraverat, sed majori ei fuit damno, quàm emolumento; tanta enim fuit, Dressero teste, odii acerbitas in Bohemis propterea exorti, ut nec Polonis Wratislaviam, nec Germanis in Poloniam commeatum liberum concederent: quare postulante Sigismundo Poloniæ Rege, ab Imperatore Maximiliano II. abrogatum est.

Illud quoque est de Wratislavia memorabile, ac minimè prætereundum. Cùm anno 1474. Casimirus III. Poloniæ, & hujus filius Wladislaus III. Bohemiæ Reges Urbem hanc, & in ea Matthiam Hungariæ Regem obsedissent, quem rejectô Wladislaô Silesia respexerat, Wratislavia toto obsidii tempore apertis portis hostem irrisit, & Matthias noctu diuque Polonos, ac Bohemos ita subitis excursionibus fatigavit, ut prope ad desperationem adigerentur, donec pactis tandem induciis Polonus, & Bohemus re infecta ad sua remeaverint. Trimestrem aliam obsidionem, quanquam post inflictam à Tartaris plagam necdum bene restituta fortiter elusit Wratislavia à Boleslao Calvo Lignicensi Principe Henrici III. Silesiæ Ducis fratre anno 1245. patrio, exteroque milite cincta.

BETHANIA.

BEthania, vel Bythonia, seu Beuthena vulgò Beuthen Urbs est Principatûs Glogovienſis ad Oderam fluvium sita, cognominis Districtûs Caput, qui ab altera Urbe Carolatho in adversa fluminis ripa ferè objacente, etiam Carolath vulgò nuncupatur. Ea ab Henrico V. Imperatore contra Boleslaum III. Poloniæ Regem bellum gerente obsessa, Cæsareis etiam viribus strenuè restitit. Altero autem bello, quod Cæsar Fridericus I. Polonis intulit, ab his ipsis cum tota regione ferrô, & igne vastata jacuit, ne annonæ copia hostium animos erigeret. Exinde iterum, sed magis ad Occasum ab incolis reædificata, exortô anno 1475. incendiô, in cineres recidit, solô Templô à flammis illæsô. Restauratam Sveci occuparunt, & egregiis vallis munitam tenuere, usque dum fortiori Cæsareorum impressione coacti, illam anno 1641. deseruerint, in munimentum in insula structum concedentes, ex quo tamen majorum tormentorum explosionibus fugati Crosnam petiverunt. Cessit tunc Cæsareis cum Bethania Carolatum; sed altero mox anno Svecorum Dux Torstensonius Cæsareis utrumque rursus eripuit, facta pace ad pristinos Dominos rediturum. In Bethanienſi Dynastia continetur & Tarnovitium Oppidum ad radices Carpathi montis situm, argenti, & maximè plumbi fodinis celebratum.

BRIGA.

BRiga vulgò Brieg, quondam Brega, vel Bregum, & vulgò Breh dicta, quod ripam denotat, sex milliaribus Wratislaviâ distans præcipuis Silesiæ Urbibus annumeranda, cognomini præest Principatui, quem ambiunt ab Ortu Polonia, & Oppolienſis Principatus, ab Arcto Wratislavienſis, ab Occasu Schwidnicenſis, & ab Austro Grotkanus. Jacet in loco amœnissimo, quem Odera flumen irrigat, plateis, Templis, turribus, aliisque ædificiis, quà publicis, quà privatis admodum venusta, sed maximè magnifico suorum Principum Palatio superba. Ex his Boleslaus Urbem vallis, fossisque munivit, & anno 1335. Minoribus Conventualibus S. Francisci Cœnobium erexit, à Nankero Wratislavienſi Præsule habita à Joanne XXII. Papa authoritate trienniô pòst confirmatum. Celebrantur modò ob ædificii amplitudinem, & elegantiam bina Templa, quorum unum

Pa-

Parochiale D. Nicolao sacrum. Habet hìc quoque Societas Jesu Residentiam Collegio Wratislavienſi ſubordinatam. Hujus Urbis ſplendorem non parum offuſcarunt anno 1428. Huſſitarum flammæ, quibus illa cum Arce conflagravit. Eorum furorem imitatus eſt anno alterius ſeculi ſeptimo Faber quidam lignarius, qui ut laboris, lucriqúe materiam ſibi adornaret, ſuccenſo diverſis in locis igne, ad ſeptuaginta domos evertit, quibus ipſemet in pœnam additus incendium auxit. Anno 1633. Briga præſidium Svecicum ſponte accepit, ſed poſt conventiones Pragenſes biennio pòſt Cæſareum militem rurſus admiſit. Anno autem ejus ſeculi 42. à Svecis diu obſeſſa omnes eorum conatus feliciter eluſit. Complectitur Brigenſis Principatus præter Olaviam Urbem, de qua alibi, Bicinam Oppidum Poloniæ confinia attingens, & ob ingentem cladem à Tartaris anno 1588. tum Polonis, tum ipſi Oppido illatam maximè famoſum; Creutzbergam ad Brincii amnis fontes ſitum Oppidum, & eandem cum Bicina fortunam ſimul expertum; Nimicium Oppidum cum eleganti, validaque Arce in monticuli faſtigio extructa, & Huſſitarum ævo à Sileſiis incaſſum obſeſſa, ſed à Svecicis flammis valde defœdata; Silberbergam Oppidulum ab argento, cujus olim fodinæ ibi excolebantur, denominatum, & Strelam ad Olam amnem inſignis pulchritudinis Oppidum, agro undique fertiliſſimo cinctum.

CAMENCENSE. COENOBIUM.

CAmencenſe Cœnobium in Minſterbergenſi Principatu ad Niſſam amnem ſitum, ubi antiquitus Bohemi pro tutandis ſuis finibus Arcem condiderant, anno 1222. ſub Henrico Barbato Sileſiæ Duce Canonici in communi viventes, eadem Arce jam dudum potiti ſponte Ciſtercienſibus reſignarunt, quos Henricus Lubenſis Monaſterii Abbas anno 1249. primùm ſubmiſit, à Thoma Wratislavienſi Epiſcopo introductos, & ab Urbano IV. Summo Pontifice confirmatos, apoſtolicis literis anno 1261. Viterbii datis. Crevit poſtmodùm Cœnobium ex Minſterbergenſium Ducum munificentìa, ita, ut non modò viginti ſex Pagos ſibi ſubditos numeraret, ſed Reichenſteinenſem quoque aurifodinam ab invento ibi aureo aſino famoſiſſimam in fundationis parte obtineret. Ulteriora ejus incrementa multùm morata eſt Huſſitica tempeſtas, quæ anno 1427. in Camencenſe Aſceterium detonuit, igne ædibus ſubjecto, & non paucis Religioſorum barbarè interfectis. Remearunt tamen illuc, ſed paupertate Comite Ciſtercienſes; novis deinceps proventibus Deo favente dotati. Veteris Cœnobii majeſtatem ruinæ, minæque murorum ingentes incendio ſuperſtites oſtendunt. Sed Templum admirationem meretur, quod Ciſtercienſis Ordinis adventum videtur præceſſiſſe, cùm in ſepulchris Canonicorum veſtigia paſſim cernantur. Quatuor illud ſupernè turribus munitur, editoque ambitu undique coronatur, altiſſimo quoque, amploque fornice contegitur; namque 103. paſſus longitudine, 30. autem latitudine occupat, nulliſque columnis intus fulcitur.

CARNOVIA.

CArnovia, vulgò Jägerndorff Oppo fluvio adjacens à frequenti venatione nomen ducit, eſtque Urbs cognominis Principatûs primaria, cujus in triangulum formati latera ab Oppolienſi, & Oppavienſi Principatu circumquaque clauduntur. Privatorum ædes pleræque ex ligno conſtant. Curia verò, & præſertim Arx magnifico ſplendore aſſurgit ex lapidibus extructa. Laudatur nihilominus Urbis, ac ſitûs elegantia, quam præfert pulcherrima vallis undique montibus laricis feraciſſimis circumdata. Nonprocul hinc ſpectantur vetuſtiſſimæ Schellenbergenſis Arcis rudera, quæ priſcis Carnoviæ Principibus cognomen derat, ſed indè ad Coronam Bohemicam devolutum Principatum Ludovicus Hungariæ, Bohemiæque Rex Georgio Marchioni Brandeburgico, Carnovienſis Arcis Conditori, 1424. donò tradidit, cui eandem tanquam feudum Ferdinandus I. Cæſar permiſit. Alterò autem ſeculò cùm Joannes Georgius Marchio Brandeburgicus ejuſdem Arcis reparator Bohemorum defectioni faviſſet, Ferdinandus II. Imperator ademptam ei anno 1617. Carnoviam Liechtenſteiniis Principibus, qui illâ hodieque fruuntur, deinceps conceſſit. Tertiò etiam hæc Urbs crebras bellorum injurias minimè evaſit, utpote anno 1627. à Wimaro-Danicis direpta, anno 43. à Torſtenſonio irrito tamen eventu tentata, & anno 45. à Königsbergio ſtratagemate intercepta.

CROSNA.

CRoſna, vulgò Croſſen extrema versùs Marchiam Brandeburgicam Sileſiæ Urbs, ubi nempe Boberus amnis Oderam ſubit, collocata, ſubjecto ſibi Principatui nomen tribuit, qui ad Orientem conterminam attingit Poloniam, ad Boream eandem cum Marchia, ad Occidentem Luſa-

tiam, & Saganenſem Principatum ad Auſtrum. Urbs eſt pervenuſta, cùm ſub Henrico Barbato Sileſiæ Duce jam valde floreret: cœlo gaudet ſalubri, nitidis ædificiis ac Principis Palatio ſplendet, nec contemnendis olim munimentis defendebatur. Hanc anno 1476. abſque liberis mortuus Glogovienſis Princeps Henricus XI., uxori ſuæ Barbaræ Alberti Marchionis Brandeburgici filiæ teſtamento legavit; unde orta inter Albertum, & Joannem Saganenſem Principem controverſia, admotiſque Croſnæ facibus vehementiùs exardeſcens, inita tandem tranſactione ſopita eſt, vi cujus Croſna cum aliquot hujus Principatûs Oppidis oppignorata, nec ſtatuto tempore redempta apud Marchiones Brandeburgicos hactenus perſeverat; ex quibus primus Croſnenſis Principis titulum, annuente Ferdinando I. Cæſare, Bohemiæque Rege, Joachimus II. Elector aſſumpſit. Anno 1481. rurſus in Vulcani pabulum ceſſit, ita ab igne abſorpta, ut nec una quidem domus ſupereſſet, multi verò homines diverſi ſexûs ætatiſque perirent. Tertiò ab incendiariis deleta pene eſt anno 1631. Nec minores deinde clades paſſa à Svecis, Cæſareiſque, nunc his, nunc illis Urbem oppugnantibus. Lata circa Croſnam planities extenditur; in ulteriori tamen Oderæ littore lentè aſſurgit mons vinetis, arborumque fructiferarum copioſo proventu percelebris.

FRANCOSTEINIUM.

FRancoſteinium, vulgò Franckenſtein non ignobilis Minſterbergenſis Principatûs Civitas ad Steinam fluvium ædificata fertur à Franconibus ſub annum 1021.; quinquenniò enim priùs Richſa Ottonis III. Cæſaris filia Miecislao II. Duci deſponſata in Poloniam adveniens magnum poſt ſe traxerat Germanorum comitatum, cúmque gentis ſuæ ſtudioſiſſima non deſineret plures, ac plures advocare, idque Polona Nobilitas ægerrimè ferret, expetiit à marito, ut extra Poloniam in aliqua tamen Provincia Coronæ Polonicæ obnoxia liceret Germanis hoſpitibus colonias figere, amplumque in Sileſia tractum obtinuit, ubi Germani quaſdam Urbes, ac Oppida, atque inter Francones Francoſteinium condidiſſe creduntur. Vix aliam deprehendes Urbem belli viciſſitudines toties expertam: ſeculò enim decimò quintò intra 28. annorum periodum, decies quater capta in alienam decidit poteſtatem: idipſum decimò ſeptimò etiam ſeculo, Saxone, aut Svecò Provinciam infeſtante, ſæpiùs iteratum eſt. Inter quos adverſæ fortunæ caſus etiamſi incendia, aut excidia pluries perpeſſa, vènuſtâ tamen Curiâ, & Arce etiamnum ornatur. Præter quæ memorabile quoque eſt venuſtum Ordinis Prædicatorum Cœnobium, in cujus Templo hæc de Huſſitarum crudelitate leguntur. *Anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo, ipſo - - - in paſſione crematus eſt Frater Nicolaus Cur - - - Supprior hujus Conventus, homo ſanctiſſimæ vitæ in introitu cœmiterii ab Huſſiticis, eò quod apertè prædicaſſet contra ſectam ipſorum. Eodem die occiderunt Fratrem Joannem Budam eadem de cauſa concidentes in fruſta, & alium Fratrem Andream Cantoris Diaconum occiderunt per ſagittam foris valvam Wratislavienſem. Tunc enim devaſtarunt multas Civitates, & pro majori parte totam Sileſiam.*

FREYSTADIUM.

FReyſtadium, ſeu Eleutheropolis, vulgò Freyſtadt à Polonis Cozuchovia vocatum, præcipua Glogovienſis Principatûs Civitas, inter Sprottaviam, Saganum, Grünbergam, & Bethaniam Urbes quaſi centrum obtinet, utpote tribus milliaribus à ſingulis diſſita: Glogovia autem quinque, & Wratislavia ſexdecim milliaribus hinc removetur. Urbis hujus fundamenta à Germanis jacta creduntur, quos Mechtildis Alberti Ducis Brunſvicenſis filia, & Henrico III. Glogovienſi Principi ſub annum 1280. nupta in has oras advocaverat: illius tamen mentio non nisi poſt integrum ſeculum, anno ſcilicet 1380. in annalibus occurrit. Linearum telarum texturæ plurimùm incumbunt Cives, qua ſibi lucrum, & ſupra reliquas vicinas Urbes gloriam conſequuntur. Arci Aquilonem versùs ab antiquis Principibus erectæ, Henricus X. Glogovienſis Princeps foſſas, aliaſque munitiones, Schonaichii Proceres, poſtea loci Domini ornamenta adjunxere. Circumſitus ager arenoſus quidem eſt, improbo tamen agreſtium labore fertilis evadit. Certè ipſos Glogovienſes hortos à Freyſtadienſium amœnitate ſuperari aſſeverat Merianus. Inter bellicos tumultus ille maximè exitialis Freyſtadiò evenit, quando nimirum anno 1488. Joannes Saganenſis Princeps Bohemicæ militiæ perſolvendæ impar, hanc Urbem illi obtulit exſpoliandam.

FRIDLANDIA.

FRidlandia vulgò Fridland Schwidnicenſis Principatus Urbecula giganteis montibus adhæret, Duce ſuo Alberto Walſteinio celeberrima, cui eam Ferdinandus II.

Im-

Imperator contulerat; ſed eô interfectô, & ad Comitis Galaſſii hæredes devoluta Ducalis tituli prærogativam amiſit. Anno 1639. à Svecis cum Arce obſeſſa, eorundem præſidium ſuſcepit, ſed prædones experta eſt, à quibus tutelam præſtolabatur. Rurſus anno illius ſeculi 42. Torſtenſonius eò quoque pervenit, ubi acre inter Cæſareos, & Svecos certamen commiſſum eſt, uſque dum Cæſarei inter giganteos montes recederent, & Fridlandia hoſtium direptioni pateret.

GLOGOVIA.

GLogovia, vulgò Glogau famoſa Urbs, in cujus loco antiquum Ptolomæi Lugidunum quondam ſtetiſſe nonnulli divinant, Glogovienſi imperat Principatui Poloniæ contermino, qui ab Odera diſſectus frugibus quàm maximè abundat, & mira Nobilium Arcium, Pagorumque frequentiâ repletur. Hujus Urbis Primus meminiſſe fertur ad annum 1104. in Polonica hiſtoria Dugloſſus, dum narrat Principem Boleslaum Criſpum Pomeranos invaſurum, Glogoviæ militem conſcripſiſſe, at cùm quinquennio pòſt apud Merianum ſubjungat, ab Henrico V. Imperatore anno 1109. obſeſſam copioſos quidem Cives numeraſſe, ſed muris nimia vetuſtate collapſis, hoſtium aſſultibus patuiſſe, multò antiquiorem ejuſdem originem clariſſimè indicavit. Hinc veroſimile quibuſdam videtur Glogoviam, & Wratislaviam eodem tempore ſub Poloniæ Duce Miecislao I. conditas eſſe, cùm tunc Epiſcopi Godefridi, aliorumque conſilio, multæ in Polonia Civitates, Eccleſiæque extruerentur. Opinantur quoque nonnulli Boleslaum Criſpum ex adverſa Oderæ ripa in hodiernum fertiliorem ſimul, ac amœniorem ſitum Urbem tranſtuliſſe, ejuſdem pomœriis ob Civium multitudinem latiùs explicatis, ibiq; ſvadente Haymone Epiſcopo Canonicorum Collegium anno 1120. fundaſſe Wratislavienſi Diœceſi ſubjectum. Demum Conradus II. Glogovienſis Princeps ſub annum 1260. invitatis in Urbem Germanis eam longè reddidit ampliorem. Præfert Glogovia ovalem figuram; longiùs enim ab Auſtro ad Septentrionem, quàm ad reliquas plagas protenditur, tantamque recondit tritici, aliarumque mercium copiam, ut exterarum etiam gentium velut penuarium habeatur. Ædificia indies magis, magisque ad architectonicas regulas expoliuntur, quamvis maxima ex parte lignea. Præcipuus ejus ornatus cenſetur Eccleſia Collegiata à Conrado II. in Oderæ inſula ſplendidè excitata, ut antiquæ Eccleſiæ à Boleslao erectæ, fundo, ùt quidam ſentiunt, Caſtrum imponeret. Parochiali Templo ad Auſtralem plagam ſito adjacet immanis turris, cui parem nuſquam vidit Sileſia, ultra quinque jam ſecula perdurans, ſed acumine ſuo mutilata. Quatuor præterea numerantur hìc Religioſorum Domicilia; unum ſcilicet ſacræ D. Dominici Familiæ à prædicto Conrado fundatum, & quidem in eo, prout Schickfuſius docet, loco, quem Boleslai Criſpi Eccleſia quondam occupabat. Alterum à Minoribus S. Franciſci de Obſervantia habitatur. Tertium eſt Societatis Jeſu Collegium à Ferdinando II. Cæſare dotatum. Quartum denique idem Conradus, ſvadente Conjuge Salome à Poſen ob pietatem prudentiamque inclyta, Virginibus Deo dicatis deſignavit, & filio ſuo Henrico III. perficiendum reliquit. Urbs hæc multis incendiorum caſibus vaſtata lætior, & ornatior ex ipſis flammis ſemper revixit. Perſtrepentibus elapſi nuper ſeculi bellis, non modicis affecta cladibus, & fortiorum aliquando in partes tranſire coacta, in totius Provinciæ luctu ſuas quoque calamitates deflevit. Glogovienſem Principatum præter Svebuſium, Bethaniam, Sprottaviam, & Freyſtadium, de quibus alibi agitur, commendant Oppidum Guravia rei frumentariæ commercio celeberrimum, Tſchirnavium ſingulari lanificii, & tincturæ arte præcipuè clarum, & Grünberga Urbs anno 1320. in valle vineis, paſcuis, & arvis lætiſſima à Germanis conſtructa.

GOLDBERGA.

GOldberga Lignicenſis Principatus Civitas cum toto ſuo Diſtrictu beatâ gaudet ſoli amœnitate, cœlique clementiâ. Cattum amnem ob auriferas arenas celebrem præterlabentem proſpectat in convalle longè jucundiſſima, quæ agrorum fertilitate, hortorum deliciis, paſcuorum ubertate, ſalictorum denique ad utramque ripam ſvaviſſimâ umbrâ vix ulli cedit. Aurifodinis, unde nomen traxit, quondam claruit anno 1200. adeò fœcundis, ut ſeptimo quoque die 150. auri libras dediſſe legantur, è quibus una libra, ſive ùt quidam volunt, 80. aurei Rhenani Senatui Urbano cedebant. Henricus Pius Sileſiæ Dux cum Tartaris per Poloniam in Sileſiam uſque irruentibus congreſſus, quingentos metallicos, ſeu foſſores Goldbergenſes ſub ſignis habuit. Cœnobium à S. Hedwige Henrici Barbati conjuge anno 1212. fundatum, Lutherana hæreſis in errorum ſuorum ſcholam poſtea convertit. Anno 1427.

Hussitæ pueros omnes in ludo literario inventos, & Sacerdotem in Templo barbara crudelitate trucidarunt. Variis insuper, gravibusque incendiis obnoxia fuit diversis temporibus, & præterito seculo Svecorum præsidio insessa multas belli injurias cum reliquis tulit.

GROTKA.

GRotka, seu Grotkavia vulgò Grodtkau Principatum suum cognominat, qui ab Ortu Oppolienſem, à Septentrione Brigenſem, ab Occasu Minsterbergenſem, & à Meridie Bohemiam Moraviamque respicit. Quando ea orta fuerit, incertum; constat tamen eam primò muros, & Urbis formam impetrasse à Boleslao Boleslai Calvi filio, cui in paternæ hæreditatis divisione anno 1278. Schwidnicenſis Principatus obtigerat, & post fratris sui Henrici Crassi Wratislavienſis, & Lignicenſis Principis obitum, anno illius seculi 96. nepotum assumpserat tutelam. Suberat enim Grotka Lignicenſium, & Brigenſium Principi Boleslao Henrici Crassi filio, à quo postea Precislaus Pogarellus Wratislaviæ Episcopus, anno nimirum 1341. totum Grotkanum Principatum emit, suæque adjunxit Ecclesiæ. Laudatur hìc aër saluberrimus, agri fœcundi, & sylvis cincti, ita ut pacis tempore omnia exiguo pretio venalia sint, unde natum proverbium, Grotkovienſes nec fame, nec frigore extingui posse, cùm quævis domus adjuncta arva, & sylvas possideat. Ædes ex ligno pleræque, paucæ ex cæso lapide constant: hujusmodi sunt præter alias Curia, Palatium Episcopale, & Templa, inter quæ Parochiale amplitudine præstat. Multis quoque adversis casibus succubuit. Anno 1490. tota incendiò periit. Rursus anno 1549. fulmine tacta, exceptâ Parœciâ cum sex domibus, universa conflagravit. Anno 1633. à Sveco-Saxonibus capta est, exinde iterum anno 42. à Torstenſonio Svecorum Duce occupata. Præter Nissam, de qua alibi dicetur, continet Grotkcanus Principatus sequentia Oppida, nempe Hotzeplotz in loco edito Arce, & mœnibus olim à Brunone Olomucenſi Præsule circumdatum. Ziegenhals ferrariis officinis famosum, & Zuemantel aliàs Edelstein sub Moravicorum montium radicibus positum, ferri, æris, calchanti, argenti, aurique fodinis clarum, sicque modò appellatum, quòd ibi latrones pallia viatoribus detrahere consveviſſent.

HENRICHOVIENSE COENOBIUM.

HEnrichovienſe Cistercienſis Ordinis Cœnobium apud Olæ fluvii fontes in Minsterbergenſi Principatu excitavit anno 1221. Nicolaus Canonicus Wratislavienſis Henrici Silesiæ Ducis Cancellarius, qui, ùt habet Cureus apud Schickfusium (a) plura per hæc tempora Cœnobia erigebat, atque in eo pietatis genere ipsum Ducem superare nitebatur; nec tamen de suo nomine, sed à Duce Henrico Cœnobium hoc Henrichovienſe voluit appellari. Demum abdicatis mundi pompis hanc sacram Ædem ingressus, in ea consenuit, relictâ apud omnes ingenti suarum virtutum famâ. Is quoque aliquibus visus est Camencenſis Monasterii fundator, cùm ad idem circiter ævum hujus exordia referantur, & Cureus apud Balbinum, (b) utrumque quasi simul conditum his verbis enarret. *Hoc tempore eriguntur Monasteria Henrichovienſe per Henrici Ducis Cancellarium, & Camencenſe in edito monte.* Cæterùm Henrichovienſe Cœnobium vetustam etiamnum tuetur dignitatem, quamvis, ùt in Templi magnificentissimi vestibulo legitur, Hussitæ septies igne, ferroque illud vastaverint.

(a) Lib. 2. c. 3.

(b) Diu. Wast. orig. c. 5.

HIRSCHBERGA.

HIrschberga, seu Cervimontium vulgò Hirschberg à cervorum venatu ita dicta, duplici muro, fossisque cingitur, amplumque habet in Jauravienſi Principatu territorium, totum ferè montibus obsitum, & saltibus obumbratum. Urbs non ampla quidem, sed incolis frequens, & elegantioribus lini artificiis illustris, ad Zazi, & Boberi confluentes, loco amœno, ac percommodo intra Sudetos montes includitur, atque à propinquis thermis nobilitatur ad varios curandos morbos efficaciſſimis. Anno 1549. fortuito igne penitus exustam Cives multò ornatiùs restituerant; sed anno 1634. incensis à Cæsareo milite Suburbiis, allata à vento in Urbem flamma ita rursus in favillas redegit, ut ne unica quidem domus voracis elementi sævitiam subterfugerit. Sexennio pòst à Stallhanſio Svecorum Duce militari robore firmata, adeò inflexibili pervicacia diuturnum à Cæsareis obsidium sustinuit, ut multæ mulieres fame contabuerint, infanteſque sibi manus ambederint. Tandem à Stallhanſio liberati inquilini universim quingenti cum mulieribus scilicet, ac infantibus Urbem reliquere, succenſis portis, & omnibus, quæ

tol-

tolli poterant, aſportatis. Deſertam, deſtructamque Hirſchbergam Cæſareorum Dux Goltzius paulùm reſtauravit, novoſque induxit incolas. Verùm anno 1645. à Königsmarchio expugnata, munitaque Cæſareas copias longiùs fatigavit.

JAURAVIUM.

JAuravium, ſeu Javoria, vulgò Jawer proprio gaudet Principatu, cui nomen indit. Hic in longum protenſus Bohemiam versùs, quæ ipſi Meridionalis eſt, in ampliorem latitudinem ſe diſpergit, ita ut figuram amphoræ non abſimilem exhibeat, cujus anguſtum os à Glogovienſi Principatu ad Boream claudatur, anſatum verò latus, in quo ipſa Metropolis, Schwidnicenſem, & Lignicenſem Ducatus habeat conterminos, & anterior pars Luſatiam, Bohemiæque partem ad Occidentem reſpiciat. Surgit Urbs in plano, fœcundoque campo, quatuor milliaribus Schwidnicio, & octo Wratislaviâ recedens. Fortes illam ambiunt muri, intra quos clauditur Parœcia, & Cœnobium, quod Joannes Varadinenſis, ac Olomucenſis Epiſcopus Minoribus S. Franciſci de Obſervantia, quorum inſtitutum amplexus fuerat, anno 1492. excitavit. Ante lapideam Curiam patet forum, annexis cuivis domui porticibus circumdatum, ita ut Civibus per eas liceat à cœli injuria tutis ambulare. Mira ſunt Jauravienſia inſignia, quæ in campo cæruleo præferunt S. Martinum gladio pallium rubrum diſſecantem, atque equo cinericio inſidentem. Anno 1640. Goltzius Cæſareorum Tribunus Civitatem hanc uno, alteroque aſſultu recepit, magna cum Civium ſtrage, qui Stallhanſianô præſidiô freti cœperant murorum aditus ſtrenuè propugnare. Anno ejuſdem ſeculi 42. à Svecis Duce Torſtenſonio capta eſt iterum Civitas, & anno 46. ab iis direpta. Tandem anno 48 ſtratagemate Cæſarei eam recepere, deprædantium militum licentiæ permiſſam. In hoc Jauravienſi Principatu præter Hirſchbergam, & Leobergam ſuo loco deſcriptas, memoratu digna eſt Urbs Boleslavia, ſeu Bunzlavia ad Boberum fluvium ſita, aëris ſalubritate, fontium perennium frequentiâ, ſoli fœcunditate paucis ſecunda, apud quam & nemora denſantur, & porrecta patent camporum æquora floridis, ac irriguis pratis diſtincta. Oppida inſuper Schmidberga ad giganteorum montium latus, à metallicorum fabrorum frequentia nomen adepta; Kupferberga, ſeu Kuprimons iiſdem jugis ad Boberum amnem cincta, & ſeptuaginta officinis, in quibus metallum excoquebatur, olim celebrata. Greiffenberga, quam Quiſſus alluit, atque exculta ibi linificia commendant; Liebenthalium amœna clauſum valle, & Sanctimonialium Parthenone decoratum.

LEOBERGA.

LEoberga, vulgò Lemberg, vel Lewenberg Jauravienſis Principatûs Civitas quatuor milliaribus Hirſchbergâ diſtans inter omnigenas terræ delicias à Bobero fluvio irrigatur. Quondam metallorum fodinis, nunc ædificiorum elegantiâ, agrorum culturâ, lanificii præſtantiâ, hortorum denique amœnitate maximè renidet. Mirus hic peregrinarum aliàs ſtirpium progreſſus, quæ calidiori cœlo foveri exigunt; hujuſmodi eſt malus granata, & roſmarinus tanta pullulans ubertate, ut per ipſam quoque Bohemiam diſtrahatur, & magnum Leobergenſibus lucrum reportet. Firmatam ab anno 1640. Stallhanſii præſidiô Leobergam, biennio pòſt Lavenburgicus recepit, & cum Glogovia ad Svecos relapſam, Cæſareus miles anno 43. ſecundò recuperavit.

LIGNICIUM.

LIgnicium, vulgò Lignitz præclara Urbs inſignem prorſus ſub ſe habet Principatum, ſuoque nomine diſtinguit. Jungitur hic ad Ortum Wratislavienſi, ad Boream Wolavienſi, & Glogovienſi, ad Occaſum rurſus Glogovienſi, & Jauravienſi, atque ad Auſtrum iterum Jauravienſi, & Schwidnicenſi. Antiquam hanc Civitatem Boleslaus Altus I. Sileſiæ Dux commodioribus ædificiis auxit, ductoque circa eam muro vallavit, ut indè majorem Civitatis ſpeciem præſeferret. Paulò pòſt favore ſubſequentium Principum, maximè Henrici Pii, Civium frequentiâ opibuſque admodum crevit Lignicium; Henrici quippe mater S. Hedwigis, cùm ex clariſſima Meranienſium Ducum ſtirpe, de qua in Tyroli ſermo fuit, originem duceret, magnam inde nobilitatem poſt annum 1200. in Sileſiam traxit, quæ Urbem hanc, utpote Principum Sedem cultiſſimam reddidere. Maximum verò incrementum Friderico II. Lignicenſi Principi in acceptis refert, qui anno 1532. Civitatem, Arcemque latioribus munivit mœnibus, & ſplendidioribus exornavit ædibus, ita ut ipſi Wratislaviæ tum ſtructurarum concinnitate, tum incolarum opulentiâ parum concederet. Stat illa in plano, ac peramœno campo, Inferioris Sileſiæ meditullium ferè obtinens, ubi à torrente Katzbaco alluitur, qui ex monte Bleyberg deſcen-

dens totum Lignicenſem Principatum percurrit, in Oderam tandem prolapſurus, vernoque tempore omnia rapidiſſimo curſu obvia non rarò proſternit, ingenti cum hominum, pecudumque ſtrage. SS. Petri, & Pauli Baſilica reliqua omnia ædificia magnifico ſuo ſplendore præcellit. Templum D. Joanni ſacrum Princeps Wenceslaus anno 1347. fundavit. Carthuſiam, quæ olim prope Civitatem florebat, Ludovicus II. anno 1523. erexerat, ſed Fridericus III. anno 1548., quaſi mœnium ordinem interturbaret, everti juſſit. Antiquatum pariter Ordinis Prædicatorum Cœnobium Boleslaus Calvus in eodem ſepultus excitaverat. Præterito autem ſeculo Templum, ac Collegium Societas Jeſu in hac Urbe obtinuit, & etiamnum ſervat. Inter adverſa Lignicium primò recenſet Tartarorum irruptionem, qui tantam Civibus in aperto conflictu cladem, ac indè terrorem anno 1241. intulere, ut ipſimet incenſa Civitate in Arcem ſe receperint, quam ſolam propugnarunt. Eaſdem præterea, quas reliquæ hactenus memoratæ Urbes, paſſa etiam hæc eſt calamitates, dum Svecici belli tempore tota gemeret Provincia, modò à Svecicis, modò à Cæſareis exercitibus ſubacta. Non tantùm externis, ſed etiam inteſtinis motibus agitabatur: ſic anno 1454. coorta intus ſeditione trucidatus eſt à populo Senatus, expulſuſque Præfectus Regius; ſed eam Albertus Marchio Brandeburgicus, non tamen abſque labore, frœnavit. Lignicenſem agrum recreant nunc crebri lacus, amplæque piſcinæ; olim autem etiam auri venæ ditaverant, ex quibus quavis ferè hebdomada aliquot metalli libras Princeps Ludovicus eruebat. Cæterùm eximius hic Principatus præter Goldbergam Urbem, de qua ſuperiùs dictum eſt, inter ſua Oppida enumerat quoque Haynam cum Arce duobus milliaribus Ligniciò diſſitam, & ab Huſſitica rabie omnibus pueris literarum ſtudio vacantibus, & Sacerdotibus anno 1427. orbatam; Lubenam vetuſtate celebrem, utpote à Boleslao Alto munitam. atque Parchwicium, quod Ratzbaco amni paucis infra Lignicium milliaribus adjacet, nobili Arci gaudens, & vinetis clarum.

MILICIUM.

Millicium, vulgò Militſch, ad Bartham amnem, primarium eſt Oppidum unius è quatuor liberis Baronatibus, qui nulli Principatui includuntur, ſed totidem conſtituentes Dynaſtias, Bohemiæ Regi immediatè, ùt loquuntur, ſubjacent, ac peculiarem Provincialium Statuum Ordinem repræſentant, & inter quos, ut controverſias de ſeſſionis prærogativa ortas compeſceret, Ferdinandus Cæſar hanc legem tulit, ut qui ex antiquiſſima foret familia cæteris præiret: Anno 1329. à Conrado Glogovienſi Principe Joanni Bohemiæ Regi ùt feudum oblatum eſt; poſtmodum verò ad Malzanios Proceres devenit.

MINSTERBERGA.

Minſterberga, vulgò Münſterberg celebris quondam Urbs, Principum, ſeu Ducum Sedes, utpote cognominis Principatûs Caput, qui ab Henelio apud Blavium hodie ad Olsnenſem licèt indè diſſitum refertur, ab aliis autem ſeorſim numeratur. Gaudet ea opportuno, fertilique loco, prope Olæ, ſeu Olaviæ amnis fontes, quinque milliaribus Glacio remota, creditúrque ab Henrico I. Imperatore Civitatis juribus donata, & à Monaſterio, quod ille ibidem ædificaverat, nomen ſuum conſecuta. Hinc à quibuſdam inter quatuor S. R. I. montes Minſterberga recenſetur, ſicut tota Sileſia inter quatuor ejuſdem Vicariatus; verum reclamant Sileſii, & validis argumentis utrumque à Balbino dicitur refutaſſe Joannes Henelius negans in ulla unquam Imperii Germanici diviſione hos vel Sileſiæ, vel Minſterbergæ titulos inveniri. Parebat hæc quondam ditio propriis Principibus ex Lignicenſi ſtemmate prognatis uſque ad annum 1428., quo eorum poſtremus Joannes ab Huſſitis apud Glacium cæſus ſinè prole interiit. Altero interim anno Wratislavienſes Minſterbergæ Arcem ſolo æquarunt, ne ea potiti Huſſitæ ab ejuſdem munimentis protegerentur. Cúmque paulò pòſt Principatus ad Bohemiæ Reges deveniſſet, hi anno 1443. Wilhelmo Oppavienſi Principi contulere, ſed ejus fratre, ac ſucceſſore Erneſto Primislao ſinè liberis extincto curavit Georgius Bohemiæ Rex, ut ſui filii Victor & Henricus à Friderico Cæſare S. R. I. Principes, & Minſterbergæ Duces crearentur. Parochiale S. Georgii Templum ob magnitudinem dilaudat Merianus, & quoddam præterea Cœnobium S. Crucis honori dicatum in hac Urbe commemorat. Continet Minſterbergenſis Principatus etiam Camencenſe Monaſterium, atq; Oppida Francoſteinium, & Wartam, de quorum primo jam actum eſt, de altero inferiùs agetur.

NAMSLAVIA.

Namslavia, vulgò Nambslau ampla, & frequens Urbs in Wratislavienſi Principa-

cipatu, cui anno 1359. inſerta eſt, cùm antea Lignicenſi adſcriberetur: idque factum poſtquam anno 1348. Bohemicæ Coronæ vendita fuit, & ſimul muris cingi cœpit. Caſtrum habet cum genio, & natura loci, tum ſolerti manu egregiè munitum, è quo Sveci diu ſe tutati ſunt, cùm Cæſarei anno 1634. vi Urbem expugnaſſent. Poſtea Saxones Namslaviam ſuæ poteſtatis fecere, ſed exinde iterum à Cæſareis recepta eſt. At annis 1642., & 46. à Torſtenſonio, & Wittenbergio Svecis captam, toties Cæſarei Duces recuperarunt.

NEOFORUM.

NEoforum, vulgò Neumarck, Wratislavienſis Principatûs Urbs in fertili ſolo Wratislaviam inter, & Lignicium occurrit, à quibus 4. utrinque milliaribus ſeparatur. Crudele hìc facinus patravit anno 1245. Boleslaus Henrici Pii filius, quando captæ Urbis ædibus penitus direptis ad Templum proceſſit, quo imbellis ſexus cùm infantibus ſpe obtinendi ibi aſyli confugerat, ſubjectiſque illi facibus dira quingentorum inſontum nece ſuo furori litavit. Durante bello Svecico, cùm Cæſareus Præfectus Henricus Redingerus Stallhanſio Svecorum Duci Neoforum prodidiſſet, perfidum caput, à carnifice palàm abſciſſum, Wratislaviæ amiſit. Recepta poſtmodum à Cæſareis Civitas rurſus anno 1642. à Torſtenſonio Sveco occupata eſt, ad Cæſarem ſecundò reverſura.

NISSA.

NIſſa, vulgò Neiſſe nobilis Grotkani Principatûs Urbs, Niſſæ fluvii littori inſiſtens, ipſam Grotkam, ſeu Grotkaviam amplitûdine ſuperat: hinc totus Principatus non Grotkanus, ſed Niſſenſis ſæpiùs appellatur. Nihil in hac ferè earum rerum, quæ ad Civitatis ſplendorem faciunt, deſiderari poteſt. Peramœnô quippe ſita ſolo, agros habet uberrimos, cœlumque ſaluberrimum: annonæ copiâ abundat: Civibus frequens eſt, negotiatione florens, mechanicis artibus egregiè exculta, exellentibus denique ædificiorum ſtructuris ſacris, & profanis, publicis, & privatis ornatiſſima. Præeminet omnibus Parochialis Eccleſia D. Jacobo conſecrata, cui ſuppar eſt Crucigerorum Templum Epiſcopali Palatio annexum; in hac enim Urbe, quæ Wratislavienſi Eccleſiæ ſubeſt ſolent ſæpe illius Antiſtites cum ſplendida Aula reſidere. Adeſt hìc inſuper Minorum Conventualium Cœnobium, & Societatis Jeſu Collegium à Carolo Auſtriæ Archiduce, & Wratislavienſi Præſule erectum, noviſque proventibus ab illius ſucceſſore Carolo Ferdinando Polono dotatum. Cæteræ intra Urbem Eccleſiæ SS. Petro, Barbaræ, & Annæ dicatæ ſunt; extra eam autem B. Dei Genitricis, atque SS. Joannis, Nicolai, & Catharinæ Patrocinium agnoſcunt. Magnam præterea Niſſæ famam conciliant vinariæ nundinæ, quæ menſe Januario celebrantur in tota Sileſia celeberrimæ. Sæpiùs etiam hæc Urbs conventibus agendis delecta eſt, ſicut & anno 1497., cùm Nicolaus Oppolienſis Princeps & Sileſiæ Præfectus Caſimirum Teſchinenſem, & Epiſcopum Wratislavienſem pugione confodere attentaſſet; qua de cauſa condemnatus, & in foro capite plexus tam atrocis facinoris pœnas dedit. Bellici eventus præcipuè incidêre in annum 1632. quando Arnhemius Sveco-Saxonum Generalis Urbem deditione cepit, quam tamen illi eodem anno Holckii Cæſarei Ducis exercitus adjuvantibus Civibus extorſit, atque in annum ejuſdem ſeculi 42. ſervavit, quo Torſtenſonii viribus ceſſit, & quindecim thaleorum millia cum omnis generis commeatu ſuppeditare coacta eſt. Eam tamen poſtea omnia depopulati Sveci deſeruerunt, quatuor portis, ac nonnullis turribus exuſtis, & Conſule, duobus Senatoribus, atque aliquot Nobilibus avectis.

OLAVIA.

OLavia, vulgò Olau Brigenſis Principatûs Urbs probè munita, & ab Ola fluvio irrigata, 4. milliaribus Wratislaviâ, & totidem Grotkaviâ recedit, ac perelegânti Principum Arce plurimùm decoratur. Prima illius mentio ad annum 1331. reperitur, quo eam Joanni Bohemiæ Regi Boleslaus, ejuſque Filii Wenceslaus, & Ludovicus Lignicii, & Brigæ Principes veluti feudum ſubdiderunt. Hoſtium deinceps incurſibus ſæpiùs patuit: Anno 1429. Wratislavienſes ab Huſſitarum jugo, quo à pauco tempore premebatur, Olaviam liberavit. Anno 1632. in Saxonum manus venit, à quibus ad Cæſareas partes regreſſa, poſt paucorum annorum intervallum Svecos vim aliàs intentantes admiſit, qui eam cœpêre anno 47 egregiis munimentis vallare, ſed legitimo Domino nempe Cæſari tandem relinquendam.

OLSNA.

OLſna, vulgò Oels, Cromero Olesnicia pingui, ac fœcundô fruens ſolô, & 4. milliaribus à Sileſiorum Metropoli remota, in Olſnenſi eminet Principatu, quem clauduntad Orientem, & Boream tres Baro-

ronatus Trachenberga scilicet, Milicium, & Wartenberga, ad Occidentem Wolavienſis Principatus, & Wratislavienſis ad Auſtrum. Henrici I. Cæſaris favore clarere cœpit Olsna anno 936., quando obtentis ab eo inſignibus privilegiis ex tenui Oppido, quod ab anno 300. ſtetiſſe fertur, in Civitatem evaſit. Piaſtæis Principibus è Glogovienſi linea deſcendentibus per annos pene ducentos paruit; ſed cùm anno 1492. Conrado VIII. ſinè prole decedente, ejus ditiones in Wladislaum Bohemiæ Regem recidiſſent, hic Olſnenſem Principatum Henrico prædeceſſoris ſui Georgii filio Minſterbergenſi Duci contulit, receptô in ejus locum dominiô Podiebrad ad Bohemiam pertinente. Spectatu digniſſimum in hac Urbe ſe offert Principum Palatium magnificè, & ſumptuosè ædificatum. Anno 1634. Dubaldius Svecorum Dux Olſnam expugnavit, prædamque indè abſtulit trecentis florenorum millibus æſtimatam: eodem tamen anno ad Cæſareos rediit, ſed rurſus à Saxonibus capta, incendiis conſumptum deflevit, quod à Svecica direptione ſuperfuerat. Anno autem 1640. à Stallhanſio tentata, prioraque metuens infortunia, didicit hoſtilem impetum generoſiùs retundere: at nihilominus biennio pòſt Svecorum potentiæ iterum ſuccubuit, iiſque obtemperavit, donec à Laurentio Barone ab Hoffkirchen Cæſareorum Tribuno, pluſquam quingentis Svecis in captivitatem abductis, ſuo priſtino Domino redderetur. Tandem Sveci ſub Wittenbergio militantes occupata Urbe, non tam in Civium fortunas toties direptas, quàm in muros deſævierunt, vallis, mœnibuſque ex Ducis juſſu ad terram proſtratis. Olsnenſi Principi præter Trebnicium, de quo poſtea dicemus, ſubjacet Bernſtadium Oppidum ad Weidam fluvium cum Arce ſitum, belloque Svecico plurimùm vexatum; & Hundsfelda unico milliari Wratislaviâ diſtans, ac memorabili victoria à Boleslao Poloniæ Duce adversùs Henricum V. Imperatorem ibidem obtentâ percelebris.

OPPAVIA.

Oppavia, ſeu Troppavia, vulgò Oppaw, & Troppaw nobilis eſt Urbs ad Oppæ, & Moræ confluentes jam ante 1164. extructa, ſuique Principatûs Metropolis, qui ab Oriente Teſchinenſi, & Ratiborienſi, à Meridie, & Occidente Moraviâ, & Grotkanô, à Septentrione demum Carnovienſi terminatur. Urbs ſat ampla, & inquilinorum multitudine referta, ſolidis muris undique munitur. Intus autem multis ſacris ædificiis exornatur, inter quæ ſpecioſiſſimum eſt Parochiale Templum D. Georgio dedicatum, cui cedunt alia duo B. V. & S. Joannis cultui devota. Videre hìc eſt præterea unum Sanctimonialium Cœnobium, & plura Religioſorum virorum Domicilia, quibus etiam Societatis Jeſu Collegium accenſetur à Liechtenſteiniis Principibus fundatum. Laudantur quoque privatæ Civium ædes, & Suburbia longè hinc extra Urbem procurrentia. Vetus Oppavienſium Principum ſeries anno 1480. in Principe Joanne progredi deſiit. Hinc ad Coronam Bohemicam devolutus eſt Principatus, & à Matthia Cæſare, Bohemiæque Rege anno 1614. Carolo Principi Liechtenſteinio hæreditario in poſteros jure tanquam feudum collatus. Evolutô nuper ſeculô ſemel à Danis, bis à Svecis ſubacta in Cæſaris poteſtatem ſemper recidit. Ad Oppavienſem Principatum ſpectant etiam Engelsberga Oppidum metallicum ad radices montium Moraviam à Sileſia ſeparantium occurrens; Hiltſchinum muris cinctum, & ſpecioſa Arce ornatum, ubi Oppa in Oderam effunditur, & Wochſtadium eleganti itidem Prazmannorum Arce ſuperbiens.

OPPOLIA.

Oppolia, vulgò Oppeln pervetuſta Urbs proprio præeſt Principatui, qui ſi Oppidorum frequentia ſpectetur, nulli alteri in Sileſia Provinciæ inferior eſt, adhæretque ad Orientem, & Boream Poloniæ, ad Meridiem Carnovienſi, & Ratiborienſi regioni, & ad Occidentem Grotkanæ, Brigenſique. Cæterùm Oppolia in amœna, fertiliique planitie ſex ſupra Brigam Urbem milliaribus à præterfluente Odera irrigatur. Celebrantur illic Collegiata, ùt vocant, Eccleſia à pluribus Canonicis adminiſtrata, Curia, ac Cœnobium antiquo Palatio contiguum, quibus & Societatis Jeſu Collegium adjunge. Propriis olim ſubjacebat Principibus, ſed poſt Nicolaum, utì diximus, capite truncatum, ejuſque fratris anno 1532. abſque maſcula prole decedentis mortem, ad Bohemiæ Regem tota ditio pervenit, quam Regina Hungariæ Eliſabetha, & Tranſylvaniæ Principes Sigiſmundus, & Gabriel Battorii deinceps tenuêre. Conjunctus aliàs eſt hic Principatus cum Ratiborienſi, eademque privilegia, & jurisdictiones uſurpat. Fundata creditur à Schickfuſio Oppolia jam ab anno circiter 810., atque ſequentium ſeculorum periodis aucta non tantùm ædificiis, ſed etiam populis Germanicâ Polonicâque linguâ utentibus, hodiernam tandem amplitudinem aſſecuta eſt,

est, quam tamen pluribus annis morabantur incendia, & bella, quibus sæpe concidit oppressa. Corripuit eam ignis anno 1501., & alterius seculi 15., editâ non tam Domorum, quàm mortalium strage, quorum 104. in secundo incendio interîêre. Bellicas clades sensit à Wimaro-Danicis, Saxonibus, & Svecis diverso tempore inflictas, cúmque à postremis anno 1642. occuparetur, fortuitò incensa rursus in cineres, fumumque abiit. Restaurata tamen est, atque Imperatori post triennium restituta. Celebriora hujus Principatûs Oppida sunt: Beuthena in Poloniæ confinio argenti fodinis quondam locuples; Cosla unà cum Arce munita Oderæ fluentis imminens, ac varios belli casus cum reliquis Urbibus experta. Falcoberga ad Steinam fluvium minimè obscura, & Ducatûs olim titulô insignis. Glogovia Minor egregia Arce instructa rara loci amœnitate gaudens, & Lauretana Deiparæ icone in Minorum S. Francisci Cœnobio miraculis fulgente non parum illustris. Lesnicium dextro Oderæ littori impositum, & peregrinationibus, quæ ad propinquum S. Annæ montem religionis causà instituuntur, frequentatum. Neostadium denique, quod ôb amplitudinem, ædiumque elegantiam inter Oppolienſia Oppida nobilissimum existimatur.

RATIBORIA.

RAtiboria, vulgò Ratibor lævæ fluminis Oderæ crepidini incumbens in proprio emicat Principatu, cujus Boreale latus attingit Oppolienſis, Occiduum Oppavienſis, Australe Teschinenſis, & Ortivum Polonia. Spectabile Ratiboriæ est Canonicorum Collegium, quod sub titulo B. M. V. Thomas II. Wratislavienſis Episcopus anno 1287. in Arce fundaverat, sed Princeps Joannes, consentiente Wenceslao ejusdem Ecclesiæ Antistite, anno 1416. in Urbem transtulit, auxitque proventus, quibus præter Decanum, & Præpositum quatuordecim Canonici imposterum alerentur. Sanctimonialium Parthenonem S. Crucis honoribus dicatum Ratiborienſis Princeps Primislaus anno 1336. extruxit, ac liberaliter dotavit. Virorum quoque Cœnobium his addit apud Blavium Henelius. Multis bellorum infortuniis obnoxia plurimisque incendiis hæc Civitas fœdata fuit. Anno 1627. Wimaro-Danici irrito quidem eventu eam obsedere; sed anno ejus seculi 33., & 42. à Svecis capta, hos tam diu ferre cogebatur, donec à Cæsareis demum expellerentur.

SAGANUM.

SAganum, vulgò Sagan sat ampla, & populosa Urbs hinc à Bobero, & Quisso in unum alveum concurrentibus alluitur, à vastis indè nemoribus inumbratur. Subjacet huic Saganenſis Principatus, qui in longum recurvus ab Occidente utramque respicit Lusatiam, Boream versùs ad Crosnenſem Principatum pertingit, ad Orientalem verò Plagam habet Glogovienſem, & ad Meridionalem Jauravienſem. Glogovienſi Principatui antiquitus jungebatur, sed ab illo postmodum avulsus proprios obtinuit Principes, ex quibus Joannes postquam anno 1472. Urbem incendisset, in qua fratrem suum Balthasarem obsederat, captumque putrido carceri usque ad mortem incluserat, ut subditorum odium declinaret. Saxoniæ Ducibus Ernesto Electori, ejusque fratri Alberto Principatum vendidit, quinquaginta quinque aureorum millibus ab iis in pretium acceptis. Longo itaque tempore Saxonibus paruit, usque ad annum scilicet 1548., quo Ferdinandus I. Imperator, facta cum aliis bonis commutatione à Duce Mauritio redemit, & afflictam ab Hæreticis Orthodoxam religionem recreavit. Exinde ditionem hanc tanquam Bohemicæ Coronæ feudum obtinuit Sigefridus Promnicius, dein Albertus Wallensteinius, & tandem anno 1652. Lobkovicii Principes, quibus etiamnum subest. Inter Urbis notabiliora censentur, illustre Principum Palatium, & Canonicorum Regularium S. Augustini Collegium, quod Naumburgi Saganenſis Principatûs Oppido ab Henrico Barbato, ejusque conjuge S. Hedwige anno 1217. excitatum, post 67. annorum intervallum in hanc Urbem transtulit Sprottavienſis Princeps Primislaus. Huic postmodum aliud Religiosorum Cœnobium, & Societatis Jesu Collegium accesserunt. Bellici præteriti seculi eventus, utpote aliis toties enarratis consimiles datâ operâ prætermitto.

SCHWIDNICIUM.

SChwidnicium, vulgò Schweidniz insignis Civitas suo Principatui nomen tribuit: qui Wratislavienſi, & Jauravienſi ab Aquilone cingitur, Brigenſi ab Ortu, Minsterbergenſi, ac Bohemia ab Austro, & rursus Jauravienſi ab Occasu. Schwidnicii etymon ab apro plurimi derivant, quem in insignibus gestat; ortum verò ab anno 1070. auspicatur; muros tamen, turresque, quibus ambitur, atque concinnum platearum ordinem Boleslao I. cognomine

Bellicoſo accepta refert. Triplici hodie vallo, profundiſque foſſis defenſa dicitur, extra quas florentes explicantur horti, viridiaque prata, à præterfluente Weiſtricio amne humectata. Primarium D. Wenceslai Templum tum amplitudine, tum altitudine conſpicuum unà cum excelſa turri nunc grandi ære campano inſtructa monumentum eſt Boleslai II. anno 1330. collocatum. Eccleſia B. Virgini ſacra, quam terni fratres Comites in Wirbenau ex ſua in Deiparam pietate dudum erexerant, ad Minores D. Franciſci pertinet, quos Laurentius Wratislavienſis Epiſcopus jam anno 1220., in ipſo ſcilicet Seraphicæ Religionis exordio, ad eam fertur invitaſſe. Tardiùs ſucceſſit Venerabilis D. Dominici Familia, cui anno 1309. Schwidnicenſis Princeps Bernardus Cœnobium, ac Templum S. Crucis gloriæ dicatum ſuis ſumptibus excitavit. Poſtremò hanc Urbem ſubiit Societas Jeſu, quæ Collegii ſui authorem Ferdinandum IV. Romanorum, ac Bohemiæ Regem veneratur. Inter profana ædificia eminet Palatium Principum anno 1295. à Boleslao condi cœptum, Curia eleganter extructa, & Armamentarium antiquorum Principum, ac Ducum armaturis, quas adhuc conſervat, memorabile. Schwidnicenſium Principum proſapiam clauſit alter Boleslaus anno 1368. abſque prole è vivis ereptus, à quo ad ejus conjugem, ab hac verò ad Bohemiæ Reges anno ejus ſeculi 92. dominium Schwidnicenſe devolutum eſt. Svecico turbine Germaniam vaſtante è diverſis aliquoties obſeſſa Civitas, communia belli incommoda cum aliis tulit. Oppida quàm plurima inter hujus ampli Principatûs limites paſſim obviant. De Fridlandia, & Strigovia partim diximus, partim ſuo loco dicemus. Cætera notabiliora videntur: Gotzberga argenti, æris, nigrique plumbi metallis, quæ ibi effodiuntur, excellens, nec non carbone foſſili in vicinis montibus abundans. Reichenbachium textorum officinis, quarum ibi ingens copia, famoſum. Landishutum ad Boberi, & Zideri confluentes, territoriô Pagis frequentiſſimô gaudens. Bolckenhaina inter Urbes habita, quamvis non adeò ampla, amœna tamen eſt, Arcemque in edito admodum colle ſuſpicit à Bulione Principe excitatam.

SPROTTAVIA.

SProttavia, vulgò Sprottaw Glogovienſis Principatûs Civitas, 5. milliaribus ab illius Metropoli diſſita, ab amne Sprotta ad Septentrionem, & ad Meridiem à Bobero paulò pòſt Sprottam excipiente alluitur. Principatûs ab aliis diſtincti prærogativâ olim gloriabatur, poſtquam videlicet anno 1280. Glogovienſis Princeps Conradus diviſa inter filios hæreditate, Primislaum novum Sprottaviæ Principem creavit. Et licèt eo primùm tempore ex hiſtoriis hæc Civitas innotuerit, poſt Glogoviam tamen, & Beuthenam totius Principatûs antiquiſſima perhibetur, & anno 1271. ab eodem Conrado Germanorum Coloniis plurimùm aucta. Arcem habet versùs Ortum eo ſitam loco, quem fluvii, & paludes circumdant, ac muniunt. Cæterùm Sprottavia venuſta, & populoſa Urbs eſt, quam nobilitat ſacrarum Deo Virginum Cœnobium Beuthenâ translatum. Bellorum adverſitates, præſertim Svecicorum, non minùs, quàm aliæ, Urbes ſuſtulit modò à Svecis, modò à Cæſareis interceptа, aut derelicta.

STRIGOVIA.

STrigovia, Cromero Stregomum, vulgò Strigau, ſeu Striga Schwidnicenſis Principatûs Civitas ſatis ampla, & loco fertili ſita, ab optima cerviſia, ac terra, ùt vocant, ſigillata maximè commendatur; gignit enim proximus montis acuti, ſeu D. Georgii mons terram quandam ſubrubram per Joannem Montanum famoſum Chymicum repertam, quæ improbo labore duas inter rupes effoditur, ſummâque diligentiâ in orbicularem formam redacta, impreſſô ſigillô in probitatis teſtimonium notatur, unde eam ſigillatam dixere. Ejuſdem fertur coloris, virtutiſque, qua prædita eſt Lemnia; omnium quippe venenorum vim infringit, & plurimis aliis morbis medetur. Alia quoque terra ſigillata, ſed candida, non exigui tamen & ipſa apud Medicos uſus in Lignicenſi Principatu generatur. Sepulcrum prædicti Montani, qui peculiari opere illius terræ dotes complexus eſt, honorifico inſcriptum elogio in Strigovienſi SS. Petri, & Pauli Templo ſpectari poteſt.

SVEBUSIUM.

SVebuſium, Cromero Svebodinum, aliis Svebiſſena, vulgò Schwibus Glogovienſis Principatûs Urbs à Svionibus, vel Svevis nomen traxiſſe à nonnullis creditur; utrumque tamen oppidò incertum. Abeſt Glogoviâ Poloniam versùs 10. milliaribus in peropportuna, & amœniſſima jacens planitie circa propinquum lacum extenſa, præter quem adhuc alium longè ampliorem hujus Urbis Diſtrictus, ſeu, ut Henelius loquitur, circulus complectitur. Templum primarium eximii operis eſt, totum ex la-

pide

pide conſtructum cum magna, altaque turri, in qua multiplicis campani æris egregia ſymphonia. Præcipua hæc olim fuerat ſedes Equeſtris Ordinis S. Mariæ anno 1220. exorti. Magnam dein belli flammam inter Poloniæ Duces, & Marchiones Brandeburgicos ſuſcitavit, nunc uni, nunc alteri confligentium parti adhærere coacta. Tandem Bohemiæ Reges ditionem hanc ad ſe devolutam Glogovienſi Principi ſubdiderunt. Non leves quoque paſſa eſt ærumnas, dum Matthias Hungariæ Rex, aut Svecicus miles Sileſiam depopularetur.

TESCHINA.

TEſchina Cromero Ceſſinum vulgò Teſchen, vel Teſſin præcipua eſt ſui Principatûs Civitas, qui ad Aquilonem Ratiborienſi, ad Occaſum Oppavienſi, ad Auſtrum Moraviâ, & ad Ortum Poloniâ terminatur. A Ceſſimiro Leſci III. Poloniæ Ducis filio ſub annum 810. condita cenſetur, ideoque totius Sileſiæ ferè antiquiſſima. Jacet ea ad Carpathi montis radices inter binos fluvios Viſtulam ſcilicet, atque Elſam, huic tamen multò propinquior. Famoſiſſimæ hìc quot annis habentur nundinæ, ſclopetique, ùt vocant, adeò elegantes, & probæ notæ conficiuntur, ut reliquis per Sileſiam elaboratis palmam præripiant. Aurâ Urbs fruitur montanâ, & ſalubri, atque omnis generis annonâ abundat: avium, ferarumque copiam non longè diſtantes ſylvæ affatim ſuppeditant. Fortibus vallatur muris, quos excelſæ exornant portæ, nec ſplendidiſſima Principum Arx in editiori colle fundata, exiguum Urbi adfert decus, & munimentum. Ædes circa forum ex lapide ſtructæ ſunt, cæteræ plurimùm ex ligno conſtant. Inter ſacra Civitatis Ædificia ſplendore, ac magnificentia reliquis præſtat Religioſi Prædicatorum Ordinis Eccleſia, cui ſuppar eſt Parochialis, aliæ exiguæ. Polonica Piaſtæorum Principum ſtirps longo hìc tempore floruit, utpote non nisì anno 1625. extincta in Friderico Wilhelmo, abſque maſcula prole è vivis ſublato. Nobiliora Principatûs Oppida putantur: Bilicium cum honeſta Arce ad Bilam amnem ſitum, cui nec munitio deeſt, neque amœnitas. Friſtadium iiſdem, quibus Bilicium, dotibus inſtructum. Jablunca Carpatho monti, Hungariæque finibus proxima, nullis quidem mœnibus circumdata, ſed à valida Arce defenſa. Adjacet præterea huic Principatui Pleſſenſis Baronatus ex iis quatuor, quorum prærogativas alibi dedimus, ad Viſtulam fluvium ſecus Poloniæ terminos protenſus.

TRACHENBERGA.

TRachenberga vulgò Trachenberg inter quatuor deſcriptos aliàs Baronatus recenſita, in uliginoſo ſtat ſolo ad Barthæ fluvii littus ſex milliaribus Wratislaviâ remotum, atque optimorum piſcium, præſertim Luciorum capturâ perce lebre. Haud ſpernenda gaudet Arce anno 1579. abigne quidem multùm fœdatâ, ſed nobiliùs reſtitutâ. Anno 1640. irrito conatu tentata eſt à Stallhanſio Trachenberga, ſed elapsô indè biennio fortiùs eam aggreſſus Torſtenſonius vi cepit, diuque potitus eſt non ſinè magna obſidentium Cæſareorum clade.

TREBNICIUM.

TRebnicium, vulgò Trebniz Olsnenſis Principatûs Oppidum maximè inclaruit ob ampliſſimum Ciſtercienſis Ordinis Parthenonem, quem S. Hedwigis Bertholdi Meranienſis Ducis filia, atque Henrici Barbati Sileſiæ Ducis conjux regiâ munificentiâ dotavit, eoque præmiſsâ filiâ Gertrude cum magno Virginum comitatu, quas ex Bambergenſi Monaſterio advocaverat, ipſa quoque conſentiente marito ſubſecuta, in Epiſcopi manu perpetuæ caſtitatis votum emiſit: dein religioſarum virtutum ſtudio toto conniſu incumbens, crebris jejuniis, aliiſque corporis afflictationibus animam expoliebat. Tandem obitûs ſui diem præſentiens, priuſquam graviore morbo corriperetur, ſacra unctione roborari voluit, poſt quam multa hilaritate Sanctos venerata, qui magno ſplendore ad morientis lectulum deſcenderant II. Cal. Octobris anno 1243. ſpiritum Creatori reddidit, à Clemente IV. Summo Pontifice Viterbii degente anno ejuſdem ſeculi 67. Cœlitum albo inſerta. Addit in Bavaria ſancta Raderus, S. Hedwigem aliquando ad Chriſti de cruce pendentis effigiem preces fundentem, fuiſſe ab imaginis dextra clavo ſoluta in bene precantis modum cruce ſignatam.

WARTA.

WArta Minſterbergenſis Principatûs Oppidum ad Niſſæ fluvii crepidinem medio itinere inter Glacium, & Camencium celebre Cœnobium, quaſi Sileſiæ limen, Glacenſis Comitatûs fines attingit, & indè Wratislaviam commeantibus viam pandit. Anno 1301. à Boleslao Minſterbergenſi Duce, Abbate Camencenſi Petro de Podaczyn vendita, hujus ſucceſſoribus hodieque ſubeſt. Aſſurgit penes Oppidum altiſſimus mons, ex quo gratiſſimus pa-

patet in minores montes, ac depressas valles circumspectus; ad Septentrionem enim offert se ampla Silesiæ planities Nissam usque quinque milliaribus remotam, ad Orientem montosis cingitur sylvis: Meridies verò, & Occidens Glacensem Comitatum, aliosque Bohemiæ tractus ostendit. Amœnissimam hanc terræ faciem elegit sibi Deipara, ut indè largiores suis clientibus gratias impertiret. Colitur quippe hìc in Templo, quod Bohemicum vocant, prodigiosa illius statua, quam ipsamet Beatissima Virgo sub annum 1200. famulo cuidam tradidit miracula patraturam, si à populis coleretur. Paulò pòst nobilis Bohemus, cùm nuncupatô visitandæ hujus imaginis votô, fracti cruris sanitatem divinitus impetrasset, ligneum primò Sacellum, dein aliud è lapide Templum Sospitæ suæ honoribus exitavit etiamnum superstes. E ligno constat icon, ligni tamen species ignoratur. Exhibet illa in throno Virginem coronatam, quæ dexterâ pomum Mundi Jesulo super extrema Matris genua sedenti porrigit, sinistrâ verò eundem complectitur, ne labatur. Pretiosa munera, quæ accolæ tot beneficiis invitati, ad Templi ornatum contulerant, diripuit anno 1425. bacchantium Hussitarum furor, qui subjecto postea igne Templum in cineres redegerunt; sed non eadem iis fuit in Divæ statuam, quæ in muros, & supellectilem potestas; illa enim inter flammas illæsa de Hussitica barbarie triumphum egit, inter busta postmodum reperta unà cum integro cujusdam Cisterciensis Sacerdotis brachio, qui apertâ sibi per arma, & ignes viâ jam ad statuam ipsam quidem pervenerat, sed dum eandem efferret sive fumô, aut flammâ præfocatus, sive ruentis ædificii mole oppressus interiit. Lapis, in quo Deipara sedit, in annum usque millesimum sexcentesimum vestigia Virginis retinuit; neque ultra potuit, cùm frequentes peregrini piis furtis totum vel attriverint, vel frustatim abstulerint. Ne tamen rei memoria periret Carolus Archidux, & Wratislaviensis Præsul anno 1617. locum pereleganti Sacellô ornavit, & supra Virginis vestigia summam aram erexit.

WARTENBERGA.

WArtenberga à descripto antea monte, quem etiam Wartenberg vulgus nominat, distincta, primarium est unius è quatuor Baronatibus Oppidum, cujus districtum Milicensis Baronatus, Olsnensis, & Wratislaviensis Principatus, atque Polonia includunt. Non longè à Weidæ amnis fontibus dissitum, raram undique amœnitatem spirat. Anno 1632. illud Sveci deditione, & biennio pòst Saxones assultu cepere, dein ad Cæsarem reversum Torstensonius anno 1643. ternis diebus, totidemque noctibus, vano tamen eventu oppugnavit. Anno autem ejus seculi 46. aliæ Svecorum turmæ tandem Oppidum obtinuere, cunctisque munimentis denudarunt.

WOLAVIA.

WOlavia sat amplum denominat territorium, quod ab Olsnensi Principatu avulsum ad Lignicensem aliquando accessit, nunc verò Principatûs titulo insignitur, quamvis inter sexdecim Silesiæ Principatus, Henelio apud Blavium teste, non numeretur. Ambiunt Wolavienſem Principatum ab Ortu Olsnensis cum Trachenbergensi Baronatu, ab Occasu Glogovienſis, à Meridie Lignicensis, & Wratislavienſis, à Septentrione Polonia. Regio hæc partim sylvis tecta, partim frugiferis agris dives, ubique cœlo fruitur salubri, Urbs unà cum Arce udô locô inter piscinas sita, munita, & amœna simul, laneis pannis conficiendis insignis est. Anno 1640. Svecorum Ductor Stallhansius post exigui temporis obsidionem arbitrio suo deditam cepit, magnamque in ea bellici apparatûs copiam offendit. Indè recepta à Lavenburgico iterum à Svecis vi expugnata est, & per biennium retenta, usque dum Cæsarei eam deditione rursus occuparent. Inter Principatus hujus Oppida excellit Steinavia, seu Stinovia Principatûs olim titutô decorata.

TOPO-

Marchionatus MORAVIÆ Tabula.

Stud. et operâ cujusdam Geogr. S. I.

I. A. P. et C. E. fec. et exc.



TOPOGRAPHIA MARCHIONATUS MORAVIÆ.

MOravia, quam poſtremò luſtrare aggredimur, à Mora, ſeu Morava famoſo etiam apud veteres fluvio, quem Plinius, & Tacitus Marum vocant, nominis ſui etymon derivat. Naſcitur hic in hujus Provinciæ angulo Septentrionem versùs maximè protenſo, eamque directo in Meridiem curſu interſecans non ante deſerit, quàm ab influentis Teiæ undis augeatur in Danubium ex adverſo Hamburgi tandem prolapſurus. Ambiunt Moraviam ab Occidente Bohemia, ab Aquilone Sileſia, ab Oriente Hungaria, & à Meridie Auſtria, ubi Teia per utriuſque fines ab Occaſu in Ortum devolvitur. Aëris temperies mollior eſt, ideoque corruptioni magis obnoxia; regio tota cultoribus frequens, rerumque omnium ad humanæ vitæ ſuſtentationem optabilium fœcunda. Non frumenti ſolùm, ſed & croci maximam copiam ſubminiſtrat. Vini quoque ferax eſt, ſed debilioris, quod bibentium caput non multùm lædit. Quadruplici inſuper metallorum genere locupletatur, auro nimirum prope Jamnicium Römerſtadtl, & Bergſtadtl, atque in Dominio Goldenſtein, & Lukow: argento prope Polnaviam, Piſcopizium, & Iglaviam, atque apud Bergſtadtl & Hagenſtein: ferro in Janovicenſi, ac Berſteinenſi Dominiis, & circa Neuſtadtl, & Römerſtadtl, & Kunſtadt: item Polnaviæ, Jaiſpitii, Franæ, Hochwaldii, & Battelavii, aliiſque pluribus locis ferrifodinæ excoluntur: denique plumbo, quod prope Iglaviam ex montanis Ranzern dictis effoditur. Gignit præterea Moravia alumen, vitriolum, gagatem, ſuccinum, achatem, granatos, jaſpides, nobile marmor, lithanthracem, aliaque ejuſmodi pretioſa naturæ dona. Qui myrrham, & thus hìc quoque ſuppetere adjiciunt, à peritis harum rerum indagatoribus meritò exploduntur.

Quados potiùs, quàm Marcomannos, pro quibus ſtat Peſſina, (a) fuiſſe veteres Moraviæ inquilinos non obſcurè indicat Tacitus (b) ita ſcribens: *Juxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomanni, & Quadi agunt, eaq; Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio prætexitur.* Nec ab eo diſcedit Ptolomæus, dum ait: *Sub nemus Orcynium Quadi.* Minus Strabo, quem ita Cluverius (c) interpretatur: *Enim verò Svevorum ùt ante dixi, gentes aliæ intra habitant, aliæ extra ſaltum, ut Quadorum gens contermina Getis.* Cùm enim ſecus Danubium poſt Marcomannos, quos in Bohemia, & Auſtriæ parte ſtatuimus, à Tacito ponantur Quadi, non alia certè iis aptior convenit ſedes, quàm Moraviæ regio, & adjuncta uſque ad Danubium Auſtria; ſiquidem cum hoc fluvio ultra deſcendere non licet, extra antiquæ aliàs Germaniæ limites Quados Germaniæ populos protruderemus. Namq; Marus adversùs Carnuntum Danubium ſubiens Germanos à Sarmatis, aliiſque populis juxta Plinium dirimebat, cujus hæc ſunt verba: *Ab eo in plenum quidem omnes Scytharum ſunt gentes; variè tamen littori appoſita tenuere, alias Getæ Daci Romanis dicti, alias Sarmatæ.* & mox. *Superiora autem inter Danubium, & Hercynium ſaltum uſque ad Pannonica Hyberna Carnunti, Germanorumq; ibi confinium, campos, & plana Jazyges Sarmatæ; montes verò & ſaltus pulſi ab his Daci ad Pathiſſum amnem à Maro, ſive is Duria eſt à Svevis, regnoq; Vanniano dirimens eos.* Mixtos tamen interdum cum Quadis Marcomannos haud inficior, præſertim cùm unitis viribus contra M. Aurelium Antoninum Romanorum Imperatorem hoc veteris Germaniæ veſtibulum tutarentur. Hinc egregiè primos Quadorum terminos circumſcribit Cluverius, (d) ab Auſtro ſcilicet Danubium, ab Occaſu æquinoctiali, atque æſtivo Clunam amnem, Bohemicoſque montes, & ab Ortu Marum. A Tiberii tamen Imperio videntur ii priſcos ſuos limites præteriiſſe, eoſque tum ad Septentrionem intra Hercynium nemus, ubi modò Sileſia, tum ad Ortum uſque ad Cuſum, ſive Vagum Hungariæ nunc fluvium promoviſſe, quæ exmox dicendis liquidò patebunt; dum ſcilicet de Quadorum regno, geſtiſque aliqua ſubjiciemus.

Proprios quondam Reges Quadis fuiſſe, diſertè docet præcitatus Tacitus allegatis jam verbis hæc alia ſtatim ſubdens: *Marcomannis, Quadiſq; uſq; ad noſtram memoriam*

(a) Mart. Mora. l. 1. c. 2.

(b) De Morib. Germ.

(c) Germ. ant. l. 3. c. 31.

(d) Germ. ant. l. 3. c. 31.

Reges manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui, & Tudri genus: jam & externos patiuntur, ſed vis & potentia Regibus ex authoritate Romana: rarò armis noſtris, ſæpiùs pecuniâ juvantur. Quemadmodum enim Marcomannorum Rex fuerat Maroboduus, ita & Quadorum Tuder, ptout Cluverius Tacitum explanat, ac ſanè longè accommodatiùs, quàm Velſerus utrumque Regum genus Marcomannis adſcribens. De hoc Quadorum Regno rurſus in annalibus mentionem facit Tacitus (a): *Idem*, inquit, *Catualdæ* (qui Maroboduum Regno expulerat) *caſus, neque aliud perfugium: pulſus haud multò pòſt Hermundurorum opibus, & Vibilio Duce; receptuſq; Forum Julium Narbonenſis Galliæ Coloniam mittitur. Barbari utrumque comitati, ne quietas Provincias immixti turbarent, Danubium ultra inter flumina Marum, & Cuſum locantur, dato Rege Vannio gentis Quadorum.* En itaque qua ratione Vannius in Occidua Mari plaga Quadorum Rex ad Orcivum ejuſdem latus Regnum, potentiamque propagaverit, obtentis ſcilicet à Cæſare novis ſubditis, inter Marum, & Cuſum ab eo collocatis, unde forſan Sarmatæ Romanorum metu antea receſſerant, aut aliquando victi ab iis leges accipiebant. Interim non magis Vannio, quàm Catualdæ arriſit fortuna; alio enim loco Tacitus (b) hæc de eo annalibus inſeruit: *Per idem tempus Vannius Svevis à Druſo Cæſare impoſitus* (erant quippe Quadi Svevorum pars) *pellitur Regno: prima Imperii ætate clarus, acceptuſq; popularibus, mox diuturnitate in ſuperbiam mutans, & odio accolarum, ſimul domeſticis diſcordiis circumventus. Auctores Jubillius Hermundurorum Rex, & Vangio, ac Sido ſorore Vannii geniti.* & paulò pòſt: *Igitur digreſſus Caſtellis Vannius, funditur prælio, quamquam rebus adverſis laudatus, quod & pugnare manu capeſſiit, & corpore adverſo vulnera excepit. Cæterùm ad Claſſem in Danubio opperientem perfugit; ſecuti mox clientes, & acceptis agris in Pannonia locati ſunt. Regnum Vangio, & Sido inter ſe partiti ſunt, egregia adversùs nos fide.* Diviſiſſe ergo ita Cluverio videntur Regnum, ut alter citra Marum, alter ultra regnaret; at ſi Peſſinæ ſubſcribimus Vangio Marcomannos, Quados Sido regendos ſuſcepit, relicta parte Septentrionali Bohemiæ Hermunduris in præmium navatæ ſibi operæ. Verùm quæcunque hæc diviſio fuerit, illud ſaltem ex hiſtoriis elucet, Quados, & Marcomannos aut in unam quaſi gentem coaluiſſe, aut concordi ſemper animo, & perpetuo veluti fœdere junctos Rempublicam adminiſtraſſe. Poſtremò hi populi trans Cuſum etiam, ſeu Vagum progreſſi victis Oſis, & Sarmatis Bregetionem uſque, hodie Strigonium, & ad Granuam fluvium regionis ſuæ terminos protulere. Contra Romanos verò ſub Viguario, & Vitroduro ejus filio, atque iterum ſub Gabinio, & Fridegildo Regibus variâ fortunâ modò victi, modò victores dimicarunt; donec tandem iteratis cladibus partim à Romanis, partim à Vandalis, & Gothis, potiſſimùm verò ab Hunnis attriti, Attilæ primò, dein Arderico Gepidarum Duci militaſſe creduntur; hinc iis in diverſas Provincias diſſipatis ſub finem ſeculi quinti cœpit in hiſce regionibus Marcomannicum, Quadicumque nomen penitus deleri.

(a) Lib. 2.

(b) Annal. l. 12.

Extinctis itaque Marcomañis, & Quadis, in Moraviam ſucceſſere Slavi peculiari poſtea nomine Maravani, Marahenſes, & ultimò Moravi appellati. Tradit hoc ipſum Suidas author Græcus, quem aliqui ſextò, alii octavò ſeculò floruiſſe opinantur; *Slavi*, inquit ille apud Peſſinam, *ex regione trans Danubium primò venere, cúmque finitimis ſæpe veniſſent auxilio, terræ melioris occupandæ gratiâ tandem populariter tranſeuntes in Illyrico conſederunt. Parſq; eorum deinde Bohemiam occupavit, & regionem proximam quam à Maravana flumine Maravaniam appellant. Nam Marcomanni cum Hermunduris jam pridem in Noricum, & Vindeliciam tranſierunt.* Non deſunt tamen recentiores aliquot, qui, antequam Czechus cum Slavicis Coloniis ex Illyrico in Bohemiam tranſmigraret, ex Sarmatia recto in Moraviam itinere Slavos deducant; ſed corraſis hinc indè conjecturis ſolummodo innituntur. Quidquid igitur ſit de hoc Bohemorum, aut Moravorum primatu; illud certè his longè glorioſius refelli nequit, inter omnes nempe Slavicas gentes Majeſtatem Regiam primò Moravis deberi; nulla ſiquidem Slavorum natio ante Moravicam regiò titulò à ſcriptoribus etiam vetuſtiſſimis decoratur. Nec minùs indubitatum eſt Moravorum Regnum longè, latéque extra hodiernæ Moraviæ limites patuiſſe, idque ampliſſimum facit Pius II. Papa ita de Moravia ſcribens: *Hic multos annos regnatum: Hungari, Bohemi, Poloniq; Moravorum Principi paruerunt.* Per id tamen, quod de Hungaris dicitur, minimè intelligendum eſt, Hungarorum nationem, ſed magnum præſentis Hungariæ tractum Moravorum Regi obtemperaſſe, quod extra omnem controverſiam verſatur. Regum nomen clarere cœpit in Swatoſſio (alii Svathem nominant) Marothi, ſeu Moravodi filio, qui ſub annum 720. fixa Veſprinii ſede, Pannoniæ ſimul, & Moraviæ Rex ampliſſimis regionibus ex utroque Danubii latere dominabatur; ſed paulò pòſt ab Hungarorum exercitu binis præliis cæſus, totáque

queferè Pannoniâ ſpoliatus, in inſulam vulgò Schüt dictam, indè in Moraviam trajecit, ubi Welehradi non procul à Morava fluvio novam Aulam erexit, pluribus ad Vagi vada excitatis Arcibus, quibus hoſtes ab ulteriore invaſione arcerentur. Adverſantur tamen huic Moravorum relationi Hungariæ ſcriptores Bonfinius, & Thurocius, Swatoſſium Danubii vorticibus hauſtum in fuga periiſſe aſſerentes. Swatoſſio ſubrogatur à Peſſina Samomirus, huic filius Samoslaus, & huic Lechus, qui in pugna cum Caroli Magni Imperatoris exercitu commiſſa fertur occubuiſſe. Poſt Lechi necem Regnum adiit Hormidorus, poſt hunc Mogemirus, qui tentatà incaſſum Hungariâ, dein fœliciùs Poloniâ, Cracoviam expugnavit non diu ſervaturus. Huic è vivis ſublato ſuffectus eſt Bryno, ſeu Bruno à nonnullis etiam Prinnina vocatus; at ſopiendis ſuorum ſeditionibus impar ſolium deſeruit, à Mogemiro II. tumultuum authore, ſtatim occupatum; obtinuit tamen mox à Ludovico Bavariæ Duce quandam circa Savum Provinciam (prout in Cileienſi deſcriptione meminimus) ubi tranquilliùs imperaret. Mortuô Mogemirô II. Moraviæ Regno potitus eſt Raczko, ſeu Radislaus, quem alii Raſticen nuncupant. Hic proſperè primùm cum Hungaris congreſſus, infœliciter deinceps pugnavit, totà penitus Pannoniâ exutus, quam Veſprinium uſque antiquam prædeceſſorum Sedem in ſuam poteſtatem redegerat. Quibus malis necdum quieſcere edoctus in Ludovicum Germaniæ Regem contra datam ſæpiùs fidem arma ſumpſit, nec ante depoſuit, quàm in prælio captus, atque oculorum uſu orbatus ad perpetuos carceres in Bavariam abduceretur. Vacuum Moraviæ thronum conſcendit Svatopulcus, quem alii Zventibaldum, alii Swendopoldum dicunt, & perfidiæ accuſatus, anno 871. à Carolomanno Ludovici filio Ratisponæ in cuſtodiam conjicitur, ſed crimine haud probato ad ſuos remiſſus, ut injuriam ulciſceretur, diuturnas cum Carolomanno, Germaniſque aluit ſimultates, ſub Arnulpho Cæſare tandem ſublatas. Poſtremus demum Moraviæ Rex ſalutatus eſt Svatobogus Svatopulci filius, quem ob nefaria ſcelera Deo, hominibuſque inviſum Sergius III. Summus Pontifex anathemate, & banno, ùt vocant, Imperiali Ludovicus IV. Cæſar perſtrinxit. Hinc Hungari, Poloni, Bavari in ejus ditionem undique irrumpentes, in plures partes dilacerarunt. Tum Svatobogus accepta ab hoſtibus clade vel inter ſuos cecidit, vel ùt multi perhibent, fugâ elapſus inter Soboris montis Anachoretas reliquum vitæ tempus exegit.

Deletô hac ratione Moraviæ Regnô, ejus pars à Teia ad Danubium excurrens Bavaris ceſſit, Auſtriæ poſtmodum inſerta; cæterarum partium jura, quas non modò Poloni, & Hungari, ſed etiam Bohemi certatim vellicabant, Otto Magnus Imperator anno 937. S. Wenceslao Bohemiæ Regi adjudicavit; totam nihilominus regionem nec ipſe, nec ejus ſucceſſores obtinuere uſque ad Udalricum, ejuſque filium Brzetislaum I., qui ſuſceptô in Polonos bellô, quamvis gemina clade rejectus, tertium cum iis prælium commiſit, in quo victoriâ potitus, fortunaque uſus Polonos omnes anno 1026. Moraviâ profligavit, atque aliam ejus Provinciæ partem non multò pòſt ex Hungarorum eripiens poteſtate, Moraviam univerſam in eam amplitudinem, qua nunc patet, fœliciter reduxit, perpetuoque nexu Bohemicæ Coronæ copulavit. Porrò cùm quinque genuiſſet filios primogenito Spitihnæo in Bohemiæ Ducem deſignato, & Jaromiro ſacris Ordinibus addicto, obtentam noviſſimè regionem inter reliquos diſtribuit, & Olomucenſem Diſtrictum Wratislao, Brunenſem Ottoni, Conrado Znoymenſem tranſcripſit, ſupremô tamen dominiô ſibi, ac ſucceſſoribus reſervatô. Verùm poſt obitum Spitihnæi ſinè prole defuncti, frater Wratislaus Bohemiam conſecutus, priorem ſuam ditionem Ottoni ceſſit, Brunenſem autem Conrado adjunxit. Wratislao poſtmodum, prout alibi retulimus, anno 1086. ab Henrico IV. in Bohemiæ Regem evectô, antiquô ſcilicet Moravorum Regnô in Bohemiam translatô, Marchionatus titulum Moravia aſſumpſit; ab hoc enim tempore Bohemiæ Reges etiam Moraviæ Marchiones dici cœpere, ac Brzetislai exemplum ſecuti, ſolebant interdum, ſi plures haberent filios, vel agnatos, Moraviam inter eoſdem partiri. Hinc gravia ſubinde bella inter Reges, & Marchiones ob ſpreta ab his ſuprema Regum jura excitabantur; ad Bohemiam tamen ſemper recidit Moravia, & cum eadem Auguſtiſſimæ Auſtriacorum Principum Domui tandem adhæſit (ùt omnes boni vovent) nunquam avellenda.

Politico, ùt dici ſolet, regimine in epitomen de more contracto, libet etiam ſacrum, ſeu quod ad religionem ſpectat, tantiſper attingere, cùm quædam hìc ſuppetant memoratu digniſſima. Primò itaque Catholicæ fidei lumen ante SS. Cyrilli, & Methodii ex Græcia adventum Moravis interdum affulſiſſe, plurima ſuadent documenta, cujuſmodi eſt Caroli Magni Imperatoris zelus, qui cum repreſſis ab uno Danubii latere Slavis Moravis, ab altero autem debellatis Hunnis, & Avaribus victri-

cia arma ad flumen uſque Arrabonem protuliſſet, Chriſtianæ Religionis ea occaſione promovendæ ſtudioſiſſimus, Arnonis Salisburgenſis Archiepiſcopi curæ devictas terras commendavit, Adriano I. Papa idipſum per literas confirmante. Aliud argumentum ſuggerit catalogus Paſſavienſium Præſulum, apud Dreſſerum referens anno 807. *Runharium*, ſeu Reginarium, *Epiſcopum Moravos ad Chriſtum convertiſſe*; quod tamen non de univerſa gente, ſed aliqua tantùm parte Danubio forſan proxima intelligere neceſſe eſt. Poſt Caroli obitum Urolphus ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus per Adelvinum, & Methodium ab altero diſtinctum Epiſcopali dignitate priùs ornatos, & fortaſſis etiam ipſemet Moravos in Orthodoxæ fidei myſteriis excoluit: cúmque navatæ ibidem operæ rationem Eugenio II. redditurus Romam petiiſſet, à Summo Pontifice benigniſſimè acceptus eſt, & Lauriacenſis Eccleſiæ juribus frui permiſſus, pallióque donatus: ad ſuos verò revertentem Eugenius datis anno 826. Apoſtolicis literis Moraviæ, Pannoniæque Præſulibus, & Ducibus injunxit, ut ad cœpta fœliciùs proſequenda ei *adminiculum, atque juvamen præberent.* Epiſtolam Hundius, Gewoldus, & Goldaſtus recitant, cujus hoc erat exordium: *Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Rathfredo ſanctæ Favianenſis* (ſecundùm multos Viennenſis) *Eccleſiæ, & Methodio, Eccleſiæ Speculi-Julienſis* (id eſt Olomucenſis) *quæ & Soriguturenſis nuncupatur, atque Alewino ſanctæ Nitravienſis* (ſeu Nitrienſis) *Eccleſiæ, pariq; modo Annoni S. Wetuacenſis Eccleſiæ Epiſcopis, ſimul etiam Tuttundo, nec non Moymaro Ducibus, & Optimatibus, exercitibuſq; plebis Hunniæ, quæ & Avaria dicitur, & Moraviæ, &c.*

Primum hunc Evangelicæ lucis radium Civilia poſtmodum bella, quæ inter Brynonem, & Mogemirum II. exarſerant, videntur penitus extinxiſſe, donec SS. Cyrillus, & Methodius ab Oriente huc profecti diſcuſſis Ethnicæ ſuperſtitionis tenebris clariorem diem advexerint, ſopitos veræ in Deum religionis igniculos rurſus accenderint, everſum Eccleſiarum decus excitaverint, ita ut tanquam genuini Moraviæ Apoſtoli celebrari mererentur. Radislao igitur regnante D. Cyrillus, qui Conſtantinus Philoſophus aliquando dictus reperitur, poſtquam à Michaële Orientis Imperatore, & Ignatio Conſtantinopolitano Patriarcha, ad Chazaros fide Chriſtiana imbuendos in Tauricam Cherſoneſum miſſus, Slavicam linguam iis populis communem ea occaſione addidiciſſet, aſſumptô dein in ſocium germanô ſuô D. Methodiô, per Triballos, & Bulgaros ſub annum 862. in Moraviam penetravit; ubi tanta fœlicite in Evangelii ſeminatione ambo inſudarunt, ut brevi totam Moravorum gentem cùm Rege, ac Proceribus ad Chriſtum adduxerint, fundato quoque poſtea Welehradi Archiepiſcopatu; aliis verò Epiſcopatibus, qui injuriâ temporum defecerant, denuo inſtauratis, aliis forſitan etiam noviter erectis. Interim cùm jam ultra quadriennium in erudiendis Moravis impendiſſent, Nicolaus Papa audiens eos Slavicum idioma (in quod inventis novis literis ſacros codices Cyrillus verterat) in miſſa, horiſque canonicis uſurpare, ad ſe accedere quantocyus juſſit. Imperatum itaque iter aggreſſi Romam appulerunt, defunctô jam anno 867. pridie idus Novembris Nicolaô: ab hujus tamen ſucceſſore Adriano II. honorificè excepti ſunt, cúmque S. Clementis Papæ, & Martyris corpus ex Taurica Cherſoneſo ſecũ attuliſſent, ipſe Summus Pontifex cum Clero, ac populo iiſdem obviam proceſſit. Qua autem ratione S. Cyrillus Slavicæ linguæ in ſacris rebus uſum ab Adriano extorſerit, docebit nos ipſamet horum Sanctorum fratrum Vita ex MS. Blauburano à Bollandianis (a) evulgata, cujus fragmentum, quamvis prolixum huc placuit transferre; ſiquidem digna videtur res, quæ uberiùs percipiatur, cùm prima fuerit origo nobiliſſimæ dignitatis, quam præ tot aliis Europæ linguis Slavica ſibi vendicat: ſic ergo ibi habetur.

(a) Acta SS. ad diem 9. Martii.

Apoſtolicus, & reliqui Rectores Eccleſiæ corripiebant B. Cyrillum, cur videlicet auſus fuiſſet in Slavonica lingua horas Canonicas ſtatuere, & SS. Patrum inſtituta mutare. At ille humiliter reſpondens dixit: Attendite vos Fratres, & Domini ſermonem Apoſtoli dicentis: Loqui variis linguis nolite prohibere. Secutus ego Apoſtolicam doctrinam, quam impugnatis, inſtitui. At illi dixerunt: Quamvis Apoſtolus variis linguis loqui perſvaſerit, non tamen per hoc in ipſa, quam ſtatuiſti, lingua divina ſolennia voluit decantari. Cùm autem propter hujuſmodi inſtitutionem plus, & plus inter eos creſceret altercatio, B. Cyrillus dictum Davidicum protulit in medium dicens: Scriptum eſt enim: Omnis ſpiritus laudet Dominum. & ſi omnis ſpiritus laudando magnificat Dominum, cur me ergo prohibetis ſacrarum Miſſarum ſolennia, & horarum Slavonicè modulari? ſiquidem, ſi quiviſſemus illi populo aliter aliquando cum cæteris nationibus ſubvenire in lingua Græca, vel Latina, omnino, quæ reprehenditis, non ſanxiſſem: ſed quia idiotas viarum Dei totaliter eos reperiens, & ignaros, ſolum hoc ingenium almiflua Sancti Spiritûs gratia cordi meo inſpiravit, per quod etiam innumerum populum Deo acquiſivi. Quapropter Patres, & Domini cogitate conſultiùs, ſi inſtitutionis meæ normam hanc expediat immu-

tare

tare. At illi audientes, & admirantes tanti viri industriam, & fidem, studiosa deliberatione prahabita, statuerunt supradicto ordine, & sermone, in illis partibus, quas B. Cyrillus Deo acquisiverat, sicut statuerat, canonicas horas cum Missarum solenniis ita debere deinceps celebrari. Hactenus vitæ scriptor.

Impetrata itaque Slavicæ linguæ in sacris adhibendæ potestate, S. Cyrillus Romæ moratus diem extremum ibidem clausit; frater verò D. Methodius Moravorum Antistes creatus ad suam Ecclesiam remeavit, Svatopulco interim Radislai nepote post hujus obitum regnante; secundò tamen Romam eundem accessisse necesse est, à Rege ipso ad Joannem VIII. Papam ablegatum; Apostolicæ enim hujus literæ anno 880. datæ, & apud Baronium editæ id clarissimè indicant, prout ex eorum initio mox subjiciendo patebit: *Dilecto filio Sfento pulchro, glorioso Comiti. Industriæ tuæ notum esse volumus, quoniam confratre nostro Methodio Reverendissimo Archiepiscopo Sanctæ Ecclesiæ Moravensis unà cum Semisisno fideli tuo ad limina Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, nostramq; Pontificalem præsentiam veniente, atque sermone lucifluo referente, didicimus tuæ devotionis sinceritatem, & totius populi tui desiderium, quod circa Sedem Apostolicam, & nostram paternitatem habetis - -. Ipsum quoque Presbiterum nomine Vichinum, quem nobis direxisti, electum Episcopum consecravimus Sanctæ Ecclesiæ Nitrienses, &c.* D. Methodiô ad Cœlites vocatô, cùm paulò pòst Moravia ab hostibus in diversa discerperetur membra, Christiana interim Religio non minora passa est detrimenta, deleto rursus Archiepiscopatu Welehradensi, cæteriscque Cathedralibus funditus eversis. Ab hac clade postquam Moravi nonnihil respirassent, Joannes Episcopus antea Podivinensis pastoralem totius Provinciæ curam susscepit, & post illum Sylvester, quô mortuô sacrorum moderatio penes Episcopos Passavienses, vel ut quibusdam placet Ratisponenses fuit ad usque tempora S. Adalberti Pragensis Antistitis, cui Moraviæ Ecclesia à Benedicto VI. Summo Pontifice adjuncta est, duravitque hæc unio usque ad Severi Pragensis Episcopi ætatem, qui post annum 1060., Alexandro II. Papa annuente antiquum Moravis restituit Episcopatum, à distincto Præsule deinceps regendum.

Dividebatur quondam Moravia in tres Toparchias à Brzetislao I. Bohemiæ Duce, uti supra diximus, institutas, Olomucensem scilicet, Brunensem, & Znoymensem. Dein processu temporis, cùm fratres, & agnati Ducum, Regumve Bohemiæ in plures propagarentur familias, Olomucensis Toparchia, quæ erat omnium amplissima, utpote à Silesiæ finibus ad Moravæ, Teiæq; confluentes protensa ano 1160. in binas discissa est partes, Superiorem nimirum, & Inferiorem, quando imperata à Wladislao Bohemiæ Rege divisione, hæc Brzetislao, illa Wladimiro Ottonis III. Toparchæ Olomucensis filiis obtigerat. Demum Wladislai II. Regis ævo placuit Moraviam, Carolinæ in Bohemia partitionis exemplo, in quinque Districtus, seu Provincias discriminare, videlicet in Olomucensem, Brunensem, Znoymensem, Iglaviensem, & Hradistiensem à præcipuis suis Urbibus cognominatas. Circumscribitur Olomucensis ab Occidente Bohemiâ, ab Aquilone Silesiâ, ab Ortu Hungariâ, & ab Austro partim Brunensi, partim Hradistiensi Districtu. Brunensis præter reliquos omnes Moraviæ Districtus, Hungariam quoque, Austriam, & Bohemiam suis finibus attingit. Znoymensis figuram ferè pyramidalem exhibet, cujus basis inferior Brunensis Districtûs parti incumbit, latus verò Boreale superiori ejusdem parti, & Meridionale Austriæ adhæret, dein Iglaviensem quoque Provinciam prætergrediens, ad Bohemiæ confinia procurrit. Iglaviensis Bohemiæ Regno, & Brunensi, Znoymensique Districtibus circumdatur. Hradistiensem denique Olomucensis, Brunensis, atque Hungaria undique includunt. Perlustrata universa regionis facie, ad singulas ejus Urbes, aliaque ornamenta celeri gressu excurramus.

OLOMUCIUM.

OLomucium vulgò Olmutz splendida, amplaque Urbs non modò sui Districtûs. sed & totius Marchionatûs Metropolis in editiore, ac peramœno Moravæ littore assurgit Viennâ 18., Pragâ verò 28. milliaribus remota. Hanc Juliomontium, seu Julii montem appellatam primitus fuisse docet constans, unanimisque plurium authorum consensus. Speculum Julii quoque, ac Soriguturam interdum dictam ex Eugenii Papæ literis supra didicimus. A Julio Cæsare Romanorum Dictatore hujusmodi nomen inditum ineptissimè putarunt nonnulli, quos meritò explodit apud Lambecium Sylvius (a) ita scribens. *Quod aliqui nostri temporis historici parum considerati Viennam, quasi Biennam dictam asserunt, quoniam oppugnanti eam Julio Cæsari bienniô restiterit, non modò falsum, sed stultum cuique videri potest, qui gesta Julii Cæsaris legerit, quem certò constat, nunquam hanc terram cum exercitu ingressum. Sed simile hoc ei est, quòd Holomutz Civitatem Moraviæ ex vicinitate vocabuli Julii montem appellant, qui illam*

(a) Bib. Cæs. l. 2. c. 1.

Urbem Julii Cæsaris opus affirmant. Idque quàm absonum foret, probè advertens Pessina (a) ad Julium Maximinum Imperatorem tanquam Urbis, nominisque authorem recurrit, eò quòd is longum cum Marcomannis, Sarmatisque bellum gesserit, tum Alexandri Severi, tum suismet auspiciis occupatô post interfectum Alexandrum Imperiô.

(a) Mar. Moral. l. 1. c. 6.

De antiquissima Olomucensis Episcopatûs origine ante SS. Cyrilli, & Methodii ævum inchoanda, deque ejusdem progressibus paulò ante disseruimus: unde hìc addendum duntaxat supereſt, qua ratione anno 1091. Wratislai Bohemiæ Regis operâ restitutô iterum Moravis Episcopô, & Cosmâ ad Pragensem solùm Insulam promotô, sicut in Bohemica Topographia retulimus, Andreas ad Olomucensem Cathedram evectus fuerit, cui quinquaginta circiter Præsules constanti deinceps ordine succeſſere. Magnis interea privilegiis, gratiisque Ecclesiam hanc prosecuti Bohemiæ Duces, ac Reges inter cætera statuisse dicuntur, ut Olomucensis Episcopus unà cum Pragensi aureum circulum Ducibus, & postmodum Coronam Regibus imponeret: cujus dignitatis intuitu Carolus IV. Imperator dato diplomate anno 1365. Joannem de Novoforo Olomucensis Ecclesiæ Antistitem ejusque succeſſores Regiæ Capellæ Comites, sumpto à Galliæ Regibus exemplo declaravit. Hujus autem tituli etiamnum usurpati munus in eo vertebatur, ut ubicunque Reges sacris solenniter interesse contingeret, omnia ad eum actum spectantia ordinaret, atque insuper ante reliquos Proceres, Pragensi Archiepiscopo excepto, digniorem in ea solennitate locum obtineret. Altera prærogativa Olomucensibus Episcopis à Bohemiæ Regibus collata, fuit Principis dignitas, quæ in ejusdem Caroli literis anno 1353, & 65. datis disertè confirmatur. Hinc Rudolphus II. Cæsar, Bohemiæque Rex in suo diplomate anno 1588. exarato non ait se *Principis titulum* Stanislao Pawlowski Olomucensi Præsuli conferre, aut dare, sed *restituere, cujus usum temporis injuriâ, & desuetudine nonnullis de causis abierat; quare illum, & succeſſores Principum consortio benigniter aggregat.*

Cathedralis Basilica D. Wenceslao sacra nobile monumentum est Wenceslai Olomucensis Dynastæ, qui paulò ante annum 1130. vitæ suæ extremum Arcis propriæ aream ei condendæ obtulit, translata huc sede Episcopali, quam in Suburbio ad Ædem SS. Petri, & Pauli humilem, ac angustam veteres posuerant, ipseque cum Henrico Urbis Præsule cognato suo angularem Templi lapidem in fundamentis collocavit. Et quamquam magnificum illud opus ad fastigium perducere, prohibente fato, non potuerit, filio tamen Brzetislao quem Henrici tutelæ commisit, magnas ad id perficiendum opes transcripsit. Templum hoc post aliquot seculorum intervallum jam senescens, Franciscus Dietrichsteinius S. R. E. Cardinalis, & Olomucensis Antistes anno 1636. vita functus cœpit à novo chori ædificio reparare, cujus fornix mira altitudine, ac latitudine celebris pavimentum tegit nigro Hochwaldensi, & albo Bernsteinensi marmore coruscans, piâ succeſſorum munificentiâ ad tantum opus prosequendum suô exemplô stimulatâ. Maximum tamen hujus Basilicæ decus procul dubio est insigne Canonicorum Collegium, cujus Præpositum à Roberto Episcopo anno 1205. institutum Przemislaus III Bohemiæ Rex eâ prærogativâ decoravit, ut sicuti Præpositi Wisshradenses in Bohemia, ita Olomucenses in Moravia supremi Cancellarii titulum, & officium obtinerent. Confirmant hanc dignitatem Ottocarus Rex anno 1256., & Carolus IV. tunc tantùm Moraviæ Marchio speciali diplomate anno 1342. Olomucii dato, ubi ait: *volentes ipsum Præpositum titulô Cancellarii in Marchionatu nostro Moraviæ perpetuis insigniri temporibus.*

Cathedralem Ecclesiam coronant aliæ plures per Urbem dispersæ, ac illius splendori non multùm cedentes, aut eundem proximè æmulantes. Adsunt quippe binæ Parœciæ, quarum una venerandæ vetustatis D. Blasium ut Patronum reveretur, altera S. Mauritio dicata ob raræ pulchritudinis suggestum, altarium numero, ac earum ditissimum ornatum, artificiosum item ad turrim ascensum præcipuè celebratur. Religiosa insuper utriusque sexûs Domicilia universim novem numerantur. Præeat Canonicorum Regularium S. Augustini Collegium, quos priùs Landskronæ in Bohemia Petrus Litomislienſis tunc Præsul, postea Magdeburgensis, tandem Olomucensis anno 1371. fundaverat, sed ab Heterodoxis deinde Proceribus, ac potissimum à Kostkis ditionis illius Dominis usque adeò premebantur, ut Olomucium concedere coacti, ad Ecclesiam Omnium Sanctorum stationem fixerint, cui postmodum Landskronensis fundationis proventûs, annuente Summo Pontifice Alexandro VI., & Wladislao Rege, anno 1500. adjudicati sunt. Paulò recentior est insignis Carthusia, quam extra Urbem ad Pagum Dolany anno 1390. sub titulo Vallis Josaphat primò erectam, & anno sequentis seculi 37. ab Hussitis occupatam, Olomucen-

cēnſes paulò pòſt quidem repararunt; at ne hoſtilibus incurſionibus impoſterum pateret, eam ſolo æquarunt, Religioſis ad Urbem invitatis. Prædicatorum Ordinis Cœnobium unà cum Templo D. Michaëli ſacro, Wenceslaus Ottocarus cognomento Luſcus ad S. Hyacinthi petitionem circa annum 1240. adeò liberaliter dotavit, ut olim centum ſupra ſexaginta Religioſos ejus redditibus alerentur. Terna Seraphicus Ordo implet Monaſteria; unum ſcilicet Minorum Conventualium ad S. Jacobum, alterum Minorum de Obſervantia S. Joannis Capiſtrani præſentiâ aliquando illuſtratum, & tertium Capucinorum, quod Joannes Kawka Rziczan anno 1614. in Suburbio extruxerat, & ab Hæreticis quinquennio pòſt everſum reparaverat; ſed cùm rurſus à Svecis diruturn foret, Ferdinandi III. Cæſaris juſſu intra muros eſt translatum. Templum B. Dei Genitrici devotum excitavit Jaroslaus Sternbergicus in perpetuum celeberrimæ victoriæ monumentum, quam contra plurima Tartarorum millia, invocatô Deiparæ patrociniô, gloriosè dimicans anno 1241. retulerat. Obtigit illud primò Minoribus Conventualibus, antequam hi ad S. Jacobi Ædem ſe conferrent; deinde ad Jeſu ſocietatem decidit, quæ eodem hodieque potitur, adnexum illi poſſidens Collegium, & Academiam ex Philoſophica, & Theologica facultate præter humaniorum literarum ſcholas conflatam. Ex binis demum Sanctimonialium Ædibus, alia D. Catharinam primariò colit, & S. Dominici legibus obſtringitur, alia D. Joanni Baptiſtæ ſacra S. Claræ veſtigiis inſiſtit, quam Kunegundis Plichtowna Conjugis ſui Jaroslai Sternbergici pietatem æmulata ſub annum 1248. erexit, ac dotavit.

Inter cætera Urbis ædificia ſpectabiliùs eminent Epiſcopalis Aula à Carolo Liechtenſteinio Olomucenſi Præſule extructa, & Prætorium, ſeu Curia eximii operis in foro præcipuo poſita, & ſpecialis artificii horologiô illuſtris. Extra mœnia autem quondam latè excurrebant Suburbia Civitatis amplitudinem pene ſuperantia, ſed ea Sveci, ne mœnium defenſioni officerent funditus everterunt. Stat tamen hodieque extra Olomucium in Moravæ littore Aquilonem versùs Hradiſtienſe Cœnobium, ampliſſimum ſimul, & opulentiſſimum, in quod Arcem à Brzetislao I. Bohemiæ Duce ædificatam converterat Otto I. Olomucenſis Marchio, adjectâque Eccleſiâ D. Protomartyri Stephano ſacrâ, Religioſis D. Benedicti Aſſeclis obtulerat, ſed iis poſt 74. annos amotis, Otto III. Marchio Præmonſtratenſes S. Norberti Canonicos ex Strahovienſi Collegio advocavit, qui etiamnum perſeverant. In hoc Hradiſtienſe Cœnobium detonuit anno 1241. maximus Tartarorum furor, cùm ab Urbis direptione, cui inhiabant, ab invicta Jaroslai virtute arcerentur, donec hic ſtimulatos ad pugnam Cives ante ſolis ortum foras educens, in hoſtium, quos adhuc ſomnus tenebat, caſtra fortiter irruperit, & Petâ Tartarorum Duce propria manu interemptô, immanem reliquorum catervam incomparabili ſua gloria fugaverit. Non pari tamen fœlicitate Matthiæ Hungarorum Regi, & Torſtenſonio Svecorum Duci reſtitit Olomucium, in illius enim anno 1468., in hujus verò poteſtatem anno 1642. non ſinè gravi detrimento pervenit. Hæc de Moraviæ Metropoli, poſt quæ alphabeti ſeriem repetemus cæteras Provinciæ Urbes obituri.

BRUNA.

BRuna vulgò Brinn non ampla quidem, ſed nitida, & populoſa Civitas, à Brynone Moravorum Rege nomen mutuata, in editiore aſſurgit ſolo, circa quod Eburodunum Quadorum Urbem collocat Ptolomæus. Præclaris tam privatis, quàm publicis ædificiis plurimùm nitet: excellunt Epiſcopi Olomucenſis Aula, Dietrichſteiniorum Principum Palatium, & Provincialis Domus, in qua ſcilicet Provinciæ Status Comitia frequentant, judiciaque peragunt. Celebrem præterea Brunam reddit Regium Tribunal anno 1636. Olomucii inſtitutum, & anno 41. indè in hanc Urbem translatum, ita ut de Moraviæ totius Primatu binæ hæ Urbes inter ſe certare videantur. Nec minus decoris à ſacris Ædibus Brunæ accedit; Baſilicam S. Petri in Urbis vertice ſitam erexit anno 1296. Theodoricus Olomucenſis Epiſcopus, fundato apud eandem Canonicorum Collegio, cui Præpoſitus Infulâ conſpicuus præficitur. Parochialis Eccleſia D. Jacobo ſacra in altum aſcendit faſtigium unà cum turrium tecto æneis laminis coopertum. D. Auguſtini Eremitæ, quibus apud D. Thomæ Templum anno 1356. Cœnobium extruxit Joannes Marchio Caroli IV. frater, peculiari hìc fruuntur privilegio, vi cujus eorum Præſes (Priorem vocant) Infulam, & Pedum in ſacris uſurpat, perpetuaque fulget Notarii Apoſtolici dignitate. Suis quoque hìc gaudent Monaſteriis eximii SS. Dominici, ac Franciſci Ordines: ille ad S. Michaëlis Ædem eo, quo Olomucium, tempore advenit; hic verò in quatuor dividitur claſſes; Minores enim Conventuales S. Joannem Baptiſtam, Minores de Obſervantia S. Mariam Magdalenam, Capucini S.

Crucem, & ſacræ Virgines D. Joſephum Eccleſiæ ſuæ tutelarem venerantur. Collegium, Domuſque probationis Societatis Jeſu ad D. Virginis Templum, Cella Mariæ quondam dictum, humaniorum literarum Gymnaſio floret, à Joanne Brunenſi Præpoſito, & Wenceslao Decano Grodeciis fratribus anno 1572. inceptum, & ſexennio pòſt à Rudolpho II. Cæſare plenè fundatum, cui Franciſcus Dietrichſteinius S. R. E. Cardinalis, & Olomucenſis Præſul novam ædificii molem, Ferdinandus II. Imperator uberiores proventus addidere. Subjacet huic Collegio non adeò ab Urbe diſtans Turzanenſis Reſidentia miraculoſa Deiparæ icone percelebris, & ab Olomucenſi Antiſtite Societatis Jeſu curæ commendata. Suburbium, quod veterem Brunam vocant, duobus ornatur Parthenonibus: unum incolunt Ciſtercienſis Ordinis Virgines à Regina Eliſabetha Wenceslai II. Bohemiæ Regis conjuge ſub titulo *Aulæ Mariæ* anno 1323. lautiſſimè fundatum; alterum D. Annæ ſacrum, & circa annum 1300. extructum poſſident Sanctimoniales D. Dominici regulam amplexæ. Si paululum versùs Ortum æſtivum ab Urbe receſſeris, in illuſtre incides Præmonſtratenſis Ordinis Cœnobium à Leone Comite de Klobauk, & Polchradicz ſub ſeculi duodecimi finem in Svitavæ fluvii inſula conditum, & Zabrdovicenſe appellatum. Hinc ſi ad Boream deflexeris in aperto campo, quem regium dicunt, obviabit Carthuſianorum eremus in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis anno 1375. à Joanne Marchione erigi cœpta, & ab ejus filiis Jodoco, Joanne, & Procopio non modò perfecta, ſed etiam liberaliter dotata. Demum ad Auſtralem Urbis plagam, qua Nigris amnis defluit, ſeſquimilliare ab ea removetur Reyhradenſe Ordinis D. Benedicti Cœnobium, Principum Apoſtolorum cultui ſub annum 1048. à Brzetislao I. excitatum. Cæterùm Brunenſis Urbs validis cingitur mœnibus, præter quæ eandem ex prælto colle tuetur Spilbergenſis Arx; hujus enim fortitudinem expertus eſt primò Hungarorum Rex Matthias, quando à Civibus in Urbem invitatus, tum armorum vi, tum munerum præſtantiâ Præfecto Kragirio oblatâ, Arcem quoque conſequi nequidquam contendit. Verùm maximè Orbi innotuere tam Civitatis, quàm Arcis munimenta annis elapſi ſeculi 43., & 45., quibus utraque à Svevis tot Urbium domitoribus, protractô etiam in quartum menſem obſidiô, tentata, eorum omnem conniſum non minùs ſtrenuè, quàm fœliciter eluſit.

CREMSIRIUM.

CRemſirium vulgò Kremſir Olomucenſi Epiſcopatui ſubjectum, quod, dum adhuc Pagi ſpeciem præſeferret, à Marchione Ottone Nigro Joannes Epiſcopus emerat, novis poſtmodum ædificiis ampliavit, muroque cinxit Bruno ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes, qui ſecundo Lugdunenſi Concilio interfuit anno 1274. celebrato. Neque hic ſuæ metas poſuit munificentiæ, quam propenſus in hanc Urbem animus provocabat; ſiquidem inſignia illi privilegia, atque immunitates impertiit, Canonicorum Collegio ad S. Mauritium erecto decoravit, atque in conſtantem Aulæ ſuæ ſedem elegit, quam plurimi ſucceſſores ad ejus exemplum ibidem fixerunt. Svecicô bellô ab hoſtibus vi expugnatum, atque exuſtum Cremſirium anno 1643. in cineres concidit, ſed reſtauratis Civium induſtriâ ædibus rurſus nitet, utì & pomœria, quæ à pereleganti Præſulum horto, & Minorum Strictioris Obſervantiæ Cœnobio SSS. Trinitati ſacro illuſtratur.

HRADISTIUM.

HRadiſtium vulgò Hradiſcht Urbs Regia, ac libera propriî Diſtrictûs Caput, à Moravæ fluentis undique cingitur, ac munitur: locô gaudet peramœnô, & opportunô, ubi magna ſuppetit omnium rerum ad humanum victum neceſſariarum copia. Condidit eam anno 1258. Przemislaus Ottocarus II., ut frequentes Hungarorum in Moraviam irruptiones cohiberet: unde etiam â muniendo nomen traxit; munire enim Moravi ſuâ linguâ hraditi dicunt. A diverſiſſimis, iiſque potentibus hoſtibus impetita, generoſo ſemper ac fœlici auſu eorum violentiam repreſſit; obſidentes enim Hungaros repulit anno 1315., & ejuſdem ſeculi 82.; Ziskam anno 1423., ejus ſequaces Taboritas, & Orphanos perſæpe; Hungaros iterum, eorumque Regem Matthiam adversùs Georgium Bohemiæ Regem anno 1467., & ſequentibus bellum gerentem; dein anno 1605. Botſcaianos, anno illius pariter ſeculi 21. Krnovienſes, & Betlen-Gaborianos; demum anno 43. Svecos, qui non ſinè magna ſuorum clade diſceſſere. Egregia hac Hradiſtienſium fortitudine permoti Bohemiæ Reges præſtantiſſimis gratiis, immunitatibus, ac privilegiis eam Urbem cumularunt. Eccleſia Parochialis D. Georgium ùt Patronum celebrat, cujus Sacellum ante Urbis ortum à piſcatoribus erectum penes hanc ipſam Parœciam etiamnum perennat. Adſunt

præ-

præterea Minorum Strictioris Obſervantiæ Cœnobium à Joanne Olomucenſi, & Varadinenſi Epiſcopo extructum, & Societatis Jeſu Collegium cum inferiorum claſſium Gymnaſio.

HRANICIUM.

HRanicium vulgò Germanis Weiſskirchen Oppidum eſt à Chualkone Hradiſtienſi Abbate anno 1291. conditum, in cujus vicinia ſcaturit celebris medicatæ aquæ fons, quæ plurimum calchanti, lapidis calcarii, & terræ rubræ cum modico ſulphure immixtum defert; nec procul indè abeſt caverna ſubterranea ſuffocantem vaporem exhalans, quod experientia in catellis, & felibus ad ſpecum immiſſis, ſtatimque oppreſſis facta comprobavit. Hujuſmodi porrò aquæ pluribus in locis Moraviam irrigant, nempe Buchlovienſis in profunda exiliens valle, & copioſum ſulphur cum modico nitro ſecum devehens; Loſſinenſis, ſeu Schumbergenſis puriſſimo ſulphure imbuta, quam Jordanus celebris archiater totius Moraviæ præſtantiſſimam deprædicat, ceu quæ ſola aliquantum tepeat, cùm cæteræ omnes frigidæ erumpant; Korytnenſis in loco aliàs inacceſſo inter denſiſſimas ſylvas, & Carpathicos montes non procul Hunnobrodâ emanans, & multum ſulphur, ſalem, terramque argilloſam, ſeu ochram immixtam vehens; Slatinenſis in ditione Plumlovienſi exoriens, & ſubtiliſſimum continens ſulphur, utì & calcarium lapidem, atque leviſſimam aluminis portionem. Præter has quoque Viranovienſis, Buchorſiana, Petrovienſis à medicæ artis peritis in Moravia dilaudantur.

HUNNOBRODA.

HUnnobroda clara Hradiſtienſis Diſtrictûs Civitas ad Oslavam amnem non procul ab Hungariæ finibus ſita, ab antiquis Moraviæ incolis condita creditur, ut Hungarorum infeſtationes ab ea parte inhiberent. Videtur tamen nomen ab Hunnis, ſeu Hungaris ducere, traditque Crugerius, Prædicatorum Ordinis Monaſterium, quod ibidem viſitur, monumentum eſſe Andreæ II. Hungariæ Regis anno circiter 1262. excitatum. Narrat quoque alio in loco idem author Przibislaviâ captâ Taboritas quoſdam ab aliis factione diviſos in Hungariæ confinia irruiſſe, & crudelem in modum ferro, & igne graſſatos eſſe; nominatim verò Hunnobrodæ ingentem Catholicorum numerum trucidaſſe, haud dubiè laureâ martyrii, ùt Crugerius loquitur, coronatum. Sed præcipua in dicto Cœnobio laniena, ubi Religioſi variis diriſque pœnarum generibus ad extremum uſque ſpiritum cruciabantur. A ſævitia dein ad ludibria converſi ſacrilegi latrones, ſacerdotali amictu induti plateas obequitantes Catholicis illudebant.

IGLAVIA.

IGlavia vulgò Iglaw libera, Regiaque Urbs ſui Diſtrictûs Metropolis in ipſo Bohemiæ limite ab Igla amne alluitur. Eximius eſt hìc privatarum juxta, ac publicarum ædium ſplendor, forum ampliſſimum, rerum omnium abundantia, atque incolarum frequentia, ita ut inter illuſtriores Moraviæ Urbes meritò cenſeri poſſit. Hujus natales Moravis, Germaniſque attribuit apud Peſſinam Hagecius, anno 799. ab iis conditam docens, ut poſt prædationes, quibus tum crebriùs Czaslavienſem Bohemiæ regionem vexabant, propinquum, ac tutum aſylum ibidem reperirent. Templa intra Urbem quatuor notatu digniora: Parochiale D. Jacobo Apoſtolo dicatum, & ab inſigni ſtructura celebre. S. Crucis Eccleſia Prædicatorum Ordinis Cœnobio annexa, quod Peſſina circa annum 1221. à Proceribus de Rukſtein, aliàs de Waldſtein fundatum autumat, verùm nimia videtur antiquitas, utpote non nisì ſexennio ipſius Ordinis confirmatione poſterior: certius interim eſt Przemislaum Ottocarum II. Bohemiæ Regem, aut illud primò erexiſſe, aut liberaliùs dotaſſe. Sacra D. Virginis Ædes ad Minores Conventuales pertinet, quorum Aſceterium anno circiter 1191. exortum perperam affirmat Peſſina, cùm non nisì undecimum ætatis annum tunc ageret D. Franciſcus Religioſi illius Cœtûs fundator. Quartum denique Templum Societatis Jeſu Collegio adhæret, quod unà cum humaniorum literarum Lycæo Michaëlem Adolphum Comitem ab Altham Mecœnatem colit. Bellò Huſſiticò Bohemiæ Regnum ſubvertente, Iglavienſes tam Orthodoxæ à majoribus ſuis acceptæ Religionis, quàm jurium, ac libertatis integritatem ſtrenuè, magnaque cum laude adversùs obvios hoſtes tuebantur; poſtea verò, gliſcente novo Lutheri dogmate, à præclaro illo fervore deficientes, omnium primi è Civitatibus Regiis Hæreticorum virus hauſerunt. Bellò autem Svecicò cædibus, & incendiis Provinciam implente, poſt cruentam illam & Moraviæ ſummè perniciosam Cæſarei exercitûs ad Jankoviam cladem, anno 1645. apertam Urbem ſeſeque victoribus tradidere. Obtentam Iglaviam Sveci, ut faciliùs eam propugnarent, vaſtiſſimis, quæ circa circum

patebant, Suburbiis denudarunt, flammis cuncta evertentes; sequenti tamen anno nondum integrè evoluto, à Cæsareorum militum robore compulsi sunt, ut restituta Urbe aliò proficiscerentur.

NICOLAIBURGUM.

NIcolaiburgum, seu Niclsburgum vulgò Nicklsburg non magna quidem, nec vetus Civitas, sed nitidis instructa ædibus in Australi Teiæ fluminis latere Austriacos fines proximè attingit. Condecorant illam speciosa, ac sublimis Arx, atque obretusum anno 1468. Hungarorum impetum glorioſa; Canonicorum Collegium ad S. Wenceslaum, cujus Præpositus Infulam in sacris gestat; Patrum Piarum Scholarum Cœnobium à Cardinali Francisco Dietrichsteinio, cujus prosapiæ etiamnum Civitas paret, anno 1631. fundatum, & Capucinorum Asceterium, Domusque Lauretana ab eodem Præsule extructa, & magnificè exornata. Anno 1645. à Torstensonio Svecorum Duce expugnata est, sed sequenti vere rursus à Cæsareis fortiter assilientibus recepta.

UNICZOVIUM.

UNiczovium, seu Neapolis, vulgò Moravis Uniczow, Germanis Neustadt insigne Olomucensis Districtûs Propugnaculum, in planitie quidem assurgit, sed loco uliginoso, ideoque cuniculos minimè tolerante. Murô illud primò vallasse fertur anno circiter 1326. Henricus Sovinecius loci Dominus, à cujus successoribus ad Procopium Marchionem devolutum est, ac tandem à Sigismundi Cæsaris clementia Regiis Urbibus inseri impetravit. Civitatis hujus Cœnobium, quod pro D. Claræ Virginibus Elisabetha Henrici Sovinecii consors anno 1330. fundaverat, Minoribus Conventualibus deinde obtigit, qui eo hodieque potiuntur. Cives prout Hussiticô bellô Olomucensium consilia magna cum laude, ita Svecicô bellô eorundem exemplum non sinè magno suarum fortunarum dispendio secuti sunt: pari enim ingruentis periculi metu perculsi, nec ullô priùs editô virilitatis documentô, utì Pessina loquitur, portas Svecis reserarunt. Fortiùs tamen anno 1626. adversùs Mansfeldium, & Wimarienſem Ducem Urbem suam tutati sunt, nec minori gloria, quàm anno 1468. Matthiam Hungariæ Regem, eosdem repulerunt.

WRANOVIENSE COENOBIUM.

WRanovienſe Cœnobium duobus Brunâ milliaribus dissitum in vasta quadam solitudine amœnissimo insidet colli, sylvis undique ad instar coronæ septo, in quo illud sacro Minimorum Ordini excitavit Maximilianus Princeps Liechtensteinius, nunc verò mirè illustrat prodigiosa Dei Genitricis effigies, quæ ibi magno populorum accursu in quintum seculum colitur; siquidem ferunt circa annum 1240. Beatissimam Matrem cuidam Wilhelmo Dynastæ Moravo loci illius Domino oculis laboranti apparuisse, atque annuntiasse, eum sanitatem adepturum, quam primum honori suo, ac nomini sacram Ædem extruxerit, docuitque felix rei eventus visionis, & sponsionis veritatem. Non procul hinc trans Svitavæ alveum via quædam plana intra eminentes utrinque petras multis foraminibus pervias ad tenebrosum ducit spelæum, cujus uberiorem descriptionem à Joanne Ferdinando Hertodt eleganter concinnatam paulò breviùs perstringam. Illius ingressum difficilem reddit aqua, quæ aliquando, nisi in glaciem indurescat, accessum omnino prohibet: per 20. passus humili corpore, demissoque capite progredi necesse est; mox consensu arenoso monticulo alta magis, & lata antri facies sese exhibet, ad instar alicujus Basilicæ efformata, variis angulis, ceu Sacellis, & ambitibus distincta, quorum longissimus supra medium milliare procurrit. In hoc pulchriores, quàm alibi lapides, alabastro pene similes, offenduntur, qui ex stillante per varios meatus aqua sensim concrescunt. Altiùs præterea ex fornice defluit lapidificus succus, qui in concavas, & oblongas strias ad digiti magnitudinem convertitur. Confecto eo itinere, ad 50. vel 60. passus extenditur lutosa, & deformis aqua, post quam profundissimus mox succedit lacus aquam crystallo limpidiorem, trutis maximis, ac pulcherrimis refertam propinans, sed quia post breve spatium intra duplices saxorum parietes, & voragines absorbetur, non adeò facilem eorum capturam permittit, simulque ulteriorem progressum curiosis scrutatoribus intercludit. Centum tamen ab hoc spelæo passibus aliud ex toto huic contrarium, luminosum scilicet, ampliſſimum, & sicciſſimum ex nigro marmore constans conspicitur, cujus altitudo centum circiter passus, longitudo ferè totidem adæquat. Hoc in duobus locis à natura apertum, & diversis cellulis, atque perviis montis cacuminibus, quasi caminis instructum est:

est: pavimentum altissimis sternitur lapidibus, inter quos & tophi albi, atque levissimi instar pumicis reperiuntur. Cúmque de spelæis, seu cryptis sermo inciderit, placet etiam duo alia ad Moraviam spectantia, & ab eodem authore descripta subjungere. Ex his unum patet in quadam valle à Germanis Kiristein dicta, & 3. Brunâ milliaribus remota, cujus vestibulum per 30. fermè passus inclinato itidem capite subire oportet, donec amplum quasi conclave viginti cubitos altum aperiatur. Post hoc novæ occurrunt viarum anguſtiæ, quæ ad speluncam triginta duos cubitos latam, totidemque longam, & primâ multò altiorem deducunt, ex qua denuo hinc & indè varii hiant recessus, quorum pars in alios & novos sinus, pars in profundissimas abyssos declinat, quas nemo hactenus præsumpsit attentare. Totum hoc antrum, quod opacum est limpidissimam undique aquam guttatim emittit, quæ in saxeas strias conversa arundinem imitatur, in pavimentum verò cryptæ decidens, illud ad spithamam, & ultra cavat, eodemque lapideo cortice obducit, relicto desuper foramine pro ulteriori stillarum receptione. Alterum spelæum in Dominio Reizensi prope Pagum vulgò Sloup vocatum tribus pariter milliaribus Brunâ recedit. Crypta hæc ad introitum ampliſſima est, ac lucidissima plusquam septuaginta erectos homines capiens, per quam rivulus trutis refertus delabitur. Hinc ad vastissimum, obscurumque antrum penetratur, ubi imprimis se se offert mons arenosus ad altissimos illius fornices pertingens, in cujus sinistra plurimæ implexæ arbores inundationis tempore eò devectæ transitum anguſtant, non nisi supino pene corpore superandum. Post montem omni ex parte facillimus patet aditus, qui in innumeras plateas, & labyrintheos ambitus discinditur, quorum terminum multi ex inquilinis licèt longo per dies, & noctes confecto itinere, minimè assecuti sunt. In quadam ex iis plateis obviat lapis quatuor ferè cubitos longus, prope duos latus, & sesquialterum altus, ad instar æris, si percutiatur, resonans, quem in spelunca ab unico homine elevari, ac ferri posse, extra eandem verò quatuor etiam, aut quinque viros ad id præstandum vix sufficere, cùm ab incolis intellexisset præcitatus author, tanquam fabulam primò explosit, sed suismet oculis rei veritatem usurpasse deinde testatur. Paulò pòst ejus lapidis stationem in duas profundissimas foveas dehiscit tellus, in quas projectus lapis non nisi post diuturnum descensum strepitum edit.

ZNOYMA.

ZNoyma vulgò Znaim Urbs Regia est, & cognominis Districtûs primaria, in qua Cluverius antiquum Ptolomæi Medoslanium ex situ simul, ùt ipse asserit, & quadam nominis similitudine agnoscit. In alio tamen situ paululum hinc remoto quondam hæc Civitas floruerat, sed anno 1145. à Wladislao Bohemiæ Duce, & postea Rege contra Conradum Marchionem agnatum suum bellum gerente à fundamentis eversa diu in ruderibus jacuit, donec sub annum 1222. Przemislaus Ottocarus I. in eo, quo nunc stat, loco apud Teiam fluvium eam restituit utcunque deinceps munitam, & Templis, turribus, aliisque ædibus tam sacris, quàm profanis illustratam. Eximius Prædicatorum Ordo vetustum hìc possidet Monasterium S. Cruci sacrum à Przemislao Ottocaro I. Bohemiæ Rege ante annum 1230., quo ille obiit, inchoatum, & à DD. de Weitmille anno ejusdem seculi 53. ad apicem perductum. Cum hoc vetustate certat Minorum Conventualium Monasterium, in cujus Ecclesia conditus à Meriano fertur Ottocarus Bohemiæ Rex in Lahensi prælio à Rudolpho I. Cæsare debellatus. Minorem numerant ætatem alia duo Cœnobia, Capucinorum scilicet anno 1628. exortum, & Sanctimonialium D. Claræ legibus obstrictarum, utì & S. J. Collegium à C. ab Altham excitatum. Infra Urbem spectatur celebre, ac opulentum Cœnobium passim Lucense ob circumsitam pratorum amœnitatem (Slavica enim vox Luka pratum sonat) nuncupatum. Erexit illud, utì refert Pessina, sacro D. Benedicti Ordini anno 1059. Juditha Brzetislai I. conjux; verùm nescio, qua de causa ab eo derelictum ad D. Norberti Canonicos transiit anno 1190. à Maria Henrici VI. Cæsaris filia, & Conradi II. Bohemiæ Ducis vidua ex Strahovienſi Collegio advocatos. In fundationis tamen literis Balbino teste, dicitur, *Otto Bohemiæ Dux cum matre sua Maria Cœnobium Lucense ad honorem Mariæ Virginis, & S. Wenceslai Martyris pro Præmonstratensibus Canonicis à primis fundamentis extruxisse.* In altera autem Urbis parte, qua prælatus ascendit mons, Marchionum olim Sedes, emicat in eo aliud æquè magnificum Cruciferorum Cœnobium, eorum videlicet, qui crucem rubeam cum ejusdem coloris stella pro insignibus gerunt, à Rege Wenceslao Ottocaro, ejusque fratre Przemislao Marchione anno 1234. excitatum, quod S. Hyppoliti montem ab Æde eidem Sancto devota, seu Germanicè Peltenberg appellant.

Cætera Moraviæ loca, de quibus non adeò ampla ſuppetit ſcribendi materia, & quæ ſilentio tamen prætereunda non videntur, una mox ſerie per quinque Diſtrictus diviſa breviter complectar. In Olomucenſi itaque Diſtrictu continentur Prziborium à Brunone Olomucenſi Epiſcopo ære proprio unà cum Arce munitiſſima Hochwald vocata, agroque ampliſſimo emptum, & Epiſcopatui ſubjectum. Novo-Gitczinium recens Urbs, populo tamen frequens, ſplendidéque ædificata. Fulneka gentilitia quondam familiæ Kravareæ in Moravia celeberrimæ, potentiſſimæque Sedes, quam ornat Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium à Petro de Kravarz anno 1290. erectum, & quam ex vicino colle deſpicit Arx utcunque munita, à Svecis tamen anno 1643. capta, & ſeptennio retenta. Lipnicium Urbecula ob repulſum anno 1626. Mansfeldium glorioſa, in cujus Suburbio ſtat Collegium Piarum ſcholarum anno 1634. à Franciſco Cardinali Dietrichſteinio fundatum, & ab ejuſdem ſtirpis Principe Ferdinando nobiliùs extructum. Helffenſteina fortiſſimum naturâ, & arte munimentum in excelſo monte prope Lipnicium excitatum. Svitavia Olomucenſi Antiſtiti ſubjecta, quam à Svatava Bohemiæ Regina Wratislai I. conjuge inchoatam nonnulli putant; alii verò antiquiorem malunt, cùm ad annum 894. ejus mentio apud Hagecium habeatur. Mohelnicium Pagus olim à Friderico Bohemiæ Principe anno 1180. Olomucenſi Eccleſiæ donatus, ſed ab ejus Præſulibus in Civitatis formam redactus. Mirovium ſplendida ejuſdem Epiſcopatûs Arx in prærato eminens monte, unde Mohelnicenſi Urbi, totique vicino, ac latè protenſo agro dominatur. Schumberga ad Deſnam fluvium jucundô, editóque locô gaudens, in quo ſpectare eſt ſacri Prædicatorum Ordinis Cœnobium ab Hugone, & Jaroslao fratribus de Waldſtein Urbis etiam conditoribus anno 1230. extructum, & à Joanne Præpoſito Wiſſehradenſi, dein Olomucenſi Antiſtite anno ejuſdem ſeculi 93. reparatum. Trebovia ſat ampla, elegansque Urbs murô cincta, & latis undique Suburbiis, nobilique Arce inſtructa. Proſtigovium, quod Jordanus Proſtanam vocat, mediocris, nitidaque Civitas Canonicorum Regularium Collegio à Petro de Kravarz in præſentis Parœciæ ſitu fundato quondam illuſtris. Sternberga à Jaroslao Sternbergico clariſſimo Bellduce circa annum 1245. unà cum Arce erecta, & ab Alberto Sternbergico Magdeburgenſi Archiepiſcopo Canonicorum Regularium S. Auguſtini fundatione anno 1371. ampliùs decorata.

Brunenſi Diſtrictui non paucæ quoque Urbes, aut Oppida adjicienda ſuperſunt; nimirum Wiskovia, quam hinc illuſtrat magnifica Olomucenſium Epiſcoporum Arx, hortuſque elegantiſſimè excultus, indè conſecrat Capucinorum Aſceterium anno 1616. à Franciſco Cardinali Dietrichſteinio excitatum. Slawkovia aliàs Auſterlicium egregia Urbecula à quatuordecim diverſorum Hæreticorum ſectis, quas aliquando colebat, famoſa. Podivinum ad Tejam fluvium Urbs vetuſtiſſima inter primarias quondam recenſita, & Epiſcopali Cathedra fulgens. Hodonina probè munita Arx, quæ elusâ obſidentium inimicorum potentiâ ſæpiùs triumphavit. Butſchovicium nobilis Arx ab ædificio ſumptuoſiſſimè extructo, & juxta rationes architectonicas omnibus numeris abſoluto maximè celebrata. Lednicium eximia quoque Arx, quam loci amœnitas, cultiſſimi horti præſtantia, & celeberrimum in tota Provincia equile præcipuè commendant. Puſtimercium Oppidum ubi Moraviæ centrum paſſim collocatur, eratque olim locus Parthenone Ordinis S. Benedicti, aureâ, ùt vocabant, miſsâ ſabbatho ſancto circa ſolis occaſum legi ſolitâ ſummopere clarus. Zdiarenſe Ciſtercienſium Cœnobium à Gebhardo Comite à Bernek, & Nidda anno circiter 1234. conditum, & Fons Mariæ Virginis nuncupatum. Tiſnovienſe Monaſterium Porta Cœli dictum ſacris ejuſdem inſtituti Virginibus à Conſtantia Przemislai Ottocari I. Regis conjuge eodem ferme tempore erectum.

Ad Znoymenſem Diſtrictum pertinent Crumlovium cum Arce egregia per trecentos pene annos Lippæis Proceribus, nunc Principibus Liechtenſteiniis ſubjectum, è quibus Ferdinandus S. Pauli primi Anachoretæ eremum ibidem fundavit. Evanicium nitida, ac populoſa Civitas iiſdem Principibus parens, & ab Iglava flumine irrigata. Slavonicium Urbs ſatis ampla, & frequens, Bohemiæ proxima, atque Slavos ſui conditores nomine prodens. Gemnicium pervetuſta Urbs edito inſiſtens monti à Moraviæ Marchionibus Jaromiro, Henrico, aliiſque in ea reſidentibus celebris.

Hradiſtienſi Diſtrictui adſcripta quoque ſunt. Kygovia Regia quidem Civitas, ſed nullô murô circumdata, & ligneis plurimum ædificiis habitata. Straznicium Arce fortiſſima Moravæ fluvio imminente, & Scholarum Piarum Collegio à Franciſco Comite de Magnis anno 1633. ibidem erecto nobilitatum. Buchlovia inſigne Propugnaculum ſubjectam Orientem, & Auſtrum versùs planitiem latè proſpectans

Wel-.

Welehradenſe Ordinis Ciſtercienſis Cœnobium ab Urbe Welehrado veterum Moraviæ Regum Sede, aut ibi, aut non procul indè ſita nomen ſumens, & à Wladislao Marchione anno circiter 1204. conditum, largéque à ſubſequentibus Regibus, aut Marchionibus ditatum.

Iglavienſem demum Diſtrictum commendant Telczium, Trebicium, & Mezericium majus populoſæ, muróque cinctæ Urbes, in quarum prima Societatis Jeſu Collegium extat cum tertiæ probationis Domo à Comitiſſa Franciſca Slawatiana, nata de Meggau anno circiter 1658. fundatum. Ad eundem inſuper Diſtrictum ſpectat celebre Novo-Riſſæ Monaſterium à Marquardo de Hradek anno 1211. pro Ciſtercienſibus Virginibus extructum, hodie verò à Religioſis ejuſdem inſtituti Viris habitatum.

POſt longæ peregrinationis curſum tandem portum attigi: hæc quippe ſunt, quæ de Auſtriacis in Germania Regionibus proſequi ſtatueram; priſcas nempe locorum origines, atque illuſtriora eorundem monumenta, in quæ tanquam præcipuum meæ qualiſcunque opellæ ſcopum, perluſtratis veterum, qui allegantur, teſtimoniis collimavi; quæ enim de gentium moribus, aut ritibus, quæ de privatis Dominiis, aliiſque hujuſmodi à quibuſdam geographis adferri ſolent, utpote frequenti mutationi obnoxia, aut datâ operâ prætermiſi, aut rariùs inſperſi. Non inficior tamen plura adhuc ſuppetere, quæ inſeri potuiſſent; verùm nec temporis anguſtiæ longiùs in iis ſcrutandis ſtudium, nec præſcripta operis moles eorum additamentum patiebantur. Quibus etiam de cauſis nobiliſſimum Hungariæ Regnum, quod tertiam, eamque amplam hæreditarii Auguſtiſſimæ Domûs Imperii partem confeciſſet, modò præterire neceſſe habui. Poſtremum denique, idque potiſſimum meum votum eſt, ut non has duntaxat Provincias ſub Clementiſſimo Auſtriacorum Principum Sceptro propitii tueantur Superi, ſed etiam cætera avita Regna ad extremas uſque tum occidentis, tum orientis ſolis vias protenſa quamprimum adjiciant: unde hujuſmodi impoſterum liber non ampliùs *GERMANIA AUSTRIACA*, ſed *ORBIS AUSTRIACUS* inſcribatur.

FINIS.

MONITIO AD LECTOREM.

MEndum, quod de Maximiliani I. Cæsaris sepulcro parte prima, pagina 25. in Neostadiensem descriptionem irrepsit emendatum vide pagina 99. In parte item secunda, ubi linea quinta Crumlovienſis descriptionis incipit, locò 8. lege 18.: cætera verò typi errata, si quæ occurrant, facilè corriges.